STUDIEN

AUF DEM GEBIETE

DES

ARCHAISCHEN LATEINS

HERAUSGEGEBEN

VON

WILHELM STUDEMUND

ERSTER BAND

ERSTES HEFT

BERLIN

WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG

1873

STVDIA

IN

PRISCOS SCRIPTORES LATINOS

COLLATA

EDIDIT

GVILELMVS STVDEMVND

VOLVMINIS I

FASCICVLVS PRIOR

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

MDCCCLXXIII

PROOEMIVM GVILELMI STVDEMVND.

Quam multa et in re metrica et in grammatica inprimisque in syntaxi priscorum scriptorum latinorum, qui ante medium saeculum u. c. septimum uixerunt, nondum explorata sint, quicumque ad artem criticam in Plauti et Terentii fabulis factitandam accedunt, cotidie sentiunt. Qui quamquam non ut architecti uerborum scribebant neque firmum semper usum et sibi constantem aeque ac mathematicorum rationem obseruabant, tamen ut suauis, et, ubi opus esse uidebatur, ut grauis esset oratio, elaborabant malebantque desiderari ab audientibus tumorem et studiose quaesitam concinnitatem quam proprietatem orationis et simplicitatem. Nam cum ipsorum in mente insideret species aequabilitatis simplex quaedam, in quam plurimis hanc sequebantur, multasque eis leges praesens ille sensus commendabat, quem experiendo exacuerant et exercendo excoluerant. Sed cum priscorum scriptorum libri et mendosi multis locis et subinde interpolati propagati essent, arbitria eis pro legibus fuisse per multa saecula opinabantur grammatici; et cum inde a Petrarcae aetate permulti uiri docti domicilium ac sedem in antiquitatis studiis ideo potissimum collocarent, ut pressis Ciceronis et Augusto aequalium poetarum uestigiis ad rhetoricae artis intellegentiam orationisque elegantiam peruenirent, primordia linguae latinae aut prorsus neglexerunt aut cum multa uitiose tradita ingeniose corrigerent tum in aliis uitia, quae perpetuum uel frequentiorem »classicorum« usum secuti deprehendisse uidebantur, suorum inuentorum prauitate cumularunt. Itaque factum est, ut cum linguae latinae aetates maxime separandae commiscerentur, optimorum scriptorum lau-

des non raro inepte conmacularentur potius quam recuperarentur. Ac ne per ea quidem quae proxime secuta sunt saecula, quae fuissent priscae artis metricae priscique sermonis leges et quibns is gradibns paulatim excultus esset, ea qua par erat diligentia quaesiuerunt grammatici. Huius rei causa inde uidetur repetenda esse, quod mirabile est quanto philologi studio Ciceronianae orationis quam diu delectati fuerint. Neque immerito contempta est a Ciceronianis incomptae istius et incisim tractatae orationis siccitas et humilitas, in qua membra saepissime non syntactice conectebant prisci scriptores sed tantum in parataxi ponebant, prae comprehensione illa apte numeroseque cadente et grandibus atque ornatis floribusque conspersis uerbis, quae Cicero spreta uerborum prisca uetustate sectabatur. Nostra autem aetate, postquam in historiam linguae latinae accuratius inquiri coeptum est et ex bibliothecarum tenebris optimi priscorum poetarum codices in lucem protracti sunt, multi quidem et peruagati errores feliciter correcti sunt et inprimis etymologiae studium indogermanicarum linguarum comparatione promotum est. Sed quia ad poetarum priscorum reliquias perpoliendas edendasque multae et difficillimae quaestiones simul tractandae erant, neque in re metrica et prosodiaca omnia adhuc ad liquidum perducta sunt et difficiliores aliquot quaestiones syntacticae, quas amplius declinare nullo modo decebat, ne tactae quidem sunt. Laudabili sane diligentia Fr. Guilelmus Holtze in »syntaxi priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium« uariarum structurarum exempla congessit magis quam digessit; quae etiamsi ad tollendam dubitationem in locis corruptis ideo saepe non sufficiunt, quia permulta desunt, ex quibus uniuersam cuiusque structurae in sermone functionem et tamquam prouinciam dignoscere possis, tamen saepius plurimum ualent ad rectam emendandi uiam aperiendam aut ad coercendum illum quasi furorem coniectandi et inexplicabilem cupiditatem, qua ante Ritschelium non pauci philologastelli in priscos scriptores grassati sunt. At quantum post Holtzii curas praestandum esset et quot adiutoribus hoc negotium egeret, nuper Eduardi Luebberti ingenium philosophia subactum demonstrauit in sylloge dissertationum,

quam »grammatische studien« inscripsit [1]). Decreui igitur grauissimas ex eis quaestionibus, quae ad rem metricam et grammaticam priscorum scriptorum recteaestimandam necessariae essent, paucis uoluminibus comprehensas tractare aut, si opus esset, retractare. Sed cum ipse uarie occupatus et ad alias studiorum partes traductus nisi per tempus a publicis negotiis relictum non possem huic labori uacare, amicis nonnullis et seminarii philologici ut antea Gryphisualdensis ita nuper Argentoratensis sodalibus maiorem laboris partem tradidi, minorem mihi reseruaui. Hi igitur initio innitatu meo, post autem sua sponte rem aggressi sunt; et quamuis exercitatio et consuetudo eis

1) Eo magis dolendum est quod A. Draegeri »historische syntax der lateinischen sprache«, cuius libri si non perfectionem at conatum tamen laudamus, pendet fere ex Holtzii syntaxi in prisca latinitate enarranda. Quo enim artificio ex significatione longe ab ortu suo digressa eiusque tamquam immemori pristinam genuinamque cuiusque locutionis uim perseutiscas, uisi primordia linguae latinae uetustissimosque scriptores adsiduissime perlustraueris? Caue igitur, ne in Draegeri praeceptis acquiescas, ubicumque de prisca latinitate agitur; cuius rei non est quod longe repetam exempla: uelut statim in uoluminis primi pagina 9, ubi pluralia abstracta a Draegero enumerantur, praeter ea quae Georges (in annt. philol. IIII a. 1872 pag. 323) addidit, ex uno Plauto haec adici poterant: *amores*, *adsentatiunculae* (Stich. 626), *clamores* (Aul. II 1, 46), *cruciabilitates* (Cist. II 1, 3), *cruciatus* (Asin. 314), *custodiae* (Capt. 254), *elecebrae* (Men. 377), *exitia* (Bacch. 1093), *fabricae*, *facetiae*, *falsimoniae* (Bacch. 541), *flemina* (Epid. V 2, 5), *grates*, *honores*, *ineptiae* (Capt. 532), *inpuritiae* (Pers. 411), *odores*, *oppressiunculae* (Pseud. 68), *pieratiunculae* (Stich. 227), *potiones* (Stich. 213), *saltationes* (Stich. 659), *uenustates* (Stich. 278; Pseud. 1257; Poen. V 4, 5), *uigiliae*, *uirtutes*, alia omnibus nota; contra demendum erat ex numero eorum, quae Draeger priscis tribuit, *misericordiae*: nam Most. 802 nunc recte *misericordia* editur. Item aureae aetati Draeger falso haec Plautina uindicauit: *animi*, *iracundiae* (Truc. I, 1, 7), *miseriae*, *rationes*; quin etiam posteriori aetati haec Plautina tribuit: *auctiones* (Epid. II 2, 51; Stich. 385), *cubitus* (Amph. 1122), *fata* (Bacch. 953. 956. 959), *frustrationes* (Most. 1152), *nitores* (Cas. II 3, 1), *querimoniae* (Merc. 15). Nec mirum quod reconditiores fontes ne adiit quidem: uelut ex Placido (Class. auct. ed. Mai uol. III) haec sumi poterant: *adsentiae* (p. 429), *cantilenae* (p. 449), *comesationes* (p. 445), *offuciae* (p. 491; conf. p. 492), *perduelliones* (p. 494) etc. etc.

decesset, tamen eum nulla opinione praeiudicata ducerentur, laboris fructum idoneum perceperunt. Codicum optimorum, quos ipse contuli, lectiones, ubi opus esse censerent, ut in suum usum describerent permisi; item, si quid in scholis a me probabiliter emendatum esse uideretur, concessi ut proferrent. Plagulas typis descriptas corrigendi molestiam ipsi plerumque sustinuerunt. Aliorum philologorum uitia maligne carpi uetui: iussi enim discipulos meos cuiuis mediocriter docto tantum tribuere, quantum sibi fortasse adrogarent, alienumque ingenium suarum semper facultatum modulo metiri. Quae lex cum ubique tum in hac terra obseruanda esse uidebatur, cuius maxime aegra ac fere deposita pars adhuc erat philologorum institutio studiumque humanitatis. Recepi in hunc libellum praeter Augusti Luchs Franconis quaestiones metricas et Eduardi Becker Vireeburgensis grammaticas dissertationem de retractatis fabulis Plautinis a Leopoldo Reinhardt Gryphisualdensi conscriptam [1]; quae etsi longius ab eo consilio abest, quod in hac sylloge secuti sumus, tamen suum locum hic teneat, ne obliuiscantur philologi in patria mea, quam artis amicitiae et gratitudinis uinculis cum academia Gryphisualdensi me coniunctum esse sentiam. Quaestiones metricas, quas ipse conscripsi, alteri huius uoluminis fasciculo inuitus reseruaui, ne libelli huius fines transgrederer. Quem qui sequentur fasciculi partim latina partim uernacula lingua conscribentur, quam in hac terra praecipue colendam esse omnes consentient. Quae in his scriptionibus displiceant, oro ut benigne excusentur ab harum rerum peritis; indigemus enim in hoc Germaniae propugnaculo philologorum Germanorum fauore et beneuolentia, ne laborum officiorumque perpetuitate opprimamur.

Scribebam Argentorati die XXVII m. Ianuar. a. MDCCCLXXIII.

---

1) Luchsianae et Beckerianae dissertationum particulae, Reinhardtiana tota anno 1872 ordini philosophorum Gryphisualdensi ad summos in philosophia honores rite capessendos oblatae sunt.

QVAESTIONES METRICAE

SCRIPSIT

AVGVSTVS LVCHS

Iambicos trochaicosque numeros, quales a ueteribus poetis scaenicis primum sunt litteris Romanis uindicati et ex eo tempore semper usurpati, ab ipsis Romanis inuentos et elaboratos esse cum nullo adhuc quamuis minimo uestigio explorari potuerit, uix dubium esse uidetur, quin eos una cum fabulis Romani a Graecis mutuati sint. Ei autem poetae, quorum maxime fabulae a Romanis uertebantur, ex tragicis erant Euripides, ex comicis Menander Diphilus ceteri, qui nouum comoediae genus excoluerant. Quorum fabulas cum per Siciliam et Italiam inferiorem Romanis innotuisse constet, tamen ipsos Siculos poetas Romani uix unquam imitabantur: et ut imitati sint, tamen ualde ueri simile est Siculos fere easdem atque ipsos Graecos rationes metricas secutos esse. Nostro igitur iure expectaremus Plautum Ennium Terentium ceteros eisdem et legibus et licentiis esse usos, quae apud Graecos ualebant; atque si ab his recederent, uix mirum esse duceremus, ubi Romani plures sibi licentias quam Graeci indulsissent; et re uera sibi indulserunt. Sed Romanos poetas ipsos eas sibi proposuisse leges, quae apud Graecos essent nullae: haec res eo magis admirationem debet commouere, quod neque auctorem eius neque causam ita ut uelimus possumus perspicere. Eiusmodi autem lex erat de pede paenultimo eorum uersuum generum, quae in iambum desinunt: sunt ei iambici senarii, trochaici septenarii, iambici octonarii. Haec lex ut ab ipsis poetis erat obseruata, ita non fugit grammaticos. Diomedes enim, ubi de uersuum generibus exponit, haec nobis tradit (p. 507 Keil, p. 485 Gaisf.): «De iambico comico: iambicus qui uerus est constat ex omnibus iambis ut ‚Anus urente secta pinus in Crago'. hic recipit spondeos uel alios sui generis pedes, id est totidem temporum, etsi non totidem syllabarum — recipit, inquam, spondeos, sed primo et tertio et quinto loco, ultimo autem aliquando

pariambum. — De iambico tragico: iambicus tragicus: hic, ut grauior iuxta materiae pondus esset, semper quinto loco spondeum recipit, aliter enim esse non potuit tragicus; cetera ratio superioris iambici in hoc obseruanda est». — Haec non omnia recte esse exposita facillimum est intellectu: neque enim ullus unquam poeta comicus Romanus illud religiose semper obseruauit, ut solis disparibus sedibus senarii spondeum pro iambo admitteret; sescenti uersus Plautini hanc legem nullam fuisse ostendunt. Deinde minime est ueri simile Romanos iam illo tempore, quo coeptae sunt fabulae doceri, illud de quo grammaticus exponit comici et tragici iambici discrimen cognouisse, ut comici senarii pes paenultimus pro iambo spondeus esse posset, tragici semper esse deberet: quis enim negare audeat recte se habere hos Ennii et Pacuuii uersus: *Exsúrge praeco fác populo audiéntiam.* — *Quadrupés tardigrada agréstis humilis áspera.* ? Sed etiamsi errauit grammaticus, non idcirco omnia, quae tradit, continuo abicienda sunt: nam lex illa de pede quinto senarii tam mira est et tantopere recedit a Graecorum rationibus, ut non possit nullo niti fundamento, et etiam id quod de comico senario proponit, modo recte interpretemur, stare fortasse poterit. Postquam enim uerba illa ad ueteres poetas neque tragicos neque comicos adhiberi posse uidimus, quae tradit grammaticus de uersibus iambicis, aut de Graecis sunt tradita aut de eis Romanorum fabulis, quae posterioribus temporibus si non docebantur tamen legebantur. Atque illud cum propter ipsam rem stare non possit, hoc eo magis ueri fit simile, quod poetas tragicos illis temporibus, quibus Roma ab imperatore regebatur, re uera in senarii pede quinto non admisisse nisi spondeum luculentissime ostendunt eae fabulae, quae sub Senecae nomine circumferuntur: in his enim, si sequimur librorum memoriam, iambus non amplius sex locis obuiam fit:

Thyest.	115:	*Iam Lérna retro céssit et Phŏrónides.*
Troad.	203:	*Despónsa nostris cineribus Pŏlýxena.*
Med.	712:	*Sparsús cruore Caúcasus Prŏméthei.*
Herc. O.	808:	*Excépit omnis hinc petrae Căphérides.*
Troad.	1090:	*His álta rupes cúius in căcúmine.*
Med.	515:	*Phoebí nepotes Sísyphi nĕpótibus.*

(cf. Lachmannus comm. in Lucr. p. 130; L. Muellerus de re metr. p. 149; M. Hochius ,die Metra des Trag. S.' p. 17). His locis omnibus iambus satis eo nomine excusatur, quod finem uersus occupat uocabulum quaternarum syllabarum, quibus uocabulis uix alius in toto uersu locus, ubi minus offendant, potest dari quam finis. Et cum merito possit expectari poetam, si semel legem illam sibi proposuerit, omnino eiusmodi uocabula euitare studuisse, nouissimi Senecae editores suo iure eos tantum uersus intactos reliquerunt, quibus est uocabulum illud nomen proprium: Med. 515 plane deleuerunt ut ,uitio deformem', Troad. 1090 autem probabilis uidebatur Alberti Langii (quaestiones metricae, diss. Bonn. 1851 p. 24) coniectura, qua *fastigio* pro *cacumine* propositum est. — Contra ceteros poetas, quorum poemata ad nostram aetatem permanserunt, non aeque seuere legem illam obseruasse satis constat; nec tamen minus notum est eos studuisse saltem illo uersus pede spondeum uel anapaestum ponere pro iambo. Sed uagum illud studii uerbum nondum in certos fines esse restrictum eo magis dolendum est, quod nostro maxime tempore coniciendi auidissimo exiguus numerus uersuum uitiose in libris traditorum uehementer augetur eis coniecturis, quae, licet cetera sint comprobanda, tamen ob ipsam formam nullo modo stare possunt.

Priusquam in singulos poetas inquiramus, melius cognoscetur, quid eos admisisse putandum sit, si praemiserimus, quid omnibus eis praeter Senecam commune esse inuenerimus, et quibus condicionibus iambus in pede paenultimo minime sit sollicitandus. Omnes autem poetae a Liuio Andronico usque ad secundum fere post Christum natum saeculum in pede paenultimo tum iambum admiserunt,

I. si uocabulum non minus quattuor syllabarum finem uersus occupat, uelut Phaedr. III 2, 15 et IV 18, 34:

Tum sibi timentes qui ferae pĕpércerant.
Nunquám carebunt hóminis contŭmélia.

II. si uocabulum creticum uel paeonem quartum aequans uersus finem efficit, uelut Phaedr. I 12, 12:

Tunc móriens uocem hanc édidissĕ dicitur.

Atque illa exceptio cum se ipsa excuset, quod poeta, ne alterum iambum sequeretur alter, ita solum poterat euitare, ut omnino eiusmodi uocabula euitaret, alterius, quae caret hac excusatione, causa caesura esse uidetur, quae in hac uersus parte intercedit. Est autem nostra de Romanis ratio aduersa fronte contraria Porsono de Graecis exponenti in praefatione Hecubae Euripideae. Vbi enim hoc est caesurae genus, pes paenultimus si apud Graecos debet esse iambus, alioqui semper potest esse spondeus, apud Romanos potest esse iambus, alioqui semper debet esse spondeus. Vt apud Graecos, ita etiam apud Romanos leges illae ad septenarium quoque trochaicum pertinent, neque ueremur ne erremus, si idem de iambico octonario ualuisse contendimus, qui uersus et ipse in iambum desinat. Sed haec caesura, seminouenaria in senario, in septenario post sextum trochaeum intercedens, semper tantum secundaria esse potuit: nam si recedis a dihaeresi senarii, una ea est caesura solum apud Plautum et Terentium, et apud hos quoque rarissimis exemplis confirmata, uelut Amph. 1141: *Tu cum 'Alcumena uxóre antiquam in | grátiam.* Mil. 122: *Video illam amicam erilem Athenis | quaé fuit.* Ad. 463: *Quem frátri adoptandúm dedisti | néque boni.* Ad. 450: *Pol haúd paternum istúc dedisti. | Videlicet.* — Saepius inueniuntur ei uersus, quibus praeter dihaeresin caesura semiternaria additur ad seminouenariam, uelut Amph. 137: *Quo pácto | sit donis donatus | plúrumis.* Asin. 788: *Deme: istic | equidem illám moueri | géstio.* Mil. 1119: *Cognátos | persuadére amicos | cógere.* Poen. prol. 74: *Cupiénti | liberórum osori | múlierum.* Itemque apud Terentium cf. Ad. 13. 57. 355. 389. — Optime sane, si libris nostris manu scriptis maior fides haberi posset, ei uersus caesuram illam demonstrarent, in quibus medio pede quinto hiatus est conspicuus, uelut Capt. 682: *Dum ne ób malefacta péream, parui | aéstumo.* et sic praeterea Amph. 872. 897. Asin. 760. Bacch. 7. 307. Cist. I 3, 11. Curc. 258. 415. Epid. III 3, 17. Men. prol. 13 et 40. 476. 519. 526. 533. 563. Mil. 4. Most. 21. 39. 625. Pers. 67. 697. Poen. I 3, 34. II, 39. V 2, 65. Rud. 533. 859. Stich. 271. Trin. 15. 158. 539. Atque non solum in senariis uerum etiam in septenariis trochaicis eodem loco hiatus raro

occurrit: cf. Amph. 275. Asin. 379. 873. Capt. 337. Curc. 358. Men. 1115. Merc. 852. Mil. 1326. Poen. IV 2, 13. Quamquam haud ignoro hos uersus facile ita posse mutari, ut euanescat hiatus, et iam maximam partem esse mutatos, tamen eis, qui hiatum in caesuris admittunt, solus hiatus in illa uersus parte intercedens non satis erit causae, quamobrem uersus, quos modo laudauimus, sollicitandos esse statuant. Hac igitur caesura factum esse existimo, ut tum admitteretur iambus pro spondeo in pede paenultimo, ubi uerbum creticum efficiens uersus finem occupat, et sermonis interstitio quasi additur tempus unum deficiens. Sed ut haec reuera sit caesura (et est, ut iam commemorauimus, fere semper tantum secundaria), non ea potest accedere caesura primaria, quae illam de qua dicimus non admittat: hoc est, omnibus eis uersibus, quibus ante uerbum creticum ultimum est syllaba breuis, non licet esse caesuram semiseptenariam, sed potius semiquinariam uel—idque rarius—semiternariam. Atque apud Plautum ad caesuram illam seminouenariam semper sola semiquinaria accedit, uelut Men. 4: *Quaeso út benignis | áccipiatis | aúribus.* itemque uu. 76. 83. 231. 272. 335. 486. 492. 556. (732). 733. (744). 874. 883. Apud Terentium contra praeter caesuram semiquinariam Eun. 28. 29. 106. 111. 112. 124. 417. 507. 529. (823). (828). 858 etiam caesuram semiternariam licet statuere Eun. 69. 426. (507). (529). 823. 828. semiseptenariam autem hi soli uersus ostendunt Eun. 58: *Habet úllum, eam consilio | regerĕ | nón potes* — quamquam hic quoquo ita licet statuere semiquinariam, ut post praepositionem *con* in *con|silio* eam intercedere dicamus —, Eun. 840: *Aput 'Antiphonem utérque, | matĕr | ét pater.* In septenario trochaico cum caesurae ita respondeant caesuris senarii:

–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ | – ⏑ | –́ ⏑ | – ⏑ | –́ ⏑ –
⏑ – ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏑ –

ubi pro sexto trochaeo non est spondeus, nunquam licet intercedere solam caesuram post quintum trochaeum, sed post pedem quartum dihaeresin, id quod et a Plauto et a Terentio ceterisque seuerissime obseruatum est, cf. Merc. 224. 383. 464. 616. 872. 874. 896. 947. 975. 981. Hec. 393. 451. 456. 560.

His igitur duabus condicionibus ceteri praeter Senecam poetae in pede paenultimo iambum semper admiserunt: sed nunquam admiserunt

I. si uerbum iambicum sequitur uerbum iambicum;

II. si uerbum creticum uel in creticum desinens uerbo iambico excipitur,

id quod iam demonstraturi sumus. Atque quoniam intelleximus poetas nihil uoluisse interesse inter senarios iamb. et septenarios troch. et octonarios iamb., res ipsa excuset, si breuitatis causa singula uersuum genera non separamus. Priusquam autem in ipsum Plautum inquiramus, pauca liceat praemittere, ut apud posteriores quoque poetas omnes has leges ualere demonstremus. et eorum poetarum, quorum poemata in anthologiis colliguntur, cum maximam partem aetas non possit accuratius definiri, hos quidem non minus a quaestione nostra abesse existimo, quam auctorem Peruigilii Veneris[1], Terentianum, Horatium, Catullum, qui Graecorum rationes secuti sunt. De Varronis autem fragmentis, quae propterea leges nostras neque confirmare neque euertere possunt, quod saepe utrum pedestri sermone an numeris conscripta sint ambigitur, tum demum licebit ferre iudicium, ubi totam hanc quaestionem absoluerimus. —

Ex Pvblilii Syri sententiis eas solas respiciendas esse constat, quae ipsis praeter Turicensem codicibus conseruatae sunt: ceteras, quae maximam partem pedestri sermone conscriptae sunt, omittere licebit, quamuis ex eis quoque hic illic uersiculi possint elici, sed qui ob ipsos numeros magis monachorum et magistrorum, quam Publilii opera confectos sese ostendant. Publilius

---

1) Nescio tamen an unus ille uersus, qui secundum librorum memoriam legi nostrae obstat, corrigendus sit:

u. 89: *'Illa cantat, nós tacemus. quándo uér uenit meúm?*

nam cum uersus proxime insequens ex uirorum doctorum emendatione hunc in modum legatur: *Quándo fiam ceú chelidon ét tacere désinam*, nemo dubitabit, quin etiam in illo uersu tempus futurum multo sit aptius et concinnius, quam, quod nunc legimus, praesens. scribamus igitur: — *quándo uer ueniét meum?* dactylum autem propterea et excusandum et admittendum esse existimo, quod etiam u. 10 eadem uersus parte occurrit.

igitur duabus illis condicionibus, quibus in arsi pedis paenultimi syllabam breuem semper concedi diximus, et ipse iambum admisit. De eis autem uersibus, qui secundum librorum memoriam uel uirorum doctorum coniecturas in bina uocabula iambica exeant, cum iam Woelfflinus p. 57 editionis quae opus erat disseruerit, ego huius quidem generis solum persequar

u. 467: *Perdit, non donat, cui donat nisi ést memor.*

cui Bothius, *qui* F; *donat* Gruterus, *dat* F; *memor* Ingolst., *memoria* F; Bothius: *Perdís, non donas, nisi sit cui donás memor.* Quamuis enim numeri ita possint defendi, ut non *nisist* sed *nis' est* legendum esse statuamus, tamen haec pronuntiandi ratio minus est ueri similis: *nisi si est* autem, quae esset proxima et leuissima mutatio, non omnem aufert suspicionem, quod absentia subiecti maiorem latere corruptelam disertissime indicat. Atque hoc uitio perspecto Bothius ad eam, quam modo excripsimus, mutationem confugit, quae fortasse melius hunc in modum erat proferenda: *Perdis non donas, nisi cui donas ést memor.* Altera emendandi uia patet ea, ut uerba in tertia persona posita retineamus, ad subiectum autem refingendum *non* permutemus in *qui: Perdit qui donat, nisi cui donat ést memor.* — Ex uersibus alteri legi obstantibus eos eximendos esse, quorum exitus ita compositus sit, ut uerbum paeonem quartum efficiens excipiatur uerbo iambico (⏑́ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ –́), ex eis fortasse concludi posse uidetur, quae paulo infra de Plauto Terentioque disputabimus; sed cum secundum librorum memoriam unus tantum eum exitum praebeat:

u. 265: *Iniúriam aures quam óculi fáciliús ferúnt,*

ubi sine dubio praestabit usitatiores numeros restituere: *fácilius quam oculi ferúnt*, u. 348 autem, in quo Woelfflinus edidit: *Magé ualet, qui nescit quod cálamitás ualét* (in codice est *ualet calamitas*), melius plane proscribatur, etiam u. 412 Meyeri coniecturam hanc: *Non sémper aurem fácilem fácilitás habét,* (*habet facilitas* F) in suspicionem uocare non dubito. Potest olim fuisse: *Non sémper faciles fácilitas aurés habet.* — Ceteri uersus uitiosum exitum exhibentes ex coniectura demum editorum pro-

dierunt: uelut pro eo, quod est in libro F: *Viri boni est nescire iniuriam facere*, Woelfflinus edidit:

u. 651 *Viri boni est nescire iniúriám patí.*

uulgo scribebatur: *nescire facere iniúriam*; atque hanc mutationem nullam esse inde apparet, quod in aliis quoque uersibus multis uerba inuerso ordine describendi librarius cod. Frising. insano quodam amore captus fuisse uidetur. Censuit autem Woelfflinus (cf. p. 57 ed.) eiusmodi sententiam abhorrere ab animis ueterum. sed quomodo *facere* pro *pati* scriptura homini christiano tribuenda sit, eo minus elucet, quod u. 484: *Peccáre pauci nólunt, nulli nésciunt* illius quoque uersus sententiam uidetur defendere. Illud solum constat Woelfflini uersum propter numeros minime ferri posse. Atque aut comprobandum est id, quod uulgo scribitur, aut si merito in sententia offendatur, praestabit tamen: *Viri boni est nescire ferre iniúriam.* Si porro numeros defendit uir doctus alterius uersus simili exitu:

u. 592: *Saepe ignoscendo des iniúriaé locúm,*

fugit cum transponendo demum et uiolenter mutando hunc uerborum ordinem praue effectum esse. Sunt enim in cod. Fris. haec: *sapiens semper quiescendi dat locum iniuriae*, unde Gruterus effecit illa, nisi quod *das* scripsit pro *des*. Sed quis est qui neget plane alia in his uerbis latere posse? Itaque nisi cui continget meliorem constituere uersum — mihi enim non contigit —, praestabit sane retinere codicis lectionem integram. Si rectum est quod Gruterus proposuit, debebat saltem haec fere scribere: *Saepe ignoscendo iniúriae detúr locus* (de caesura cf. u. 645), [uel seruato uerborum ordine: *Saepe ignoscendo détur locus iniúriae.*]

V. 364: *Mortem úbi contemnas, ómnes uiceris metús.*

sic edidit W. cum editore Ingolst.; sed cum codex F., qui solus hanc sententiam conseruauit, exhibeat *metus uiceris omnes*, comprobanda est non uiolentior Bothii coniectura haec: *Mortem úbi contemnas, uíceris omnés metus.* Nam in *uicerīs* uix erit haerendum, modo hanc formam modum coniunctiuum esse interpretemur. — Duo alii uersus, qui Publilii esse uidentur et saltem in codicibus traditi sunt:

u. 477: *Perfácile felix quód uota imperánt facit*

u. 536: *Quidquid probis eripitur, improbis datúr,*

adeo sunt corrupti, ut plane eos emendare ego non potuerim. in priore etiam propter sententiam suspicioso, quem ita, ut scripsi, solus cod. Fris. exhibet, haec fere potius sententia uidetur latere: *Perfácile (est) felix, qui, quae uouit, impetrat* (?). In altero uersu et ipsa sententia indicat subesse corruptelam; neque enim potuit scribere Publilius: *quidquid probis eripitur, improbis datur*, sed potius inuersis enuntiatis: *quidquid improbis datur, eripitur probis*, id quod cod. Fris. ostendit haec exhibens: *quicquid improbis eripitur datur probis*. Sed *quod inprobis donatur, eripitur bonis* non ausim commendare. — V. 426 denique: *Nemó timendo ad súmmum peruenít locum* nihil obstare existimo, quominus *peruenit* tempus perfectum esse censeamus. —

Phaedro cum iam Lucianus Muellerus optime consuluerit (cf. de re m. p. 414 et edit. Phaedr. p. VIII sq.), nos statim transeamus ad Lvcilivm. Atque postquam docuit Fleckeisenus (Neue Jahrbücher f. Philologie 1861 p. 575 sq.) *pedis* (= *pediculus*) producta priore syllaba olim pronuntiatum esse, remotus est molestissimus ex eis uersibus, qui legi nostrae obstabant XXIX 25: *Hic me úbi uidet,*

Súbblanditur, pálpatur, capút scabit, pedés legit.

alii eiusmodi uersui Lucianus Muellerus demum (cf. de re m. pp. 315. 366. 423) uitium intulit:

XXVIII 30: *Práeter haece súbsiciuam síquandó uolés oprám.* *opra* pro *opera* quamquam apud Ennium quoque legimus (cf. Klotzius ad Andr. I 1, 25; Geppertus Ausspr. p. 63): *Hic est ille situs, cui nemo ciuis neque hostis Quiuit pro factis reddere oprae pretium*, tamen neminem tanto huius formae amore incensum esse existimo, quin facile eam nostro uersui abroget, si haec potius in codicibus (Non. p. 175) tradi monuero:

praetérea haec subsiciua, siquandó uoles,
Opera . . . .

XXIX 1 legimus apud Gerlachium edita haec:

Hoc cum fécerit,
Cum céteris reus úna tradetúr Lupo:

Non áderit: ἀρχαῖς hóminem et στοιχείοις simul
Priuábit; cum igni et aqua interdixerit, duo
Στοιχεῖα habet, id malúerit: priuabit tamen.

Lucianus Muellerus (de re m. p. 423) laudat hos uersus, ut non semiquinariam sed semiseptenariam potius caesuram (post *una* et *inter*) locum habere statuat. Sed totus hic locus in libris longe aliter traditus est. Nam in M. Valerii Probi in Vergilii bucolica et georgica commentario, quem H. Keilius Halis 1848 edidit, p. 18 haec legimus: *Hoc cum feceris | cum ceteris reus una tradetur Lupo | non aderit ἀρχαῖς hominem et στοιχείοις simul | priuabitur igni cum et aqua interdixerit | duo habet στοιχεῖα adfuerit anima et corpore | γῆ corpus anima est πνεῦμα posterioribus | στοιχείοις si id maluerit priuabit tamen.* Intellegis in ipsis libris id quod nos uituperamus uitium euitatum esse; et quamuis γῆ— πνεῦμα uerba aliquam speciem interpolationis exhibeant, tamen cum optime eum metro quadrent, auferre ea non audeo. Sed uariis corruptelis impeditur intellectus. Primum pro *priuabitur* recte est scriptum *priuabit*, id quod metricae quoque rationes exigunt. Ad cetera autem restituenda sensum totius loci interpretemur necesse est. Atque uidentur duo inter se disceptare, quid tertio optime sit faciendum, et quid, si hoc fecerit, inde consecuturum sit. Dicit A: ,Hoc cum fecerit, cum ceteris reus una tradetur Lupo.' ei respondet B: ,Ad hoc euitandum optimum erit, ut fugiat'. A: ,Tum Lupus eum ἀρχαῖς et στοιχείοις simul priuabit.' B: ,Non omnibus στοιχείοις potest eum, si effugerit, Lupus priuare, sed solis aqua et igni: restant ei igitur saltem duo et ea principalia, anima et corpus. Posterioribus autem illis στοιχείοις, aqua et igni, quia, etiamsi aderit, certe priuabitur, atque fieri potest, ut omnibus interdicatur, praestabit, ut certa praeferat dubiis et duo saltem principalia στοιχεῖα, animam et corpus, conseruet'. Quod si recte intellectum est, ita fere fragmentum restituendum erit:

A: *Hoc cum fécerit,*
Cum céteris reus úna tradetúr Lupo.
B: *Non áderit.* A: *Ἀρχαῖς hóminem et στοιχείοις simul*
Priuábit. B: *Igni cúm et aqua interdixerit,*

Duo habét στοιχεῖα: frúitur anima et córpore
(Γῆ córpus, anima est πνεῦμα): posterióribus
Στοιχείοις, etiam si áderit, priuabit (uel *priuatúr*) *tamen.*
pro *γῆ*, quod restituit Duebnerus, praebent codd.: *Tum* V *vti* P. [Possis etiam aliter ficta sententia de hac uel simili coniectura cogitare: *(γῆ córpus, animast πνεῦμ'): ea, posterióribus Στοιχείοις si carúerit, seruabit tamen*]. — Atque postquam omnium ceterorum uersuum exitus uitiosos abstulimus, non incorruptus esse uidetur is uersus, qui solus restat illa macula insignitus:
XXVI 15: *Nón tu multitúdinem*
Tuórum, quam in album indidísti, déxtra cónficis tibi.
Qui quomodo emendandus sit, quamquam propter paucitatem uerborum non licet absoluere, tamen, ut nunc sunt uerba, praestabit scribere: — *déxtera tibi cónficis;* [potest etiam cogitari de *dextra conficies* (uel *conficias*) *tibi*]. —

PLAVTVS TERENTIVS ceteri poetae scaenici, quos propriam disputandi prouinciam nobis elegimus, duabus illis condicionibus, quibus solis ceteros poetas iambum in pede paenultimo admisisse uidimus, alteras duas addiderunt: neque enim reformidabant iambum, si numerorum uarietate rhythmique celeritate quasi furtim sese insinuat, hoc est si thesis pedis antepaenultimi duabus breuibus syllabis ita efficitur, ut

I. uerbum paeonem quartum efficiens uerbo iambico excipiatur, ═ | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ –́ ‖ . [in his uersibus proxima ante hoc schema syllaba constanter longa fuisse uidetur].

II. ut uocabulo in syllabam breuem desinenti succedant primum anapaesticum uerbum, deinde uerbum iambicum, ═ ⏑́ | ⏑ ⏑ –́ | ⏑ –́ ‖ . [Efficitur autem breuis illa i. e. sexta ab exitu syllaba, quae locum ante dihaeresin occupat, aut α) uocabulo bisyllabo in uocalem exeunte, quae in insequens uerbum anapaesticum a uocali incipiens eliditur, aut β) uocabulo monosyllabo in consonantem exeunte (uerbum insequens anapaesticum a uocali incipit), aut γ) syllaba ultima uocabuli pyrrhichiaci uel in pyrrhichium exeuntis. Ea arsis, quae breuem illam syllabam proxime antecedit, in uersibus congestis sub α) maxi-

mam partem efficitur syllaba producta, sub β) maximam partem syllaba correpta (rarius producta uel duabus breuibus), sub γ) semper syllaba correpta (semel tantum duabus breuibus)].

Contra si ita sunt uocabula syllabaeque distributa, ut deinceps sese excipiant pyrrhichius iambus iambus, = ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑́ | ⏑ ⏑́ ‖, non admiserunt poetae iambum: saltem in ipsis libris nullus eiusmodi uersus traditus est.

Atque prioris condicionis sunt testimonia haec [1]):

Amph. 188 : *Victóres uictis hóstibus legiónes réueniúnt domúm.*
Curc. 86 : *Quisnam ístic fluuiust, quém non récipiát maré?*
Poen. prol. 27 : *Si minus curassint, quóm eri réueniánt domúm.*
Most. 57 : *Stimúleis ⟨terebris⟩, húc si réueniát senéx.*
Phorm. 507 : *Nám neque quo pacto á me amittam néque uti rétinéam, sció.*
Amph. 983 : *Atque út ministres mihi, quom sácruficém mihi.*
Men. 550 : *Iamne ábiit intro? ábiit, óperuit fóris* [2]).

Altera classis his uersibus efficitur:

---

1) Nam Aul. II 2, 21, ubi G. Wagnerus cum Gronouio edidit:
Égo istos noui pólipos, qui ubi quídque teligerínt tenent
(*uibi quidquid tetigerint* B), praeferendum erit, quod praebet J cum Pall. tribus: *teligerunt tenent.* et Rud. 43, ubi edidit Fleckeisenus:
Eam uídit ire e lúdo fídicinó domúm,
solum id recte se habet, quod est traditum in libris:
Eam uídit ire e lúdo fídiciniό domúm.
(*fidicinio* BD[2], *fidicio* D[1]).

Ad uersus supra congestos accedit, si recta est Gulielmi coniectura (a Ritschelio op. II p. 720 n. ** comprobata),
Rud. 1247: *Ne cónscii sint ípsi máleficí suí*
(Ritschelius maluit *malefici sibi*); libri praebent *maleficiis suis.*

2) Liceat hoc statim loco adnectere eos uersus, qui in fragmentis poetarum scaenicorum similes inueniuntur. Coniectura demum effecti sunt:
Pacuu. 172: *⟨Tuo⟩ súb iudicio quae ómnes télinerím gradús*
libri praebent *grados telinerim.* Buechelerus: *Graios telinerim.*
Pacuu. 410: *'Intuentur, néc tuendi cápere sátietás potést*
libri praebent *satietas capere possit* (uel *posset*); sed cf. Vsener. ap. Ribb.
Afran. 100 : *⟨O⟩ quám beatae scaénicae uidéntur múlierés mihi*
libri praebent *uidentur mihi mulieres.*

α)	Persa 733	: *Redín tu tandem? Rédeo. Ne égo hodié tibi.* [*Ne* particula uix producta remanet].
	Pseud. 524	: *Prius quam istam pugnam púgnabo, égo etiám priús.*
	Pseud. 585	: *Bállionem exbállistabo lépide: dáte operám modó.*
	Men. 399	: *Égo quidem neque únquam uxorem hábui néque habeó: neque húc.*
	Trin. 843	: *Huíc ego die nomén Trinummo fácio: nam égo operám meám.*
	Trin. 877	: *Fác me, si scis, cértiorem hosce hómines, úbi habitént, patér.*
	Trin. 897	: *'Ita ut occepi, si ánimum aduortas, dicam. Dábo operám tibi.*
	Truc. II 6, 45	: *Tóllere: ita dolét itaque egomet dólui néque etiám queó.*
	Merc. 394	: *Vidi. uerum nón ex usu nóstrost néque adeó placét.*
	Aul. prol. 20	: *Item á me contra fáctumst: nam ítem obiit diém.*
	Poen. IV 2, 82	: *'Is in diuitias hómo adoptauit húnc, quom diem obiít suúm.*
	Poen. IV 2, 93	: *Ét ita hoc fiet. Próba materies dáta est, si próbum adhibés fabrúm.*
	Most. 1090	: *Éxperiar, ut opínor. certumst. ⟨'Immo⟩ mihi hominém cedó.*
	Merc. 859	: *Néque mihi ulla obsístet amnis néc mons néque adeó maré.*
	Rud. 77	: *Ad uíllam illius, éxul qui íbi habitát senéx.*
	(Most. 523	: *Quid fáciam? Caue respéxis: fúge, operí capút.*)
	Andr. 89	: *Dedit, cenauit. gaúdebam. item alió dié.*
	Andr. 749	: *Satin sánu's, qui me id rógites? Quem égo igitúr rogém.*

In libris ipsis traditur:

Acc. 618: *Profécto hauquaquam est órtus médiocrí satú.*
fortasse: *mediocri est ortus* uel *mediocri ortus est.*

Pseud. 925 : *Númquam edepol erit ille potior quám ego. Hábe animúm bonúm.*
Mil. 1104 : *Qui tú scis eas adésse? Quia oculís meis.*
Cas. II 6, 35: *'Vxor aequa. Nóli uxori crédere. Hábe animúm bonúm* 1).
Adelph. 655: *Sic ést. Miletum usque óbsecro? 'Ita. Animó malést.*
Mil. 804 : *Lépidiores dúas ad hanc rem quam égo ⟨dabo⟩. hábe animúm bonúm.*
Epid. I 1, 43 : *Quór eam emit? 'Animi causa. Quót illic hómo animós habét?*

β) Amph. 914 : *Verúm periclitátus súm animúm tuúm.*
Aul. III 5, 56 : *Spes prórogatur militi in aliúm diém.*
Mil. 39 : *Facéte aduortis túum animum ád animúm meúm.*
Cist. II 3, 52: *Deos téque spero. Eósdem ego, út abeás domúm.*
Men. 640 : *Mé rogas? Pol haút rogem te, si sciam. 'O hominém malúm.* [nisi *O* interiectio producta remanet].
Merc. 202 : *Émisse illam. Visusnest tibi crédere id? Etiám rogás?*
Mil. 1142 : *'Vt lepide derúncinauit militem. 'At etiám parúm.*
Pseud. 810 : *Non égo item cenam cóndio, út alii coquí.*
Poen. II, 52: *Omnis extollo ex hóc die ín aliúm diém.*
Trin. 311 : *Nimio satiust, út opust, ita ted ésse, quam út animó lubét.*
Truc. II 6, 21 : *Péperit mulier, út ego opinor. Vín adeam ád hominém? Voló.*
Andr. 762 : *Tibi dico ego an non? Quid uis? 'At etiám rogás?*
Andr. 907 : *Quid tu Athenas ínsolens? Euénit. séd hicinést Simó?*

---

1) Eundem uerborum ordinem restituit Bothius Mil. 1357: ***Múlto quam alii libertus ésse. Hábe animúm bonúm***; in libris est ***habeo bonum animum***. Idem exitus praestabit pro ***bonum animum habe*** Amph. 545: ***Príus ⟨enim⟩ tua opinione hic ádero. hábe animúm bonúm.*** Fleckeisenus maluit addere ***eo***, quod Plautus alibi semper omisit: ***ádero. ⟨éo⟩ bonum ánimum habé.*** Non minus praeferendum erit ***habe*** pro ***habeto*** Epid. IV 2, 31: ***Périi misera! Né fle, mulier: intro abi, hábe animúm bonúm.***

Heaut. 225 : *Nam hic Clínia, etsi is quóque suarum rérum sát agitát, tamén.*
(Hec. 431 : *In árcem transcurso ópus est. Quoi homini? Tibi.*)

Huic uersuum generi adnumerandus est
Curc. 66 : *Qui quód lenoni núllist id ab eó petás,*
quod *ab eo* quasi unum uerbum efficit.

γ) Trin. 906 : *Cápere soleo. Quíd eist nomen? Quód edepól homini probó.*
Capt. 362 : *Vobisque: uolt te nóuos erús operám daré.*
Truc. II 3, 12 : *Quid mé reuocabas, inprobé nihilique homó?*
Merc. 693 : *Ni súmptuosus insupér etiám siét?*
Stich. 615 : *Quíd ais, Gelasime? 'Oratores tu áccipis: habeás tibi.*
Stich. 574 : *Sét quid agit parasitus noster Gélasimús? etiám ualét?*
Phorm. 162 : *Aliis, quia defit quód amant, aegrest: tibi, quiá superést, dolét.*

Hac de causa non offendunt
Curc. 27 : *Nec mé ille sirit Iúppitér. Ego itém uoló.*
Andr. 267 : *Quis hic lóquitur? Mysis, sálue. O salue, Pámphilé. Quid agit? Rogás?*
Amph. 345 : *'At iam faciam ut uérum dicas díceré. Quid eóst opús?*
Men. 211 : *Aút sincipitaménta porcina aút aliquid ad eúm modúm.*

Non igitur opus est, ut natura longam syllabam ultimam statuamus in uersibus his: Aul. II 8, 8: — *ómnibús adii manúm;* Epid. III 4, 35: — *légibús habeás licét;* Most. 402: — *aédibús habitét. Licét;* Most. 1118: — *aúribús oculis labrís;* Capt. 159: — *géneribús opus ést tibi;* Pseud. 1185: — *hóminibús opus ést. Ehó;* Amph. 882: — *aédibús. ita mé probrí;* Persa 186: — *ómniá memini ét sció;* Stich. 209: — *máxumá miseró mihi;* Heaut. 1055: — *ómniá faciam: ímperá;* Heaut. 1059: — *fácilià. Faciám, patér;* Men. 887: — *dúceré medicum án fabrúm;*

Poen. III 3, 15: — *quaéreré comitém sibi;* — (Asin. 110: — *lúbitum erit animó meó*).

His igitur condicionibus poetae scaenici iambum in pede paenultimo non reformidabant; reformidabant autem, ut omnes ceteri, ubi uerbum iambicum uel creticum uel in creticum desinens uerbo iambico excipitur. Sed de eis uersibus, qui his legibus obstare uidentur, primum quidem sunt detrahendi

Pseud. 800 : *Set quór sedebas in foró, s i e r á s c o q u ó s.*
Poen. I 2, 77: *Nám illa mulier lápidem silicem súbigere, út s e a m é t, p o t é s t.*
Eun. 400 : *Verbis saepe in se tránsmouét, q u i h a b é t s a l é m.*
Eun. 474 : *Ita mé di ament, honéstust. Quid t u a i s, G n a t h ó?*
Hec. 495 : *Matris seruibo cómmodis. Quo a b í s? a d é s.*
Adelph. 143 : *Me aegré pati illi nólui: n a m i t á s t h o m ó.*

in his enim uersibus pes paenultimus non continetur iambo, sed anapaesto, quod cum hiatu semper pronuntiandum est:

sĕ ămét, quĭ hăbét. e. q. s. —

Secundo loco sunt eximendi

Bacch. 902 : *Abeo ád forum igitur. Vél ⟨tu⟩ hercle in m a l á m c r u c é m.*
uel tu Ritschelius, Kampmannus, Hermannus; *uel* libri; *immo* Brixius.
Cas. III 4, 21: *Ducás easque in máxumám m a l á m c r u c é m.*
Cas. V 4, 8 : *'Occidi. Etiamne ímus cubitum? Cásina sum. I in m a l á m c r u c é m.*
i in A; *in* libri ceteri.
Capt. 469 : *'Ilicet parasíticae artí in máxumám m a l á m c r u c é m.*
Fleckeisenus edidit nescio qua de causa *maxumam in malam crucem.*
Curc. 611 : *Sí uis tribus bolís uel in chlamudem. Quín tu is in m a l á m c r u c é m?*
Curc. 693 : *'Vt pereatis. Cóllum obstringe, abdúce istum in m a l á m c r u c é m.*

Men. 66 : *Apstráxitque hominem in máxumám malám crucém.*

Men. 328 : *Numquid uis? Vt eas máxumám malám crucém.* *maxumam in* cum FZ Ritschelius, *in maximam* Bb.

Men. 916 : – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ *Quin tu is in malám crucém?*

Men. 1017 : *Pécte pugnis. 'Agite abite: fúgite hinc in malám crucém.*

Persa 352 : *Feránt eantque máxumám malám crucém.* *maximam* A; *in maximam* libri ceteri.

Most. 850 : – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ *ábin hinc in malám crucém?* *in malam* B; *malam* CD.

Poen. I 2, 134 : *Béllula hercle es. 'I dierecte in máxumám malám crucém.*

Poen. II, 47 : *Nisi aút auscultas aút is in malám crucém.* *aut auscultas* A; *auscultas* libri ceteri; *auscultabis* Geppertus.

Poen. III 1, 8 : *Quin, si ituri hodie éstis, ite, aut ite hinc in malám crucém.*
hodie estis Bothius; *estis hodie* libri.

Poen. III 5, 44 : *Sed quid ego dubito fúgere hinc in malám crucém?*

Poen. III 6, 4 : *Abscéssit. Vtinam hinc ábierit malám crucém.*

Poen. V 5, 30 : *Lubét? Ita dico. Ligula* (?), *i malám crucém.* *alecula* (?) Geppertus; *ligula* A cum ceteris; *Legula* B; *i* A, *i in* D et corrector codicis A, *In* B, *in* C.

Pseud. 839 : *Sine sis loqui me. Lóquere atque i in malám crucém.* *i in* Camerarius; *in* libri.

Pseud. 846 : *It incenatus cúbitum. I in malám crucém.* *in* C; *i in* ceteri.

Rud. 176 : *Set déxtrouorsum auórsa it in malám crucém.*

Rud. 518 : *Quin tu hinc is a me in máxumám malám crucém?*

Trin. 598 : *Ibit istac aliquo in máxumám malám crucém.* *istinc* Dousa; *iste hinc* Ritschelius; *statim* Brixius.

Conferas:

Cas. III 5, 17: *'Obtine aurés, amabo. I in malám crucém.*
Poen. I 2, 59: *I in malám crucém. tun audes étiam seruos spérnere?*
Poen. II, 49: *Malám crucem ibo pótius. Certumnést tibi?*
Pseud. 335: *I in malám crucem. 'Istuc ibit Iúppiter lenónius.*
i in A, *in* libri ceteri.
Pseud. 1182: *I in malám crucem. 'Ilicebit támen tibi hodie témperi.*
ilicebit Studemundus; *ire licebit* libri.
Pseud. 1294: *Di te ament, Pseúdole. fu, i in malám crucém.*
In omnibus his uersibus illud memoratu dignum est semper esse *malam crucem*, nunquam *crucem malam*. Deinde non licere uidetur *malam crucem* alio uocabulo inserto dirimi: in uno eo uersu, qui huic legi officit Men. 849: *Ni iam ex meis oculis abscedat in malum magnám crucem*, merito offendit Ritschelius eumque hunc in modum edidit: *Ni iam ex meis oculis abscedat máxumam in malám crucem;* praestabit tamen omittere *in*; contra *in magnam malam crucem,* quod primo obtutu se offert, uix recte conicias. — Tum semper pronuntiatum est *malám crucém;* unum uersum, qui praebet *málam crucém*, C. F. G. Muellerus (Pl. Pros. p. 123) sine dubio recte mutauit: Rud. 1162: *Pérge, te obsecró, continuo. Plácide aut ite in málam crucem;* sic libri, Muellerus *i* pro *ite*. Potest ambigi de usu Terentii, apud quem *malam crucem* locutionem non saepius legimus quam semel: Phorm. 368; discrepant enim libri e recensione Calliopii (*Videás te atque illum*) *ut nárras. 'Abi hinc in málam crucém* a codice Bembino qui praebet: *(Videás te atque illum) ut nárras. I in malám crucem.* Rem maxime dubiam ac difficilem equidem non audeo discernere, quamquam id quod praebet A praeferendum esse uidetur. — Denique memoratu dignum est *in* praepositionem modo addi modo omitti. Ex his omnibus apparet *malam crucem* non solum unam esse locutionem, sed potius unum uocabulum atque quasi nomen proprium eadem significatione, quam alibi exhibeat Acheruns: quod si non esset, adiectiuum uelut (*magna* et) *maxima* uix posset accedere. Ei igitur uersus, qui in *malam crucem* desinunt, non exeunt in bina uerba iam-

bica, sed in singula uerba diiambica, quae Plautum admisisse constat. —

Denique de uersibus legi nostrae obstantibus eximendi sunt

Most. 670 : *Tuus émit aedis filiús. Bonán fidé?*

Truc. II 7, 30 : *'Inpudens mecástor, Cyame, es. 'Egone? Tú boná fidé.*

non minus enim, quam illud *malam crucem*, unum quasi uerbum esse *bona fide* intelleges ex

Aul. IV 10, 42: *Dic bona fidé: tu id aurum nón subrupuisti? Bona.*

Capt. 890 : *Dic, bonan fidé tu mi istaec uérba dixisti? Bona.*

Pseud. 1095 : *Bonán fide istuc dícis? Vnde ea sít mihi.*

Persa 485 : *Quin tibi me dico crédere. Dic bóna fide: iam liberast?*

hic uersus grauiter corruptus ex duobus conglutinatus esse uidetur. — Vnus is uersus, qui dirempta habet *bona fide* inserto uocabulo tertio: Poen. I 3, 30: *Ita mé di amabunt. Vín bona dicám fide?* nescio an et ipse corrigendus sit in: *Vín dicam boná fide* (?). —

Iam disseramus de ceteris uersibus, et primum quidem de eis, qui libris alia exhibentibus uirorum doctorum demum coniecturis deformati sunt. Atque in satis magno eorum numero hiatus erat causa uitiosi illius exitus constituendi, uelut

Asin. 775 Spengelius (T. M. Plautus p. 237) suasit:
Neque illaec ulli péde homini pedém premát.

Cist. IV 2, 87 C. F. G. Muellerus (Pl. Pros. p. 537):
Istic quidem edepol hábitat mei uirí genér.

Rud. 183 Bothius et Lomanus (specim. p. 60):
Si apúd me esuru's, mihi operám darí uoló.

Capt. 373 et Fleckeisenus et Brixius et Spengelius (l. l.):
Sequere: ém tibi hominem. Hábeo grátiám tibí.

Mil. 1425 Ritschelius et Fleckeisenus et Lorentius et Spengelius (l. l.):
'Obsecro uos. Sóluite istunc. Hábeo grátiám tibí.

Most. 1165 Spengelius (l. l.):
Si hóc pudet, fecisse sumptum, hábeo súpplicí satís.

Pseud. 346 Spengelius (l. l.):
Militi Macédonio, et iam hábeo quíndecím minás.

In libris autem omnibus uno consensu hic uerborum ordo traditus est:

Neque illaec ulli péde pedém homini premát. [1])
Istic quidem edepol mei uiri habitát genér. [2])
Si apúd me esuru's, mihi darí operám uoló. [3])
Sequere: ém tibi hominem. Grátiám habeó tibi.
'Obsecro uos. Sóluite istunc. Grátiám habeó tibi.
Si hóc pudet, fecisse sumptum, súpplici habeó satis. [4])
Militi Macédonio. et iam quindecim habeó minás.

Sane facillimum est negotium hiatum ita auferre, ut uocula aliqua inanis inseratur, uelut *hercle* nuperrime addidit C. F. G. Muellerus (Nachtr. p. 122) Mil. 1425: *grátiam ⟨hércle⟩ habeó tibi*; uel *iam* Ritschelius cum Acidalio Most. 1165: *súpplici ⟨iam⟩ habeó satis*; uel *domi* siue *intus* Ritschelius Pseud. 346: *quindecim hábeo ⟨dómi⟩ minas, quindecim hábeo ⟨intús⟩ minas*; uel *inde* Muellerus (Nachtr. p. 141): *quindecim ⟨inde⟩ habeó minas*; uel *usquam* Ritschelius et Fleckeisenus Asin. 775: *péde pedem ⟨úsquam⟩ homini premat*, uel *clam* Muellerus (Pl. Pros. p. 537): *péde pedém ⟨clam⟩ homini premat*. Eiusmodi igitur uoculas excogitare haud ita acutae mentis esse constat, sed num hac crisis ratione Plauto restituamus, quod Plautinum est, satis dubium esse uidetur.

1) Asin. 775: *Nec illaec ulli péde hominí pedém premát* eam quoque ob causam reiciendum est, quod secundum usum Plautinum non uidetur licere *pede pedem* inserto alio uocabulo dirimi. (cf. Ad. Kiesslingius in Mus. Rh. XXIII p. 411 sq.)

2) Pro *istic quidem* scribendum esse *isti quidem* atquo adeo *istiquidem* alibi demonstrabo.

3) Si Rud. 183 scripsit Fleckeisenus: *Si apud méd esuru's, míhi dicari operám uolo* — quam coniecturam Ritschelius comprobat —, non neglegendum est *operam dare* dictionem saepissime, *operam dicare* nusquam alibi apud Plautum occurrere.

4) Si hiatus remouendus esset, ad similitudinem Adelph. 313: *Satis mihi id habeam súpplici* et Phorm. 1029: *Rédeat sane in grátiam: iam súpplici satis ést mihi* (et Andr. 903: *Pro peccato magno paulum supplici satis est patri*) posset etiam conici: — *supplici id mi habeo satis* uel — *supplici id habeo satis* uel — *supplici satis est mihi* uel alia similia (cf. etiam Persa 854: *Satis sumpsimus supplici iam*). —

Immo contendo ego (cf. Lachmannus in Lucr. pp. 195 et 388) omnia uerba iambica, quae quidem uerbum monosyllabum longum uel disyllabum pyrrhichiacum excipiant, et omnia uerba cretica, siue in uocalem longam siue in *m* litteram desinant, hiatum admittere in dihaeresi ante ultimam dipodiam iambicam, cuius rei documenta praeter uersus supra congestos praebent hi:

Most. 999 : *Numquid processit ád forúm hodié noui?*
Merc. 615 : *Nón tibi istuc mágis diuidiaest quám mihi hodié fuit.*
Poen. I 1, 48 : *Se amáre uelle atque óbsequi animó suó.*
Curc. 41 : *Oblóquere. Fiat máxumé. Etiám tacés?*
Poen. I 1, 63 : *Aphrodisia hodie súnt. Sció. Oculós uoló.*
Poen. I 3, 23 : *Neque quántum aquaist in marí. Abitúrun és?*
Bacch. 134 : *Ibidem égo meam operam pérdidí, ubi tú tuám.*
Curc. 308 : *'Eloquere obsecro hércle. Eloquere, te óbsecró, ubi súnt meae?*
Poen. V 2, 28 : *Pro di inmortales! plúrumei ad illúm modúm.*
Persa 433 : *Mirúm quin tibi ego créderém, ut idém mihí.*
Vidul. I, 7 : *Dare póssum opinor sátis bonúm operáriúm.*
Vidul. II, 32 : *Quom mihi, qui uiuam, cópiám inopí facis.*
Poen. II, 49 : *Certúm. Tum tu igitur die bonó, Aphrodisiis.*
(Poen. IV 2, 81 : *Qui éum subrupuit, húc deuexit meóque eró eum hic uéndidit.*) [1])

Huic uersuum generi adnumerandus est fortasse etiam Aul. IV 4, 31: *Iúppiter te dique perdant. Haú malé agit grátias,* pro qua librorum memoria non debuit edere G. Wagnerus: — *Haút male grátiás agit.* Nescio tamen an *haut* sit dirimendum, ut efficiatur: — *Váh ut mále agit grátiás.* C. F. G. Muellerus nuperrime (Nachtr. p. 122) proposuit: — *Haúd male egit grátias*, quae coniectura propterea reicienda est, quod in

---

1) His uersibus adiungit Geppertus (Ausspr. p. 45) secundum memoriam cod. Ambr.:

Poen. V 2, 60: *Ad méssim credo, nísi quidém aliúd sapit.*

at non haec extant in A, sed potius (secundum Studemundum):

Ad méssim credo, nisi quid tú aliúd sapis,

id quod aut integrum est retinendum, aut mutandum in

Ad méssim credo, nísi quidem tu aliúd sapis.

eiusmodi dictionibus alibi semper tempus praesens usurpatur, quare etiam Trin. 659 non possum comprobare Ritschelium Fleckeiseno suasore nunc edentem: *súmmam habebo grátiam*; cf. Capt. 373. Rud. 835. 1397. 1412. Trin. 506. Most. 431. Mil. 1228. 1425. Persa 540. 720. Poen. III 3, 27. V 2, 81. Rud. 906. 1222. Trin. 821 et sic etiam Terentius. —

Aul. arg. I, 2, ubi libri praebent *Domi suae defóssam multis cúm opibus*, Guyeti coniecturam hanc:

Defóssam multis ópibus cúm domi suaé

fortasse ita quis possit amplecti, ut retineat *cúm opibús*: nam exitus uersus, ut est in libris traditus, sane magnopere displicet; sed non minus molestum est, quod initium duobus iambicis uocabulis efficitur. Atque si est operae pretium hunc poetastrum corrigere, malim ego — cf. prol. 6 sqq.: *concrédidit Auri thensaurum clam ómnis: in medió foco Defódit* — librorum memoriam hunc fere in modum supplere:

Domi súae defóssam múltis cum ópibus ⟨in focó⟩. —

Amph. 1086 legimus apud Fleckeisenum edita haec:

'Amphitruo: piam ét pudicam tuam ésse uxorem uti sciás,

quam lectionem comprobauit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 699) et ex parte Spengelius (T. M. Pl. p. 204). Cum uero B exhibeat: *Amphitrio piam et pudicam tuam esse uxorem ut scias*, et D: *Amphitrio piam et pudicam esse uxorem ut scias*, illud quidem constat finem huius uersus esse *uxorem ut scias*. Hiatui autem, qui est inter *tuam* et *esse*, satis est praesidii in tribus illis uersibus Merc. 181. 479. 888 ceterisque quos congessit A. Spengelius (T. M. Pl. p. 204 sqq.). [Kochius proposuit: *tuam esse uoxorem ut scias*.] Ex librorum autem discrepantia iure possis concludere *esse* deberi librario, genuina uero fuisse fere haec: — *túam ⟨tibi⟩ uxorem út scias.* —

Casin. prol. 47 olim uulgo perperam legebatur:

Postquam éa adoleuit ád eam aetátem, uti uirís.

omnium codicum lectionem: *ad eam aetatem ut uiris* Geppertus nuper ita studebat defendere, ut hiatum inter *eam* et *aetatem* intercedere statueret. Posset etiam alter inter *aetatem* et *ut* locum

habere, nisi esset ueri similius *ut* esse corruptum, uersum autem hunc in modum constituendum:

Postquam éa adoleuit ád eam aetatem, quí uiris Placére posset. (?) —

Casin. V 4, 25 Geppertus edidit:

Cénseo ecastór hanc ueniam dándam. Fáciam u t í i u b é s.

sed AB praebent: *Censeo ecastor hanc ueniam dandam. Faciam ut iubes* (non *uti*, ut ex Gepperti apparatu critico conieceris), nisi quod B totum uersum uni personae tribuit. Atque si contuleris hos uersuum exitus: Most. 929: — *filió. Faciam út iubés;* Cas. II 6, 67: — *núptiás. Faciam út iubés;* Asin. 369: —, *pró asinis. Faciam út iubés;* Bacch. 228: — *Bácchidi. Faciam út iubés* (cf. Phorm. 795. Hec. 719), non dubitabis, quin illo uersu aliquid exciderit, uelut:

Cénseo ecastór hanc ueniam dándam ⟨*ei*⟩. *Faciam út iubes.* (?)

Nam datiuum, etsi non sit necessarius, tamen non superuacaneum esse docent uu. 19 et 26. Si datiuum supplere non uis, uel scribendum est: — *dándam. Faciam ita út iubes* (cf. Amph. 1143. 541), uel transponendum: *'Ecastor hanc* (uel *Hánc ecastor*) *uéniam dandam cénseó. Faciam út iubes.* —

Epid. II 2, 94 C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. pp. 306. 555. cf. Nachtr. p. 32) proposuit:

'Vbi erit empta, ut áliquo ex urbe amóueas, nisi q u i d é m t u á

Secust sententia.

Libri praebent: *'Vbi erit empta, ut áliquo ex úrbe ámoueas, nisi quíd tua*, ad quem hiatum remouendum scripsit Bothius: — *áliquo ex úrbe amóueas nisi si quíd tuá;* Geppertus: — *áliquo ex úrbe amóueas nisi si quí tuá;* Ritschelius: — *áliquo ex úrbed ámoueás nisi quíd tuá* uel — *áliquod éx urbe ámoueas nisi quíd tuá.* Atque quamquam hiatus in dihaeresi minime offendit, tamen non dubito, quin genuina lectio potius haec sit:

'Vbi erit empta, ut áliquo ex urbe ⟨*eam*⟩ *ámoueas, nisi quíd tua.* —

Merc. 692 pro librorum memoria: *Parumne est malae rei,*

quod amat Demipho proposuit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 515) has duas coniecturas:

Parúmnest, quod amat Démiphó m a l a é r e i

et *Parúmnest, quod amat Démiphó r e i m a l a é.*

Atque posterior quidem, ubi nescio, utrum *rei* uir doctus spondeum an iambum aequare uoluerit, reicitur loquendi usu Plautino; nam cum *mala res* sit quasi unum uerbum et eandem habeat significationem atque *malum*, (unde factum est, ut dici posset *magna mala res*, *maxima mala res*), semper cluet *mala res* apud Plautum, cuius uerborum ordinis sunt testimonia Amph. 327. Asin. 44. 288. 415. Aul. IV 6, 15. Bacch. 1142. Capt. 877. Cas. II 3, 12. Cist. I 3, 12. Epid. I 1, 72. Men. 496. Merc. (300). 616. Most. 867. Mil. 471. Poen. I 2, 82. III 4, 35. IV 2, 51. IV 2, 106. V 2, 138. V 5, 37. Persa 288. Pseud. 234. 454. 770. 1006. Rud. III 3, 12. Trin. 554. 1045. Truc. V, 45. (Phorm. 930. Eun. 536. Andr. 317. Heaut. 289). Contra *res mala* uno tantum loco occurrit Capt. 202: *In ré mala animo sí bono utare, ádiuuat*[1]: itaque altera illarum coniecturarum uix constare poterit. Sed etiam prior, quae eodem nomine excusari possit, quo supra uersus in *malam crucem* et *bona fide* exeuntes defendimus, tum reicienda est, ubi leuior emendandi uia aperitur. Atque sane displicet quod scripserunt Ritschelius: *Parúmne hoc est* et Lachmannus: *Parúmnest id;* ueri autem simillimum est hoc olim fuisse

Parúmne sit malaé rei, quod amat Démipho,

Ni súmptuosus ínsuper etiám siet? —

Aul. arg. II 1 uersum, ut est in libris traditus, hiatibus insignitum: *Aulám repértam aúri plénam Eúclió* Ritschelius (op. II p. 417) hunc fere in modum supplendum esse existimauit:

Aulám repertam plénam auri E ú c l i ó s e n é x.

Sed, siquidem est operae pretium hunc uersum sollicitare, ni–

1) Hunc uersum corruptum esse eo facilius aliquis coniciat, quod in loco simillimo Pseud. 454: *Bonus ánimus in malá re dimidiúmst mali* usitatus uerborum ordo legitur; possit olim fuisse: *Animo ín mala re sí bono utare, ádiuuat* uel: *Bono ín mala re sí animo utare, ádiuuat.* Merc. 133 B praebet *res mala*, sed in CDFZ est recte *male res* = *malae res*.

hil impedit, quominus quouis alio modo hiatum expellamus; uelut non inepte scripsit Bothius:

Aulám repertam ⟨audrus⟩ plenam auri Eúclio. —

Cas. arg. 1 suasit Ritschelius (op. II p. 415):

Conséruam uxorem cónserui éxpetúnt duó.

cum in libris sit traditum: *Conséruam uxorem dúo consérui éxpetunt;* si remouendus est hiatus, malim uoculam aliquam inserere, uelut *una*. —

Cas. III 2, 20 C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 551) proposuit:

Própter operam illius hirqui edéntuli improbi senis.

ea, quae traduntur in libris: *Propter operam illius hirqui improbi edentuli* Ritschelius ita studebat sustentare, ut cum Weisio *atque* ante *edentuli* insereret, idem nuper addidit *hirquini* pro *hirqui*. Geppertus autem omnino nihil mutandum esse existimauit.

In aliis uersibus librorum memoria sine ulla causa mutata est, ueluti quod

Amph. prol. 104 scripsit Lomanus (specim. crit.-litt. p. 2):

Iam ego uós nouisse crédo, ut sit patér meús.

nam libri praebent recte: *Nam ego uós nouisse crédo iam ut sit páter meus*, nisi quod in fine melius scribitur cum Fleckeiseno *meus pater*, qua emendatione et numeri redduntur elegantiores et usitatus uerborum ordo restituitur. —

Epid. V 1, 48 Fleckeisenus in Jahni Annal. LXI p. 27 proposuit:

'Epidice, fateór. Abi intro ac huic calefieri aquám iubé.

sed quod traditur in libris: *'Epidice fateór. Abi intro ac iúbe huic aquám calefieri,* sine dubio retinendum est, et si quid erit nouandum, melius cum C. F. G. Muellero (Pl. Pr. p. 46) scribetur *i* pro *abi* (?). —

Men. 689: *Túte ultro ad me détulisti, dóno mihi dedisti eám.*

sic uerba transposuit Ritschelius; in libris omnibus est: *dédisti*

eám donó mihi; et cum ea uocabula, quae elisione bisyllaba facta sunt, easdem leges sequantur, quas omnia cetera bisyllaba, atque *dedist(i)* cum accentu in prima syllaba non plus offensionis habeat, quam *dédi, háben* sim., certe quae in libris traduntur seruari possunt; liceat tamen etiam: — *mihi dedisti dono eam.* —

Mil. 624 scripsit C. F. G. Muellerus (Pl. Pros. p. 205):

Nóuo modo tu, homo, amás, siquidem te quicquam quód facis pudét.

faxis BbDb; *taxis* BaCDa: *faxis* autem forma hic proprium suum habet locum, cum non agatur de re quae fiat, sed potius de ea, quae facienda sit; itaque retinendum esse uidetur: *quod faxis pudet*; (an *facias*?). —

Epid. V 2, 3 edidit Geppertus, eumque in fine uersus secutus est C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 742):

Táce modo: sine me hóminem apisci. Dico ego tibi iam uti sciás.

tace sis modo codd. omnes; *adipisci* B a m. sec.; *apisci* Pall. et Par.; *ut* codd. omnes. — *uti* pro *ut* inde uidetur duxisse originem, quod non placuit *ego* producta syllaba altera pronuntiatum. Sed cum uix idonea causa sit, cur *ĕgō* mensuram Plauto abiudicemus, hoc uersu librorum memoria eo certius retinenda est, quod, etiamsi *ĕgŏ* semper fuerit, in hac uersus parte syllabam breuem saepius locum habere uidimus. Erat igitur potius: *Dico egó tibi iam út sciás.* (ad initium uersus constituendum — in libris enim est: *Tace sis modo: sine me hominem apisci* — proponit Muellerus (l. l.): *Táce sis. sine modo hóminem apisci me. 'Ego iam tibi dico út scias;* malim ego: *Táce sis. sine modo hóminem apiscar. Dico etc.*). —

Pseud. 286 proposuit Ladewigius (pro eo quod est in BCD: *Quid si non habui? Si amabas inuenires tuum*):

Quid si non habui? Si amabas inuenire erát tuóm.

sed cum Pius iam coniecerit: *inuenires mutuum*, et haec lectio secundum Studemundum etiam in codice rescripto extet, retinendum est quod Ritschelius edidit:

Quid si non habui? Si amabas, inuenires mútuom.

Stich. 260 sqq. Ritschelius in editione ita constituit;

Croc. *Nullán tibi linguast?* Gel. *Quaé quidem dicát ,dabo',*
Veterém reliqui: eccillam quae dicát ,cedo'.
Croc. *Malúm di tibi dent . . . .*
Gel. *Malúm quidem si uis, hóc eadém dabit tibi.*

uu. 260 et 261 bene se habent; pro uu. 262 et 263 unum uersum praebet et A: *Malum quidem si uis — Haec eadem dicit tibi,* et libri Pall.: *Malum tibi di dent. GE. Haec eadem dicit tibi.* Ex hac discrepantia merito conclusit Ritschelius non unum sed potius duos uersus hic latere; sed eum ueram corruptelae sedem indagauisse equidem non uelim contendere. Primum enim non *dicit* erat mutandum, sed *tibi*, quod sine dubio ex *dabo* corruptum est, quamquam *dicet* fortasse aptius esse, quam *dicit*, uidebimus. Deinde etiam *haec eadem*, quae uerba uno omnium librorum consensu traduntur, plane seruari possunt, modo ea, quae praecesserint, recte suppleamus. *Haec eadem* sc. lingua ea sola esse potest, *quae dicat ,cedo'*, et uidetur illud inprimis studendum esse, ut hunc sententiarum nexum efficiamus: ,Si quid aliud uis, Gelasime, lingua mea semper ipsa dicet *cedo*, sed si uis malum, haec eadem lingua, quae alias dicat *cedo*, libenter dicet *dabo*'. Itaque ueri est simile Crocotium in uersu corrupto uerba fecisse de ,lingua quae dicat *cedo*', ut uersus illi hunc fere in modum restitui possint:

260 Croc. *Nullán tibi linguast?* Gel. *Quaé quidem dicát ,dabo',*
261 *Veterém reliqui: eccíllam, quae dicát ,cedo'.*
262 Croc. *Malum ísti di dent línguae, quae dicát ,cedo'.*
263 Gel. *Malúm quidem si uis, haéc eadem dicét ,dabo'.*

u. 261 pro *ueterem* (A praebet *uentri* uel *ueneri*) praestabit fortasse *peregre* (?); u. 262 possis etiam: *Malúm tibi di dent cum ísta, quae dicát ,cedo'.* Ceterum moneo C. F. G. Muellerum (Pl. Pr. p. 689 sq.) u. 261 ita describere: *Veniuit: relicua éccam est quae dicát ,cedo'.* —

Stich. 583 Ritschelius hunc in modum edidit:

'Adgrediar hominem. ó sperate Pámphile, ó salús meá.

libri autem praebent: *Adgrediar hominem. Sperate Pamphilippe, o spes mea.* Atque sane minime est ueri simile dixisse Plautum et ,*sperate* Pamphilippe' et ,o *spes* mea': alterum utrum cor-

ruptum esse debet. Atque cum finis uersus mutationem uix admittat, usus autem *sperate* uerbi, qualis nostro uersu reperitur, satis singularis sit, numeros ego ita constituo:

'Adgrediar hominem. éxoptate Pámphilippe, o *spés mea.*

exoptate enim is, qui ex itinere domum reuenit, alibi quoque haud raro appellatur, uelut Curc. 305 sqq.: *Haú magis cupis tú me, quam ego te cúpio. O mea opportúnitas, Cúrculio exoptáte, salue. Sálue. Saluom gaúdeo Te áduenire.* Capt. 1005: *Sét erus eccum ante óstium et erus álter eccum ex 'Alide Rédiit. Salueto, éxoptate gnáte mi.* Amph. 654: *'Edepol me uxori éxoptatum crédo aduenturúm domum.* Amph. 658: *me optato uenturum scio.* Andr. 533: *optato aduenis.* Heaut. 407 sq.: *Teneóne te, Antiphila maxume éxoptata animó meo* (in libris est *animo exoptata meo* et *animo expectata meo;* uulgo *animo exoptatam meo*). — *Pamphilippe* autem retinui, ut ceteris quoque uersibus idem nomen restituendum est. Praeterea commemoro Darnmannum in progr. Graudentii 1870 p. 12 maluisse exitum huius uersus ita constituere: — *o sperate Pamphilippe, o p e s m e a.* (pro *exoptate* possis etiam *expectate* conicere, cf. Amph. 658. 659. 679. Heaut. 406. Pacuu. 232 R.) —

Mil. 492 sine ulla causa Camerarius ea, quae recte in libris tradita sunt: *Metuo, illaec mihi res né malo magnó fuat,* mutauit in

Metuo illaec mihi res né magnó m a l ó f u á t. —

Bacch. 334 edidit Hermannus, et cum eo Ritschelius:

Nescit quid faciat aúro. Mihi d u i t u e l i m.

libri Palatini omnes exhibent *Mihi dederit uelim*, ad quem proceleusmaticum auferendum uiri docti propterea *mi dederit* scribere dubitabant, quod *mihi*, ubi in thesi (uel potius, ut cum Ritschelio loquar, in arsi) pedis est positum, non licere in *mi* mutari sibi persuaserunt. Sed hanc regulam non omni carere exceptione iam Bergkius (Diurn. antiqu. stud. 1850 p. 329, 1851 p. 222 sqq.) monuit, contra quem iterum disputauit Ritschelius op. II p. 588 sqq. Sed utcumque haec res se habet, ego malim ferre proceleusmaticum *mihi dederit* quam comprobare *mihi duit.* Illa Hermanni coniectura *mihi duit* aliam quoque ob causam reicienda

esset, si C. F. G. Muellerus (Nachtr. z. Pl. Pr. p. 83 sq.) eos uersus recte condemnauisset, quibus *siet* pro *sit* forma aliam uersus partem quam finem occuparet. Tales uersus in libris ipsis traditi sunt hi:

Poen. I 1, 20: *Vbi dissolutus tú sies, ego péndeam.*

Stich. 202: *Adeúnt, perquirunt, quid siet causae, ilico.*

Apparet autem *siet* uocabuli eandem esse condicionem, quam ceterarum pleniorum formarum, praeter quas breuiores quoque usurpat Plautus, uelut: *danunt* (*dant*), *duint* (*dent*), *fuam* (*sim*), *creduam creduim* (*credam*), *perduint* (*perdant*) etc. Has enim formas et ipsas maximam partem in fine uersuum occurrere constat. Sed si ob hanc rem ipsam uix dubium esse potest, quin metricas ob causas poeta has formas hoc praecipue loco adhibuerit, praeter finem eis quoque uersus partibus *siet duim danunt etc.* ferendae sunt, quibus uix minus quam in fine iambum uel trochaeum spondeo praetulisse Plautum obseruatum est. Itaque eiusmodi formae non sunt sollicitandae, si occurrunt in pede primo septenarii, uelut Merc. 401 (*duas*); Mil. 299 (*fuat*); in quinto pede septenarii: Capt. 443 (*fuas*); Amph. 672 (*creduis*); Men. 1038 (*reddibo*); in pede quarto senarii: Aul. IV 6, 6 (*duim*); Pseud. 767 (*danunt*); Capt. 728 (*perduis*); Poen. III 4, 30 (*perduit*). Sed ne his quidem finibus usus formarum illarum circumscriptus esse uidetur. Quamuis enim corruptos habeas hos uersus:

Men. 451: *Qui illum di omnes pérduint, qui primus commentust* ⟨*male*⟩.

male abest a codicibus, addidit Ritschelius; Lomanus hunc in modum finem uersus constituit: — *primus qui commentus est*; Bothius praeterea addidit *deaeque* ad *di*, ut bene uideatur sic uersus constitutus esse:

Qui illum di ⟨*deaeque*⟩ *ómnes perdant, prímus qui comméntus est.*

Capt. 260: *Néque te nobis, si abeámus hinc, si fúat* occásio.
apud Fleck. merito editum est: *si hinc abeámus, sí fuát occásio.*

Most. 130: *'Adminiculum eis danunt tum iam áliquem cognatúm suum*

O. Seyffertus Phil. XXIX p. 393 prorsus alias ob causas proposuit:

Ad légionem adminiclum eís danunt
Tum iam áliquem cognatúm suom.

Asin. 536, ubi scripsit Fleckeisenus (codices praebent *dant*):

Nón uolo ted amáre, qui danúnt, qua amentur grátia,

a Bergkio bene emendatum est: — *qui dant, quoia amentur grátia.* — Ab his igitur uersibus si recesseris, tamen restant nonnulli quos uix mutare licebit:

Rud. 1367: *'Immo hercle, ut sciás gaudere mé, mihi trióbolum 'Ob eam ne duis: condono te.*
(fortasse *Né duis ob eam?*)

Pseud. 432: *Fors fúat an istaec dicta sint mendácia*
sic A; BCD praebent *Forsitan ea tibi dicta.*

Persa 51: *Set récipe te quantúm potis: caue fúas mi in quaestióne.*
Kampmannus proposuit *caue sis.*

Persa 256: *Danúnt, argenti mútui ⟨compós⟩ ut egenti opem ádferam*
Bothius nescio an recte *Dat núnc argenti.*

Et similes uersus certe alii quoque apud Plautum inuenientur. Itaque si illos duos uersus (Poen. I 1, 20. Stich. 202) ceterosque, in quos coniectura demum eiusmodi formae ea uersus parte illatae sunt, qua spondeo trochaeum iambumque Plautus praeferebat, iam non sollicitandos esse apparet, altera ex parte ne ei quidem uersus, quibus formae illae alium pedem occupant, propter hanc solam causam improbandi erunt[1]). —

Capt. 981 Fleckeisenus edidit:

Fálsa memorat. Aút ego aut tu: nám quadrímulúm tibi.

sed postquam demonstratum est *tibi* haud raro iambum aequare, iam ipse comprobabit, quod libri exhibent:

Fálsa memorat. Aút ego aut tu: nám tibi quadrímulum.

---

1) Men. 1007 scribendum est *Míttite istunc 'Obsecro te, quisqui's, operam mihi duis*, non *mi ut duis*; nam si CD praebent *mihi uides*, hoc natum est ex *mihi dēs* (ui superscr.); in B *mihi ut des* correctum est ex eodem *mihi ui des.*

Cas. III 2, 31 pro eis, quae in codicibus omnibus sunt tradita: *Nam égo aliquid contráhere cupio litigi inter eós duos* Geppertus haec edidit:

Nam égo aliquid contráhere cupio intér eos litigi duós.
Videtur haec mutatio facta esse eo consilio, ut euitaretur dactylus, post cuius priorem breuem syllabam finiretur uocabulum multisyllabum. Sed quod Trin. 1020 legimus: *ínter eósne hominés*; Trin. 1090: *própter eósdem*; Mil. 387: *própter eándem*; Mil. 184. 1284. 1288. Poen. IV 2, 58. Andr. 155: *própter amórem*; Merc. 780. Ad. 386: *ánte pedés*, poetas illam dactyli formam tum admisisse apparet, ubi prius uocabulum esset praepositio. Itaque etiam nostro uersu *inter eós* seruari potest. In Geppertiano uersu illud quoque est molestissimum, quod *eos* et *duos* inserto *litigi* uocabulo dirimuntur. —

Epid. III 3, 7 sqq. apud Geppertum sic constituti sunt:

Vel égo qui dudum fíli causa coéperam
Me excrúciare animi, quási quid filiús meús
Med érga deliquisset: quasi non plúrima
Malefácta mea essent sólida in adulescéntia.

Libri exhibent: *Ego me excruciáre ánimi quási quid filiús | Meus deliquisset med erga, aut quasi non plurimum.* Atque ut casus in *d* desinentes, ubi non sunt in codicibus, repetimus ad metrum constituendum, ita ob eandem causam etiam, ubi sunt in libris, eos licebit auferre. Erit igitur uersus tertius cum Vmpfenbachio (Mel. Pl. p. 40) ita describendus: *Meus déliquisset me érga aut quasi non plúruma;* nisi forte praeferendum est, quod suasit Ritschelius (N. Pl. Exc. I p. 27): *Meus déliquisset médergo, aut non plúruma*, quamquam propter ipsam sententiam cum Gepperto malim abesse *aut.* —

Stich. 459 uersum lacunosum, qui est in libris: *Auspicio hodie optumo exiui foras* edidit Ritschelius:

Auspicio ⟨hercle⟩ hodie ⟨ego⟩ óptumo éxii forás.

Sed cum plenior illa perfecti forma alibi quoque inueniatur: *iuero* Capt. 194. Truc. II 6, 66; *iuisse* Most. 842, non est, cur nostro uersu *exiui* sollicitandum statuamus —

Rud. 449 non posse comprobari hanc Spengelii coniecturam:

'Vt etiam nunc misera timeo, ubi óculis intuór maré,

sed retinendum esse quod praebent libri: — *oculis intueor mare* recte etiam Muellerus (Nachtr. p. 28) perspexit. Si *intueor* mutatur in *intuor*, necessaria est simul mutatio altera: *ubi intuór oculis maré.* —

Truc. I 1, 3 ex Camerarii coniectura olim scribebatur:

Neque eám rationem eápse umquam édocét Venús.

pro librorum memoria *educit* Spengelius edidit *ediscit*, Muellerus (Pl. Pr. p. 237) mauult *subducet:* sed potest fortasse illud *educit* ita seruari, ut eandem significationem habeat, quam Muelleri *subducet.* —

Librorum lacunis male supplendis uitiosus ille exitus his uersibus additus est:

Amph. prol. 46, uersus lacunosus, *Sed mos numquam illi fuit patri meo* a Fleckeiseno sic editus est:

Sed ille numquam mós fuít patri meó.

itemque Lomanus (Misc. phil. et paed. f. II Amst. 1850 p. 181) scripsit

Sed mós illic numquám fuít patrí meó.

Versus grauissime corruptus non medendo sed secando urendoque sanari potest: certe finem uersus non recte se habere docent uu. 31. 44. 112. 120. 135. 139. 144 et uu. 126. 133 sq.; ex multis quae stare possunt emendationibus haec fere maxime Plautinos numeros referre mihi uidetur:

Sed illic mos ⟨morus⟩ meó patri numquám fuit,
Vt éxprobraret quód bonis facerét boni [1]).

de *mos morus* cf. Men. 571: *Vt hóc utimúr maxumé more móro.* Trin. 669: *'Atque is mores hóminum moros ét morosos éfficit.* Quod uero Fleckeisenus in epistula critica uersum ita mauult consti-

1) Ad similitudinem horum uersuum scribendum esse conicio Poen. III 3, 12: *Illic ést thensaurus stúltis in linguá situs,*
Vt quaéstui habeant mále loqui melióribus;
in libris est *istic*, Geppertus edidit *stic*.

tuere: *Sed is mos illi númquam fúit méo patri*, ego illud solum contendo hos numeros non esse Plautinos. —

Amph. prol. 81, quem uersum libri hunc in modum exhibent: *Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit*, secutus Lindemannum, qui in fine *pater* addidit, Lomanus (Misc. p. 187) ita constituendum esse duxit:

Hoc quóque etiam in mandátis mihi dedít patér.

Atque mallem ego quod scripsit Lindemannus comprobare — nam *pater* pro *Iuppiter* legimus etiam uu. 40. 131, et pronuntiatio *dédit patér* ne minimam quidem habet offensionem —, nisi docerent numeri initio potius uersus lacunam statuendam esse: itaque hoc fere olim fuisse uidetur: *⟨Pater⟩ hóc quoque etiam in mandatis mihi dedit* uel *⟨Dein⟩ hóc quoque etiam mihi in mandatis dédit ⟨pater⟩* uel *⟨Dein⟩ hóc quoque etiam mihi ⟨ille⟩ in mandatis dedit.* Fleckeisenus praetulit amplecti lectionem editionum ueterum: *Hoc quóque etiam mihi ⟨ille⟩ in mandatis dedit.* —

Mil. gl. 639 apud Ritschelium sic suppletus legitur:

'Vt apud te exemplum éxperiundi hábeas neú rogés forís.

apud te Pius; *apud*^{te} Bc; *apud* Ba cum rell.; *apud ted* Bothius; *neu roges* Ritschelius; *ne..as* cum ras. Ba; *ne*^{e}*as* Bb; *negis* CDa; *neges* Db; *ne petas* Camerarius. Muellerus (Pl. Pr. p. 561 sq.) uersum sic constituit (recte rescripsit *ne* pro *neu*): *⟨Túte⟩ ut apud te exémplum experiundi hábeas, né rogés forís.* — Sed illud *ne..as*, quod est in Ba, potius esse *neq.ras* hoc est *ne quaeras* facile intelleges, ubi hos uersus contuleris: Cist. II 1, 2: *Hanc égo de me coniécturam domi fácio, ne foris quaéram.* Bacch. 648: *'Vt domo súmeret, né foris quaéreret.* Aul. II 6, 9: *Sunt igitur ligna, ne quaerás foris.* Asin. 319: *Hábeo opinor fámiliarem térgum, ne quaerám foris.* — Hiatum in caesura non sollicito: ceterum, si esset remouendus, multo aptius quam *tute* adderetur *domi* cf. Cist. II, 1, 2. Bacch. 747. Men. 671. Mil. 593. Heaut. 430. —

Cas. V, 4, 13 Geppertus sic suppletum edidit:

Times ecastor. 'Egone? Haud mentire hércle, nám palam
ést scelús.

In libris Pall. periit finis uersus, restat solum *nam pa.* Illud cum

certe non sit Plautinum, ualde placet, quod Studemundus duce Ambrosiano coniecit:

Times ecastor. 'Egone? mentire hércle. Nam pallés male.

Times ecastor uerba, quae Geppertus Olympioni tribuit, potius Cleostratae esse apparet. —

Epid. II, 2, 110 hunc in modum a Gepperto constitutus est:

'Atque argentum ego cum hóc feram. Quanti minimó po- tést emi?

In fine uersus cum libri inuerso uocabulorum ordine praebeant: *quanti emi potest minimo*, restituendum erat: *quánti emi minumó potést*, nam Geppertianus uersus etiam propter neglectam dihaeresin et caesurae uicariae absentiam nullo modo ferri potest. Lacuna, quae est ante dihaeresin, uariis modis expleri potest, atque uidetur inserendum duce Bb (in margine) *illuc*, uel *Illaec*.

Merc. 330 uulgo legebatur:

Video: hic opperiar hominem. hoc mihi nunc uisost opus,
Huic pérsuadere quó modó potis siém,
Vt illam uendat néue det matri suae.

siem Camerarius, *sim* libri. Ritschelius *nunc* e priore uersu ascitum in altero post *quomodo* inseruit (*quó modó nunc pótis siém*). Sed *nunc* in uersu priore multo aptius est, et numeri facillime ita in iustos limites restringi possunt, ut scribamus *uiso opust* pro *uisost opus* (cf. Cist. II 1, 64 *Séd tamen ibo et pérsequar: ne quid amens faciat caúto opust*). In altero uidetur excidisse uocula, uelut *mihi* (uel *dolo* siue *dolis*, ut suasit Studemundus), ut haec efficiantur:

Video: hic opperiar hóminem. hoc mihi nunc uiso opust,
Huic pérsuadere quó modo potis sim, ⟨mihi⟩
Vt illam uendat néue det matri suae.

(Possit tamen Camerarii ille uersus ita fortasse defendi, ut *potis siem* in unum uerbum coniungamus, ueluti Poen. I 2, 17 est *potissunt*). —

Mil. gl. 23 sq. Ritschelius olim ita edidit:

Me sibi habeto. ego me máncupió dabó, nisi
Vnum épityrum estur ⟨insanum⟩ insané bene.

egome ABa; *et ego* Da; *^{et}ego me* Bb; *et ego^{me}* Db; *et ego me* reliqui;

nisi a posterioris uersus initio in prioris finem asciuit Ritschelius; *insanum* inseruit Ritschelius, om. libri. Atque priorem uersum nuper (Jahn. annal. 1868 p. 343) ipse Ritschelius hunc in modum emendauit: *Me sibi habeto, egomet ei me mancupió dabo.* Alterum constituebat Vmpfenbachius, cf. Lorentii editionem, ubi tamen *insanum bene* non *insane bene* scribendum erat. —

Mil. gl. 105 Camerarium secutus Ritschelius ita scripsit:

Insinuat sese ad illam amicam e r i m e i.

at illam BaC; *achllā* Da; *heri mei* Camerarius; *·eri* cum ras. B; *ērĭ* D; *meri* C. Versum in fine mancum esse apparet, sed Camerarium recte, quae desint, coniecisse ego negauerim: neque enim *amica eri mei* sed *amica erilis* est usitata Plautina dictio, quamobrem *eri* et *illam* in *erilem* coniungenda esse uidentur. De eis autem, quae perierint, alius aliam coniecturam proponat; potest olim fuisse e. g.:

Insinuat sese ad amicam erilem, ⟨dum ille abest⟩(?). —

Mil. gl. 227 cum Camerario edidit Ritschelius:

Quae hic sunt uisa, ut uisa ne sint, fácta infécta u t i s i é n t.

sed cum BCD praebeant *facta infecta ne siet*, non dubito, quin recte coniecerit Spengelius (diss. d. u. cret. th. VI):

Quae hic sunt uisa, ut uisa ne sint, fácta ut facta né sient. —

Mil. gl. 323: *Vérbero, edepol tú quidem*

Caécu's, non luscitiosus: nam éccillám q u i d é m d o m i.

eccillam quidem Ritschelius: *illam quidem illa* BCD; *illam̃* Bc; *eam quidem eccillam* Bothius; *nam illam quidem uidi* FZ. — Ad emendandum uersum illud constat, requiri quod sit oppositum uerbis *tu quidem*, hoc est *ego*, ut demonstrarit Palaestrio non se esse luscitiosum, sed potius Sceledrum, atque non solum luscitiosum, uerum etiam caecum. Itaque haec olim fuisse possunt:

Caécu's, non luscitiosus: nám ego illam uídi domi.

Si mauis ingredi eam constituendi uiam, quam iniit Ritschelius, praestabit scribere

Caécu's, non luscitiosus: nam intus eccillám domi. —

Truc. V, 60 scribebatur olim:

Hém tíbi taléntum argenti: Philíppicum ést t e n é t i b i.

sed cum libri exhibeant: *philipphices est* B; *philippi ces est* C; *philipices est* D, non ita male uidetur restituisse Spengelius: *'Em tibi taléntum argenti: Philippeum aes est: téne tibi.* —

Rud. 1218 scribebatur uulgo:

Fác ut exores Plésidippum, ut me émittát ⟨*m a n u*⟩. *L i c é t.*

cum *manu* in libris omnino desit, Fleckeisenus recte hunc potius in modum edidit:

Fác ut exores Plésidippum, ut mé ⟨*manu*⟩ *emittát. Licet.* —

Truc. IV 3, 55: *Nón placet: in mútum culpam cónfers, qui n e q u i t l o q u i.*

quod nequit Camerarius; *qui nequit* Spengelius; *quid* B, *quód* Ca, *quod* D. — sufficiet:

Nón placet: in mútum culpam cónfers, ⟨*qui non*⟩ *quit loqui* (uel *nescit loqui*). —

Poen. II, 6 proposuit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 223) coniecturam non satis elegantem:

Propitiam Venerem fácere u t i m i h i s i é t.

In libris est *facere ut esset mihi.* Geppertus edidit *ut prodesset mihi.* Ego non magis intellego, quomodo uersus restituendus sit: illud solum constat, *ut esset mihi* uerba plane esse superuacanea, et est ualde ueri simile ueram lectionem periisse, eiusque locum occupasse ea uerba inania, quae nunc legimus. —

Truc. V, 67 Spengelius ita studebat constituere:

Quid tu? quid ais? cum hócine? immo mécum, nam égo p r i ó r d e d i.

codd. praebent — *cum hocinego posterior dedi.* Versus duo proxime praecedentes apud eundem leguntur ita:

65. Strab. *Vide, licet. ut déstrinxi hominem!* Strat. *'Immo ego uero, quí dedi.*

66. Phron. *I intro amabo et tu* ⟨*hércle*⟩ *uero mécum: tu eris mecúm quidem.*

Sed cum Phronesium non possit per Herculem iurare, *hercle* non debuit inserere Spengelius. Deinde cum praecedat *tu eris mecum quidem*, in posteriore uersu non potest esse *cum hocine* sed *hicine*; tum quod Strabax omnino nihil dum dedit, Stratophanes non potest dicere *ego prior dedi.* Praeterea ea sententia, quae u. 65

pronuntiatur, satis inepta est, ut nunc quidem legitur. His de causis uersus illos tres ut glossis confertos constringendos esse existimabam in unum hunc:

Phron. *I intro amabo tu érgo mecum.* Strat. *'Immo ego uero, qui dedi,*

ad quae iam Phronesium responderet aptissime:

68. Phron. *Tú dedisti, ⟨hic⟩ iam daturust: istuc habeo, hoc éxpeto.*

Sed propter u. 69 *Vérum u t r i q u e mós geratur ámborum ex senténtia* malo nunc in Studemundi sententiam abire, qui omnes uersus, qui in libris traduntur, seruari posse intellexit, si corruptelae hunc fere uel similem in modum corrigerentur:

Strab. *'Vt destrinxi hominem! ⟨intro mittar⟩* (uel *⟨út cubabo⟩*).
Strat. *'Immo ego uero, qui dedi.*
Phr. *I íntro, amabo, tu érgo mecum: ⟨crás⟩ tu eris mecúm quidem.*
Strat. *Quid tu? quid ais? cum hócine? ergo ego pósterior ero, qui dedi?*
uel *Quid tu? quid ais? cum hócine hodie, crás mecum aut postridie?* —

Men. 824 edidit Ritschelius sic:

Tún negas? Nego hércle uero. Nimio hoc l ú d i c r é n e g á s.
tun Bothius; *tu* libri; *nimio* Acidalius; *inmo* B, *immo* rell.; *hoc ludicre* Bothius; *haec ludicre* Pareus; *hec eludere* BCD; *negas* B; *neget* CD. — *Immo* cum satis certo traditum sit, omnis correctura inde debet proficisci; atque illud, cui *immo* uocabulo aliquid opponitur, cum *nego* a sene quoquo repetatur, uix aliud esse potest quam *uero*. Hac de causa quod in codd. traditur uerto in *he*[*r*]*c*[*l*]*e ludi*[*b*]*ri*[*o*], ut uersum hunc in modum malim constituere:

Tún negas? Nego hércle uero. Immo hércle ludibrió negas.
immo hercle iam Vahlenus restituit. Pro *ludibrio* autem nescio an praeferendum sit quod suasit Studemundus *ridicule;* quod quamuis non aeque prope ad librorum memoriam accedat, tamen sermonis ratione uidetur esse usitatius. —

Epid. IV 1, 40 est apud Goppertum editus sic:

Fác uideam, si mé uis ⟨*uiuam*⟩. *Eho istinc, Cántharà,* *statim*

Iúbe Telestidem húc prodire filium ante aedis meam.

pro *si me uis* in cod. Par. extat *sitne; uiuam* addidit Geppertus, omiserunt libri omnes, Camerarius coniecerat *uiuere;* codd. Par. et Pall. om. *istinc.* B autem exhibet: — *Eho istinc Canthara iube* ‖ *Acropolistidem prodire filiam a. a. m.*, et sic secundum uersum etiam ceteri cum A codices praebent. Prioris exitum defendebant Lachmannus (in Lucr. p. 406) et Fleckeisenus (Krit. Misc. p. 19) ita, ut *Canthara* cretici mensuram aequare statuerent. C. F. G. Muellerus (Pl. Pros. p. 7 et Naehtr. p. 1) contra suasit addere *heus* post *Canthara*, quod serua in aedibus sit et inde filiam arcessere iubeatur. Sed neglexit uir doctissimus praecedere iam *eho,* cui *heus* quoque subiungere uix liceat. — Omnia menda aufert codex Ambr., ex quo Studemundus coniciendo haec elicuit: *Fác uideam, si méa, si salua méa sit. Eho istinc Cánthara.* Ad alterum autem uersum constituendum haec sufficiant: Sunt in Epidico fabula mulieres quattuor: 1) fidicina, quam Epidicus amicam Stratippoclis esse mentitur: eius nomen non pronuntiatur; 2) amica Periphanis: ei nomen est Philippae; 3) filia Periphanis et Philippae, cuius nomen certo confirmatur u. V 1, 30, ubi Epidicus exclamat: *Videon ego Teléstidem te, Périphanéi filiam, Ex Philippa matre natam Thebis, Epidauri satam?* (nam sic, inuerso ordine, uersus cum A ponendi sunt): est autem haec altera Stratippoclis amica, quam Thebis secum Athenas adduxit; denique 4) prior Stratippoclis amica, quam Epidicus ut filiam Periphanis emit, et quae in domo Periphanis est: uerum eius nomen apparet ex u. III 4, 67, ubi fidicinam (= 1) interrogat Periphanes: *Sed tú nouistin fidicinam Acropolistidem?* Constat igitur hanc mulierem, priusquam in domum Periphanis ducta sit, appellatam esse *Acropolistidem*; si uero Epidicus eam filiam Periphanis esse finxit, necesse est eam, dum in domo Periphanis sit, uocari *Telestidem.* Itaque si Periphanes Philippae narrat repperisse se filiam atque in sua domo seruare, eamque arcessi iubet, debet eam uocare Telestidem. Quod autem iam non Telestis est proditura, sed

Acropolistis, librarius quidam fabulae argumentum attente persequens Acropolistidem uidetur superscripsisse, quo uerbo genuinum nomen oblitteratum est. Duorum igitur illorum uersuum lectio uera haec est:

Fác uideam, si méa, si salua méa sit. Eho istinc, Cánthara,
Iúbe Telestidem húc prodire filiam ante aedis meam. —

Pseud. 864 codd. BCD exhibent:

Si conquiniscet istic conquiniscito simul.

Quod cum iustos senarii limites excedat, non *istic* debet tolli, sed cum A potius *simul*, ita sane, ut non ante *istic* cum Ritschelio, sed post *istic* ponatur comma: cf. u. 863: *si iste ibit, ito.*—

Stich. 742 in codibus omnibus ita traditur:

Morem uobis geram, meue deliciae: nam ita me Vénus amoéna amét.

Numeros constituit Ritschelius ita, ut pro *morem uobis geram* scriberet *morigerabor;* quod quamquam recte mutatum esse uidetur, tamen uir doctissimus non *uobis* quoque eicere debebat, sed potius *amoena*, ut uersum ita malim constituere:

Mórigerabor uóbis, meue deliciae: nam ita me Vénus amet.

Trin. 149 Geppertus haec scripsit:

Quom hinc ést profectus péregre Chármidés, mihi
Thensaúrum in hisce démonstrauit uédibus.

Sed quod libri praebent: *Quoniam* (*Qm̃* B) *hinc est profectus peregre Charmides* ‖ *Thensaurum demonstrauit mihi in hisce aedibus*, Scaligerum pro *profectus* conicientem *profecturus* (cf. u. 112) iure secutus Ritschelius nuper hos uersus ita edidit:

Quoniam hinc est profectúrus peregre Chármides,
Thensaúrum demonstránit mihi in hisce aédibus. —

Mil. gl. 308 Lipsium secutus Lorentius edidit:

Dúm ego in tegulis sum, illa ex suo se hóspitió dedit forás.

Bergkius (diurn. ant. 1834 p. 1006) coniecit:

Dúm ego in tegulis sum, illaec se hóspitio édidit forás.

quod propter numeros respuens Ritschelius cum Lambino edidit:

Dúm ego in tegulis sum, illa ex suo se hóspitio eduxit foras.

ego F, *ergo* BCD; *illa ex suo se hospitio* Ritschelius, *illac hec summtospicio* D, *illac haec sum ospitio* C, *illachec se* (*e* e corr.), *ʰospitio* B, *illac haec se hospitio* Camerarius, *illaec sumpto hospitio* FZ; *eduxit* Lambinus, *educit* Camerarius, *edit* libri, *dedit* Lipsius; Ritschelius maluit nuper (Neue Plaut. Exc. I pp. 51. 68): *Dúm ego in tegulis sum, illaec hac séd hospitio edit foras* uel *illaec sed hóspitiod* uel *illaec hac se hóspitiod edit foras.* — Ex illo *summtospicio*, quod D praebet, haec potius elicienda esse existimo:

Dúm ego in tegulis sum, illaec se súbito hospitio edit foras.

C. F. G. Muellerus (Nachtr. p. 88) proposuit: — *sum, illa hinc huc se ex hospitio edit foras.* —

Capt. 72 ediderunt Geppertus et Fleckeisenus:

At ego áio recte: nam in conuiuió sibi
Amátor, talos quóm iacit, scortum inuocat.

melius Bothius: *At ego áio recte: nám sibi in conuíuio.* Sed cum in libris traditum sit: *At ego áio recte: nám scortum in conuiuio* ‖ *Sibi amátor talos quóm iacit scortum inuocat*, alterum utrum *scortum* corruptum esse debet; sed num O. Seyffertus Phil. XXIX p. 386) recte emendauerit: *At ego áio recte: nám suom in conuiuio*, ego uehementer dubito, quamquam ipse meliora proferre nunc nequeo. —

Asin. 856 praebent editiones ueteres, easque Fleckeisenus secutus est:

'At scelesta ego praéter alios méum uirúm fui ratá
Siccum frugi cóntinentem amántem uxoris máxume.

Pro *fui rata* exhibent libri *frugi rata* aperto glossemate, cum *frugi* insequenti uersu redeat: sed *fui rata* non recte esse emendatum non tam inde docemur, quod apud Plautum aliis locis *sum rata* semper dictum est (cf. Capt. 256. Asin. 861. Epid. IV 2, 26. Bach. 549. Men. 900. Pseud. 1318. Poen. III 1, 51. Trin. 303) quam ex comparatione uu. 856 sq. cum uu. 858 sq. instituta: nam cum uu. 857 et 859 ad uerbum sibi respondeant: *siccum* — *madidum*, *frugi* — *nihili*, *continentem* — *incontinentem*, *amantem uxoris* — *osorem uxoris*, eadem ratio ad uu. 856 et 858 pertinere uidetur. Deest autem in u. 856 id, quod oppo-

natur uerbis u. 858 *nunc dehinc* et *minumi preti*, ut praestare existimem u. 856 hunc in modum constituere:

'At scelesto ego praéter alios méum uirum ⟨antehac⟩ ráta ⟨probum⟩. —

Aul. IV 2, 12, uersus in codd. mancus, ita suppletus est in editionibus ueteribus:

'Atque hic pater est, út ego opinor, huius erus ⟨meús⟩ quom amát,

et sic etiam G. Wagnerus edidit, uescio utrum *húius érus* an *húius erús* dimensus. Sed si recte additum est *meus*, in fine uersus ponendum est hoc uocabulum: — *huius, erús quam amát meús* (uel *huius quam amat méus erus*). Est autem multo ueri similius exeidisse in fine uersus aliud quid, uelut:

'Atque hic pater est, út ego opinor, huius erus quám amat ⟨uirginis⟩, uel *⟨múlieris⟩*.

uirginis supplere nuperrime etiam Muellerus uoluit (Nachtr. p. 121).

In multis praeterea uersibus uitiosus exitus effectus est metris male constitutis:

Cas. II 2, 35 edidit Geppertus:

'Insipiens! sempér tu huic uerbo uitato ábs tuó uiró.

Sed cum B ita discernat uersus:

CLE *Satin sana es nam tu quidem aduorsus tuam ista rem loquere* M *Insipiens*

Semper tu huic uerbo uitato abstuo uiro CLE *Cui uerbo* M *Ei foras*

mulier *est*

CLE *Tace* M *quid est* CLE *hem* M *quis est quem uides* CLE *uir eccum it*

Studemundus e. g. duos tetrametros anapaesticos alterum catalecticum alterum acatalectum statui posse monuit:

Satin sána's? nam tu quidem aduorsus tuam istaéc rem loquere. Insipiens,

Sempér tu huic uerbo uitato abs tuo uiro. Quoi uerbo? Ei fóras, mulier. —

Curc. 127 septenarium troch. constituit Fleckeisenus hunc:

Faúcibus plenis. Hahahe. Quid ést? ecquid lubét? Lubét.
Sed numeros potius anapaesticos esse docuit Studemundus de cant. Pl. p. 88. —

Rud. 952 non debuit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 111) octonarium iambicum conscribere:

Si fidem modo das té non fore mi infidum. Dó fidém tibi.

De metro ab alio aliter constituto uide Fleckeisenum in editione, Studemundum de cant. Pl. p. 13, Brixium in Jahn. ann. XCI p. 67. —

Cas. III 5, 59 senarium Geppertus confecit:

Saepicule peccas. Vérbo praépedít timór.

sed codices haec potius suadent:

Saepicule peccas.

Timór praepedit uerba. uérum obsecró dic. —

Cas. V 1, 16 Geppertus conscripsit octonarium iambicum

Et ibidem audaciús licebit quaé uis, liberé loqui.

Sed ultimis uerbis potius dimetrum cret. cum penthemimere troch. effici, A secutus docuit me Studemundus: *Quaé uelis, libere próloqui. Tacé.*

Cas. V 3, 3 non esse Plautinum hunc septenarium trochaicum:

'Omnia própalám sunt próbra, omnimodis óccidi misér

iam per se satis intellegitur, in codicibus autem sunt haec:

ómnibus modis óccidi misér = duo penth. troch. —

Epid. II 2, 1 Spengelius (T. M. Pl. p. 139) constituit octonarium iambicum:

St! st! tacete, habéte animum bonúm: liquido éxeó forás.

Erit potius cum Studemundo legendum:

St!
Tacéte, habete animúm bonum: } dim. iamb.
Liquido éxeo auspició foras }
Aui sinistra. penth. iamb. —

Aul. IV 9, 12 effecit G. Wagnerus octonarium iambicum:

Famem ét pauperiem: pérditissimús ego sum ómniúm ⟨senúm⟩.

Docent autem et neglecta caesura et uitiosa pronuntiatio *perditissumus* uocis hos numeros non in animo habuisse Plautum. Totam scaenam potius anapaestis compositam esse contra Wagnerum denuo contenderunt O. Seyffertus (Philol. XXVII p. 438) et C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 195). —

Bacch. 9, frustulum apud Seruium traditum, ita descripsit Ritschelius, ut efficeretur exitus senarii iambici uel septenarii trochaici:

mei cognóminis fuit.

Quomodo in ipsa fabula Plautina haec uerba disposita fuerint, non licet statuere; ceterum nescio an *meu*, quod libri praebere uidentur, retinendum sit. —

Denique librorum corruptelis male subuentum est:

Mil. gl. 1389, ubi cum Pareo Ritschelius edidit:

Parátae insidiae súnt: stat in statú senéx,
Vt ádoriatur moéchum.

instatus ad B; *in statu stat* reliqui, quod Lorentius ita retinuit, ut dimetiretur *stātu:* donec hanc prosodiam ueram esse demonstrauerit Lorentius, nisi uis cogitare de Saraceni coniectura *in sultu stat*, cum Fleckeiseno hunc in modum transponendum erit:

Parátae insidiae súnt, senex stat in statu. —

Stich. 620 constituit Ritschelius ita:

Tántillum loci, úbi catellus cúbet, id sátis erit mihi.

libri praebent: — *cubet id mihi saterest loci*, unde fecit Bothius: — *id mihi sat erit loci.* Quodsi cum Seyfferto illud *saterest* in *sat ere est* dissoluere liceret, proponerem:

Tántillum loci, catellus úbi cubet, sat, ere, ést mihi.

Sed totus locus nondum persanatus esse uidetur. —

Aul. IV 4, 28, uersum corruptum, constituebat C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. pp. 105. 198) sic:

Máne, mane. quis illést, qui hic intus álter técum erát simúl?

sunt autem in codicibus: *Mane mane quis illic est quis hic intus alter erat tecum simul.* — Atque priorem partem cum recte (?)

uideatur emendasse Muellerus, posteriorem malim ita retinere, ut est in libris tradita: quamuis enim pronuntiatio *álter érat* ne mihi quidem satis placeat, tamen meliora inuenire non potui. —

Capt. 408 Fleckeisenus edidit:

Númquam erit tam auárus, quin te emittat grátiis manú.

in codd. est: *Numquam erit tam auarus quin te gratiis emittat manu*, quod tum tantum conseruari posset, si in *gratiis* synizesis locum haberet, aut *manu mittere* pro *manu emittere* Plauto uindicari posset (cf. Lorentii introd. ad. Most. p. 6. nota 8). Ex omnibus transponendi modis hic optimus esse mihi uidetur (cf. Persa 483):

Númquam erit tam auárus, quin manu émittat te grátiis.

Propter duriorem caesuram non placet, quod scripsit Brixius: *Númquam erit tam auárus, quin manú te emittat gratiis.* —

Poen. V 1, 21: *Sed hic mihi antehac hóspes Antidamás fuit.* Cum recte diceret C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 10) potius *Antidama* scribendum esse, sed sic displicere productam syllabam ultimam, tamen non debuit proponere: *Sed hic mihi 'Antidama hóspes ántidhác fuít.* Nec magis placet, quod ipse praetulit: — *antidhac hospes fuit.* Nam dactylus ante caesuram semiquinariam tum semper est euitandus (nisi una est caesura semiseptenaria), ubi duae syllabae breues cum praecedenti syllaba producta unum uocabulum efficiunt. Quamobrem hic uerborum ordo praeferendus erit:

Sed hic Antidama mi ántidhac hospés fuit. —

Truc. III 2, 7 Spengelius edidit:

Quin tu ád me accedis? éxspecto ósculúm tuóm.

traditur autem in codicibus: *Quid uis qui tuam expector osculentiam.* Vt cetera displicent, quae ad hunc uersum constituendum prolata sunt, ita ne ipse quidem uersum emendare potui. —

Merc. 89 suadet C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 491):

Taléntum argenti ipse ádnumerát suá manú
Taléntum argenti súa ipsus ádnumerát manú
Taléntum ipse argenti ádnumerát suá manú.

Hae tres coniecturae omnes sunt reiciendae. Neque enim tam propter hiatum, quem in hac uersus parte non uitiosum esse con-

tendo, quam propter loquendi usum Plautinum pro librorum memoria: *Taléntum argénti ipse sua adnumerát manu* scribendum est id, quod iam Camerarius proposuit meritoque recepit Ritschelius:

Taléntum argenti ipsús [an *ipsus*?] *sua adnumerát manu.*

Vbi enim *ipse* cum pronomine reflexiuo coniungitur, a poetis comicis non *ipse* sed *ipsus* usurpatur, idque ante pronomen reflexiuum ponitur, cuius legis testimonia sunt *ipsus se* Capt. 640. Curc. 170. Trin. 262. Truc. II 7, 42ᵇ. (*ipsus se* exigit numerorum ratio Liu. Andr. 12 Ribb., ubi *ipse se* apud Nonium extat; emendauit Bothius. idem pertinet ad Enn. 240 R. trag.; *ipsus sese* Bacch. 493. Pseud. 929 (*ipsus* ACD *ipse* B). 973. 1168. Persa 458. Truc. II 7, 36ᵇ; *ipsus sibi* Andr. 377; *ipsus secum* Andr. 442 (*ipsus* D. *ipse* BCEGP). — Eun. 782 (B?)G codices soli *ipsus sibi* recte exhibent, ceteri praebent *ipse sibi*. Pseud. 884, ubi A *ipse sibi*, ceteri *ipsos sibi* tradunt, Douza *ipsus sibi* restituit. *Ipsus* tum quoque ponitur, ubi a pronomine reflexiuo insertis uno uel compluribus uocabulis separatur, uelut Poen. III 3, 95: *Vt ipsus testis sit sibi certissumus* (A solus praebet *ipsus*, ceteri *ipse*); Truc. II 7, 7: *ipsus perditum se it.* Amph. 252: *Ipsúsque Amphitruo régem Pterelam súa* (?) *obtruncauit manu.* — Hac de causa *ipsus* restituendum esse iudico Hec. 161, Phorm. prol. 23, Eun. prol. 14, Adelph. 39, ubi omnes libri exhibent *ipse se*, *ipse de se*, *ipse se*, *ipse est sibi;* itemque Men. 309: *Insanit hic quidem, qui ipsus maledicit sibi* (BCD praebent *id se*, FZ *ipse*, quod recepit Ritschelius); Adelph. prol. 4 denique, ubi in libris traditur: *Indicio de se ipse erit uos eritis iudices*, scribendum erit uel *Ipsús de sese indicio* uel *Indicio ipsus de sése erit, uos iúdices.* Mil. 1388 autem, ubi in libris extat *Ipsús illic sese iam impedimit in plagas*, non cum Lorentio *Ipsus sese illic* est transponendum, sed potius *Illic ipsus sese* cf. Cas. II 8, 34. Capt. 990. Merc. 759. Rud. 730. Merc. 481. Most. 634; atque Andr. 495, ubi cum Donato uulgo editur *nunc hic se ipsus fallit*, libri autem praebent *nunc* ////// *se ipsus* D, *nunc ipsus se* (om. *hic*) BCEP, uera lectio esse uidetur: *Certe hércle hic ipsus sé nunc fallit, haút ego. Eduxin tibi?* —

Cas. II 3, 12 Bothium secutus Geppertus hunc in modum edidit:

Tristem ástare aspició. Blande haec mihi mála res appellánda est.

Vxór mea meaque amoénitas, quid tu ágis? Abi á b s t i n é m a n ú m.

in libris autem est omnibus (cf. etiam C. F. G. Muellerus Pl. Pr. p. 226): — *quid tu ágis? Abi atque abstine manum.* Quae pronuntiatio cum uix tolerari possit neque cum Gepperto *atque* auferre liceat, malim ego proponere: — *quid tu ágis? Abi átque aufér manum.* Ceterum *abi atque* corrupta esse uidentur; (fortasse *quid tú agis? Aúfer hinc manum* uel similiter). —

Alias aliorum coniecturas praetermitto, uel quod in ipsis libris uera lectio extat, uel quod iam ab aliis facillimo negotio uitium remotum est, uelut quod proposuit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. pp. 180. 136. 563):

Truc. IV 3, 26: *Quid eo puero túa era fecit? Méae erae ex témpu ló dedit.*

Mil. gl. 560 : *Ego mé sciente páterer hó s p i t i m e ó.*

Most. 380 : *'Igitur demum fódere puteum, faúces úbi s i t i s t e n é t.*

uel G. S. Teuffelius (Rh. Mus. XXII p. 45 = Stud. u. Char. p. 270):

Men. 593 : *'Vt eam sponsió finiret. Quid ille? p r a é u i d é m d e d i t?*

uel A. Kiesslingius (Rh. Mus XXIV p. 119):

Epid. I 1, 75: *'Illic hinc abiit: sólus es nunc. quo in luto h a é r e á s, u i d é s.*

uel O. Seyffertus (Philol. XXIX p. 411):

Truc. II 6, 51: *Suaé fuere ambae, uérum patriam ego éxcidi m e á m a n ú.*

uel A. Spengelius (T. M. Pl. p. 10):

Men. 545 : *Da sódes abs te: ⟨égo⟩ post r é d d i b ó t i b í.*

uel A. Kochius (Rh. Mus. XXV p. 622):

Mil. 603 : *Néque potest quin, si inimicis úsust, ó b f u á t m i h i?*

uel A. Ballas (gramm. Plaut. sp. I p. 46):

Capt. 333: *'Optumum atque aequissumum oras óptumúsque homónum homo's.* —

Ob eandem causam nolui ingentem numerum uersuum uitiosorum congerere, qui in ueteribus editionibus extant. Eos uero emendare uersus, quibus G. Wagnerus, O. Seyffertus (Philol. XXVII p. 481), C. Kretschmerus (quaestt. Plautt. p. 19), alii lacunas librorum Plautinorum supplere studebant:

Aul. III 6, 3: *Tamen é meo quidem ánimo ⟨púlcriús siét*
Deceátque te et⟩ aliquánto facias réctius.

Truc. prol. 5: *Maiórem⟨que adeo si ego orem indidém locum,*
Credo⟩ équidem uobis me áblaturum sine mora.

Most. 763 : *⟨Edepól faciet hoc mágno incómmodó suó⟩.*

hoc igitur non meum esse existimo. —

Ei quos adhuc persecuti sumus uersus non in ipsis codicibus uitiosi exhibentur, sed uirorum doctorum coniecturis Plauto inuito obtrusi sunt. Atque cum per se appareat eos ad legem nostram demonstrandam ne minimi quidem esse momenti, tamen ostendendum nobis esse existimauimus locis illis corruptis alias quoque medellas adhiberi posse, quibus ne ex Charybdi in Scyllam incidamus euitaretur. Nunc exponamus de eis uersibus, qui secundum librorum memoriam uitiosum illum exitum exhibent, atque primum quidem de eis, quibus quominus bina uocabula singulos iambos efficientia retineamus, leges prosodiacae Plautinae obstant, itaque iam aliam ob causam emendandi erant:

Asin. 759 legebatur olim:

Forés occlusae omnibus siént nisi tibi.

Codd. exhibent *sint*; scripserunt C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 497) et Fleckeisenus

Forés occlusae ⟨usque⟩ ómnibús sint nisi tibi.
Forés occlusae ⟨eius⟩ ómnibus sint nisi tibi.

Sed ne his quidem mutationibus opus est, quod hiatus in caesura semiquinaria non est sollicitandus. —

Asin. 779: *Talós ne quoiquam homini ádmoueát n i s i t i b i.* Legendum est potius cum hiatu in caesura: *quoiquam hómini admóueat nisi tibi*, nisi praeferes cum Fleckeiseno scribere inuerso uerborum ordine: *Talós ne quoiquam admóueat homini nisi tibi.* —

Most. 1006 sq.: *Haut póstulo edepol. Vérum crás, n i s i p r i ú s*
Vocáuerit me, uél aput te cenáuero.

Non stat sententia, nisi cum Camerario scribimus: — *Vérum cras, nisi ⟨quis⟩ prius.* —

Persa 234, qui talis est in libris:

Sét ego cesso. Máne. Molesta es. 'Ergo quóque, n i s i s c i ó,
Quo agas te, item omni caret sensu, nisi ad Bothii emendationem accedimus: — *Érgo ⟨eró⟩ quoque nisi scio*, malim tamen ego — *Érgo quoque ⟨ero⟩, nisi scio* (uel: — *Éro quoqué, nisi ⟨iám⟩ sció*). —

Curc. 461: *Sequímini. Leno, cáue in te sit m o r á m i h i*, qui exitus iam propter longam syllabam ultimam *mora* nominatiui mutandus erat; magis, quam quod coniecit Fleckeisenus: *cáue ⟨ne⟩ in té sit móra mihi*, placet quod proposuit C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 4): — *cáue mora in te sit mihi.* —

Curc. 614: *Quam tu uirginem*
Mé reposcis? Quam áb lenone abdúxti hodié s c e l ú s u i r i.

Sic libri; sed cum nunquam pronuntiatum sit *scelús uiri*, sed semper *scélus uiri*, iam Fleckeisenus scripsit: — *Quam áb lenone abdúxti ⟨tu⟩ hódie scélus uíri.* Dubitari potest de Muelleri coniectura (Pl. Pr. p. 552 sq.): *Quámne ab lénone ábduxti hodie scélus uíri?* Si hiatus in caesura remouendus est (*lenóne ábduxti hódie scélus uiri*), sufficit *abduxisti* pro *abduxti*. —

In aliis uersibus sententia claudicans uel librorum discrepantia uitium subesse diserte indicat:

Most. 583: *Immo ábi domum: uerum hércle dico: a b i d o m ú m.* Sic enim extat in A, non ut Gepperto uisum est: *abi modo domum*; ceteri codices praebent: *abi modo.* Atque nisi hiatus est admittendus inter *dico* et *abi* (*dico: ábi domum*), uel *dico abi módo domum* scribendum est ita, ut librorum memorias coniungamus, uel cum Ritschelio (Parerg. p. 498) inserendum *abi*: — *dico: ⟨abi⟩ ábi domum*, — *dico: ⟨abi⟩ ábi modo.* —

Men. 854: *Bárbatum tremulúm Tithonum, Cygno qui cluét patré.*

Codices enim Prisciani praebent et *cygno qui lucet* et *qui cygno lucet* et *qui lucet cygno*, unde Palmerius et Colerius effecerunt *Cygno qui cluet*. — Codices Plautini aperto glossemate exhibent *cygno prognatum patre*. Illud autem, quod Ritschelius olim ediderat, ipse postea sic emendauit (op. II. p. 479):

Bárbatum tremulúm Tithonum, quí cluet Cucinó patre. —

Pseud. 702: *Mágnifice hominem cómpellabo. Cúia uóx sonát? Ió.*

Haec est memoria codicum BCD, quae quamquam defendi uidetur Bacch. 979: *Quoianam uox prope me sonat*, Trin. 45: *Quoia hic uox prope me sonat*, tamen codicis Ambrosiani lectio (secundum Studemundum)

Mágnufice hominem cómpellabo. Quóia uox resonát? Io

eo minus est repudianda, quod idem uocabulum usurpauit Lucilius (ex libr. inc. 68 Gerlach.) in eadem locutione: *Quaénam uox ex té resonans meó gradu remorám facit* (sane non incorruptus uersus uidetur esse); cf. etiam L. Varius Rufus (Ribb. Trag. p. 229): *ad quos mundi resonat canor.* —

Mil. gl. 203 sqq. Ritschelius hunc in modum edidit:

'Ecce auortit: rúsus laeuo in fémine habet laeuám manum.
Déxtera digitis rationem cómputát: ferit femúr.

205: *Déxtera micát uehementer: quód agat, aegre súppetit.*

ferit A, *feries* BCD. Sed cum Studemundus u. 205 ita legerit in codice rescripto:

Dexterum ita uehementer eicit quod agit aegre suppetit,

uir doctissimus illos uersus hunc in modum constituendos esse intellexit:

204: *Déxtera digitis rationem cómputat: feruit femur*
205: *Déxterum, ita ueheménter icit; quód agat, aegre súppetit.*

De *feruit femur* autem confert Amph. 1030: *Quém pol ego hodie ob istaec dicta fáciam feruentém flagris.* —

Poen. V 2, 124 in codicibus extat fere talis:

Facitó sis reddas, étsi hic habét tamén.

nisi quod BCD exhibent *habit*. Geppertus recepit coniecturam

Camerarii, qui ad *habit* addidit *abit*, ut fieret: — *étsi hic hábitabit tamén.* —

Rud. 883: La. *Hospés.* Ch. *Non sum hospes: répudio hospitiúm tuum.*

La. *Sicin me spernis?* Ch. *Sic agó: semél bibó.*

La. *Di te infelicent.*

Sed quid sit illud *semel bibo* cum haud facile quisquam intellegat, neque satis eluceat, cur ad haec uerba Charmidis Labrax possit respondere *Di te infelicent*, et numeris et sententiae consulitur, si olim fuisse comprobas uel: — *Sic ago: sine té bibo*, uel: — *Sic ago: solús bibo*; quamquam nescio an aliud quid lateat. —

Epid. V 1, 50 sqq. edidit Geppertus:

Ego ad uos Thésprionem iússero
Húc transire: séd memento, si quid saéuiúnt senés,
Súppetias mihi cúm sorore férre.

Sic cod. Parisinus, itemque, ut uidetur, Palatini; sed cum A praebeat *saeuiuit senex*, in libro autem rescripto U et B haud raro inter se permutentur, licebit illud interpretari in *saeuibit senex*. *Senex* autem pro *senes* etiam u. V 1, 10 scriptum est, et cum semper de duobus senibus una agatur (conf. V 1, 10. V 2, 1), nunquam de uno, *saeuibit* pro *saeuibunt* ex *senex* scriptura pro *senes* originem duxisse uidetur. Hac de causa non est dubium, quin genuina lectio uersus illius haec sit:

Húc transire: séd memento, si quid saeuibúnt senes [1]. —

Aul. I 2, 40 retinuit G. Wagnerus quod praebent BJγ

Nunc quó profectus sum ibo: póstidém domúm.

Sed cum *postidem* nusquam alibi occurrat, et A et M passim inter se permutentur, collatis his uersuum finibus Cist. cat. 3: — *pónent: postideá loci*; Stich. 97: — *quám te? postideá pater*; Stich. 758: — *prímum: postideá loci* non est dubium, quin in editionibus ueteribus recte emendatum sit: *Nunc quó profectus sum ibo: postideá domum* (cf. O. Seyffertus Philol. XXVII p. 433). — Simili modo corrupti sunt Epid. III 3, 23 et Truc. I 1, 27.

---

1) Hanc emendationem occupatam esse a Douza ex Bothii editione (a. 1821) cognosco.

Epid. III 3, 23: *Docte ét sapienter dicis: nón nimis potést Pudicítiam quisquam suaé seruare filiae.*

Sed confer Stich. 360: *Pérnam et glandiúm deicite. Hic hércle homo nimiúm sapit.*

Epid. II 2, 98: *Núptiarum: né grauetur, quód uelis. Nimiúm sapis.*

Ad. 684 : *Liberale: séd uereor ne indiligens nimiúm sies.*

Ad. 835 : *Quod illós sat aetas ácuet. Ne nimiúm modo,* atque non est dubium, quin illo quoque uersu scribendum sit: — *nón nimiúm potést*; (possis tamen etiam, quod B exhibet *num* pro *non*, cogitare de — *numquam nímis potest*). —

Truc. I 1, 27: *Sin álter altri pótior ést itém perit.*

Sic olim scribebatur pro *idem perit,* quod est in libris omnibus; sed Men. 1098: — *dixisti: huic itidém fuit*; Men. 1107: — *Fáteor. 'Estne itidém tibi*; Aul. II 9, 9: — *né quid hic itidém fuát*; Merc. 436: — *quisquis ést. itidém mihi*; Pseud. 69: — *ómnium átque itidém tibi*; Persa 600: — *túte atque ipse itidém rogá* — hi uersus satis essent documento accedendum esse ad Camerarii coniecturam: — *potior est, itidem perit*, modo ne et ipse noster et praecedentes uersus plane alia latere indicarent.

Non minus aperta est corruptela

Aul. IV 2, 9: *Di inmortales, quód ego hunc hominem fácinus aúdió loqui.*

Nam ubi in similibus condicionibus usurpatur tempus praesens, et uerbum eandem uersus partem occupat, alibi semper dicitur *ausculto*, non *audio*, cf. Aul. III 5, 22. Pseud. 523. Poen. IV 2, 19. Itaque hoc quoque uersu liceret nobis supponere *ausculto*, nisi alia potius emendandi uia ingredienda esset. In his enim dictionibus, si usurpatur tempus praesens, is qui loquitur post uerba auscultantis pergit uerba secum facere: hoc contra loco cum iam non adsit Euclio, praestabit

Di inmortales, quód ego hunc hominem fácinus audiui loqui.

In tribus uersibus, qui propter ipsam sententiam non sunt sollicitandi, paucis uocabulis inuerso ordine positis facillimo negotio mendum auferri potest. Quam quidem medellam non nimis

uiolenter adhiberi ostendunt lueulentissime Stich. 643. Trin. 438. Cas. III 3, 13. Men. 176. Persa 161. Cas. prol. 60, quibus originem illius uitii licet perspicere. Stich. 643 enim in Palatinorum quidem memoria *nihil otius uenit* Ritschelius, qui in editione olim scripserat: *Qui hercle illa causa nihilo citius áduenit*, nuper (N. Pl. Exc. I p. 73) recte cognouit latere: *nihilo ótiús uenit*; sed cod. rescriptus praebet lectionem hanc:

Qui hercle ílla causa ócius nihiló uenit.

Trin. 438 praebet A (cf. Studemundus Rh. Mus. XXI p. 605):

Bene uólt tibi. Edepol mécum mútuúm facit.

Libri Pall. conseruabant genuinum: — *Edepol mútuum mecúm facit.*

Casin. III 3, 13 praebet codex Parisinus:

Audiui ecastor cúm magnó maló tuó.

omnes ceteri exhibent recte: *cúm malo magnó tuo.*

Men. 176 retinuerunt Ritschelius et Brixius quod extat in cod. Ambrosiano:

'Expedite fábulatu's. iam ferió foris? Feri.

sed uera lectio est tradita in libris Pall.: — *iám foris ferió? Feri.*

Persa 161 legebatur ante Ritschelium cum CD:

Iam fáxo hic aderunt. sét ego horúnc nihil sció.

B contra exhibet quod Plautinum est: *Sét ego nihil horúnc scio.*

Cas. prol. 60 librorum Palatinorum memoria haec est:

Ille aútem postquam sénsit filiúm suúm.

at genuinum est traditum in A: *filium sensit suum*[1]).

Hac de causa iam non reformidabimus similes uersus simili modo emendare:

Poen. prol. 119: *Ille qui adoptauit húnc pro filió sibi* restituendum est cum Bothio: — *húnc sibi pro filio*, qui uir doctus et ipse

Poen. V 2, 120: *Patérna oportet réddi filió boná,*

Merc. 972: *Nám te istac aetáte haud aequom fúerat filió tuó*

---

1) Epid. I 1, 22 praebent libri Palatini:

Percúnctari: operam da, ópera rédditúr tibí,

sed in A est recte *reddetur tibi.*

Stich. 509, ubi Ritschelius suo iure cum Bothio edidit:

genuinum uerborum ordinem Plauto uindicauit: — *filio reddi bona* et *filio fuerat tuo*. Eodem modo sanandus erit

Epid. III 4, 86: *Legum átque iurum fictor cónditór cluét*, ut scribamus: *conditor fictor cluet*, nisi forte poetam in *conditor legum* et *conditor iurum* lusisse existimas (A praebet *condictor*). cf. Studemund in ind. lect. Gryphiswald. 1871/2 pag. 12. —

Versus, qui exeant in uerbum creticum et uerbum iambicum, postquam omnes ceteros remouimus, restant nunc soli quattuor, et ei quoque aperte corrupti:

Amph. 157 sq. C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 181) hunc in modum constituit:

Nec caúsam liceat dicere, neque in éro quicquam aúxili siét,
Nec quisquam sit, quin mé ⟨malo⟩ omnes ésse dignum députent.

Idem fere praebent codices, nisi quod *mihi* addunt post *dicere*, et *malo* omittunt, quod merito inseruit Muellerus, nam ablatiuus uix omitti potest. Fleckeisenus haec edidit:

Nec caúsam liceat dicere mihi, néque in ero quicquam aúxili
Siét, nec quisquam sit, quin me omnes ésse dignum députent.

Sed *siet* adscitum in posterioris uersus initium non est Plautinum, id quod iam Brixius (Liegn. Progr. 1857 p. 7) perspexit. Sed quod hic uir doctus ipse proposuit non minus est reiciendum:

Núnc, quia te mi amícum experior ésse, credetúr tibi,
libri Palatini autem in fine praebent *créditúr tibí*, in cod. Ambros. *credetur tibi* olim fuisse secundum Studemundum non minus ueri simile est, quam *creditur tibi*.

Stich. 341, ubi libri Palatini recte praebent: *Quid ego, cui miseró medullam uéntris percepit fames*, in palimps. utrum *percipit* an *percepit* fuerit secundum Studemundum non satis discerni potest, quamquam illud magis uidebatur esse ueri simile.

Epid. I 2, 35 apud Nonium (499, 3) traditum est:
Désipiebam méntis, cum illa scrípta mítterém tibí.
libri Plautini exhibent recte: *mittebam tibi*. —

Nec caúsam liceat dicere, neque mihi quidquam a ú x i l i s i é t
In eró, neque quisquam sit, quin me omnes ésse dignum députent.

Nam in priore uersu si uituperandus est exitus, in posteriore praeter ablatiuum omissum illud quoque displicet, quod legitima dihaeresis desideratur. Apparet autem dilucide *omnes* esse glossema, adscriptum ad explicandum numerum pluratiuum: *quisquam sit quin deputent*, de qua constructione confer quod adnotauerunt Bentleius et Ruhnkenius ad Eun. prol. 1; et hoc glossemate ablatiuus ille expulsus esse uidetur. Itaque haec fere olim fuisse possunt:

Nec caúsam liceat dicere, neque in éro quicquam sit mi aúxili,
Nec quisquam sit, quin mé ⟨malo cruciátu⟩ dignum députent.

De *malo cruciatu dignus* cf. Bacch. 1055, (*malo dignus* Hec. 275); de omisso *esse* infinitiuo Heaut. 135: *Maló quidem me quóuis dignum députem, Si id fáciam.* —

Asin. 64 sq. Fleckeisenus edidit:

Omnés parentes, Libane, l i b e r i s s u i s,
Qui mi aúscultabunt, fácient obsequéntiam.

At cum in posteriore uersu non *obsequentiam* traditum sit, sed *obsequellam*, et enuntiatum relatiuum, ut nunc sunt sententiae dispositae, magis ad liberos quam ad parentes referendum sit, admodum est ueri simile uersus tales, quales nunc legimus, omnino non a Plauto compositos esse. Et numeris et sententiae hunc fere in modum possit succurri:

Omnés parentes, quiqui auscultabúnt mihi,
Suis óbsequellam fácient, Libane, líberis. —

Capt. 807 apud omnes sic est editus:

Túm pistores scrófipasci, qui alunt f ú r f u r i s u é s.

Codex B praebet *furfure*. Audacter scribendum est *furfuribus*. Quamquam enim et in lexicis et in institutionibus grammaticis legimus ‚furfur = kleie', tamen haec significatio, quod quidem ego inuestigare potuerim, apud omnes scriptores Romanos uno

tantum loco occurrit: Gell. XI, 7, 5: ,legerat autem ille apludam ueteres rusticos frumenti furfurem dixisse'. Vbi autem apud hos ueteres *furfur* numero singulari usurpatur, est integumentum unius grani. Sic agitur de tegimine uniuscuiusque grani triticei: Plin. nat. hist. 18, 304: ,in tritico maxime nascuntur animalia, quoniam spissitate sua concalescit et furfure crasso uestitur'; uel de lentis integumento: Plin. nat. hist. 22, 145: ,Quae sunt ambusta, aqua semicocta curat (sc. lens), postea trita et per cribrum effuso furfure, mox procedente curatione addito melle'. His locis non de eo, quod nos dicimus ,kleie' agi, satis intellegitur; omnibus ceteris locis, quibus nos uertimus ,kleie', pluratiuus numerus positus est, uelut Varr. de r. r. II, 5, 17: ,semestribus uitulis obiciunt furfures triticeos'; II, 6, 4: ,[asini] commode pascuntur farre et furfuribus ordeaceis', ubi propter concinnitatem sermonis certe dixisset *furfure*, si quidem licuisset. Colum. VIII, 4, 1: ,[gallinis] potest etiam lolium decoctum obici, nec minus furfures modice a farina excreti, qui si nihil habent farris, non sunt idonei'; XII 43, 3: ,cum [doliola] in umbra refrigerauerunt, furfures ordeaceos adiciunt'. Plin. nat. hist. 18, 74: ,[hordeum] qui diutius uolunt seruare, cum polline ac furfuribus suis condunt nouis fictilibus'; 22, 120: ,tritici furfures'; 28, 188: ,mixtis calidis furfuribus pondere oboli unius quattuorque mellis'. Phaedr. IV, 18, 3: ,furfuribus sibi consparsum quod panem darent'. Marc. Empir. 5 extr. cum componeret deminutiuum, pro minutis furfuribus non dixit *furfuricula*, sed *furfuriculae*. — Ex his omnibus apparet illud uerbum singulari numero significare integumentum grani, hoc est ,huelse, schale, balg, schuppe', pluratiuus contra numerus semper usurpatur, ubi agitur de excremento farris pollinisque, ut nunquam ,furfur' sed semper ,furfures' possit significare ,kleie'[1]. Hac de causa in uersu Captiuorum eo certius *furfuribus* restituendum est, quod numerus pluratiuus eo quoque uersu est positus, qui

---

[1]) Charis. inst. gr. II 11, p. 32 K.: ,Item masculina semper pluralia .... hi casses, hi cancelli, foci, furfures'; cf. Char. inst. gr. I 15, p. 93 K., excerpta ex Charis. a. gr. p. 548 K., Diom. I p. 327 K., Phoc. p. 428, 6 K.

illum duobus uersibus intercedentibus insequitur: *'Ex ipsis dominis meis pugnis éxculcabo fúrfures.* Itaque apud Gellium quoque sine dubio *furfures* emendandum est. —

Pseud. 699: Charm. — *Set istic Pseúdulus*
Nóuos mihist. Cal. *Nimiúmst mortalis gráphicus: heú re- tés mihist.*
'Is mihi haec sese éffecturum dixit, quae dixi tibi.

Si uersum 700 corruptum esse contendo, hoc propterea uidebitur aliquanto audacius, quod uocabulum graecum in omnibus codicibus optime conseruatum ipsum sese defendere uidetur. Atque sane possimus Plauto facillime largiri eum uno loco et tam singulari condicione legem illam uiolatam sibi indulsisse, — nisi ad offensionem illam metricam accederet altera, quae ex ipsa sententia proficiscitur. Quid enim uult sibi illud *εὑρετής mihist? εὑρετής* cum loci nostri sententia tum solum quadrare potest, ubi est aut nomen proprium (uelut Men. 902 Menaechmus de parasito suo dicit *Meus Vlixes. suo qui regi tantum conciuit mali*) aut nomen magistratus cuiusdam uel operarii, quod tralaticie de dolosa Pseudoli in hac fabula industria usurpetur. Eiusmodi uero sententia cum *εὑρετής* uocabulo uix subsit, si uerbum ipsum recte traditum est, illud saltem debet addi, cuius rei Pseudolus Calidoro inuentor sit. Emendationem quae omni exempta esset dubitatione cum adhuc inuestigare non potuerim, nolo commemorare coniecturas, quae de eiusmodi uersu multae facile in mentem uenerunt. —

Aul. II 4, 46 denique

Cocus ille nundiálist: in nonim diem
Solet ire coctum. Tún trium litterárum homó
Me uituperas? Fur? étiam fur trifúrcifer

nihil impedit quominus legamus: *Solet ire coctum. Tún triúm littrárum homó.* In eis enim uocabulis quae in *er* exeunt syncopam Plautus tum tantum uidetur admisisse, ubi accentus est positus in ea syllaba, quae sequitur syllabam syncopa elisam. Documento sunt (cf. Muellerus Pl. Pr. p. 476 sq., Nachtr. p. 69): Capt. 8: *Altrúm quadrimum púerum seruos súrpuit.* Capt. 306: *Qui imperare insuéram, nunc altrius imperio óbsequor.* Persa 226:

'Vbi illa altrást furtifica laéua. Amph. 333: *Hinc enim mihi dextrá uox auris, út uidetur, uérberat.* — Hac de causa non possum non improbare Muelleri (Pl. Pr. p. 4) coniecturam: Poen. prol. 85: *Altéra quinquénnis, áltra ⟨quási⟩ quadrimula*; idem (Nachtr. p. 69) proposuit Stich. 118: *Haú male istuc. age tú ⟨dic⟩ áltra, utrást condicio pénsior*, cuius finis ita constituendus esse uidetur: — *áltera útra condiciost pénsior.* — Itaque hanc quoque ob causam Truc. I 1, 27: *Sin álter ultri pótior est itidém perit*, corruptum esse existimo, itemque Merc. 965, ubi edidit Ritschelius: *'Vxor tibi placáta et placidast. cette dextras núnciam.* —

Alius autem eiusmodi uersus cum nullus inueniatur, demonstrasse mihi uideor legem illam alteram ueram esse, qua noluerit Plautus exire uersum in uerbum creticum et uerbum iambicum. Atque ex hac ipsa re si licet concludere alteram quoque a poeta esse obseruatam, hoc omni dubitatione eximitur ceterorum uersuum obstantium emendandorum facilitate.

Rud. 775 sq. et in libris et in editionibus hunc in modum leguntur:

Quaére erum atque addúce. At hic ne . . . Máxumó m a l ó s u ó
Si áttigerit siue ócceptassit. Cúra. Curatúmst: ubi.

Sed si recordatus eris quam constans sibi sit sermo Plautinus, collatis his uersibus

Cas. III 3, 13: *Audiui ecastor cúm malo magnó tuo.*
Asin. 901 : *Ain tandem? ue tu édepol istuc cúm malo magnó tuo*
Dixisti in me.
Asin. 909 : *'Ego pol uiuam, et tu istaec hodie cúm tuo magnó malo*
'Inuocasti.
Mil. 492 : *Metuo illaec mihi res né malo magnó fuat.*
(Andr. 179 : *'At nunc faciet, néque ut opinor sine tuo magnó malo*)

non dubitabis, quin Plautus sic potius scripserit:

Quaére erum atque addúce. At hic ne. . . Cúm malo magnó suo. —

Curc. 477: *Cónfidentes gárrulique et máleuoli suprá lacúm* scribendum est: — *maleuoli supera lacum*. De *supera* cf. Neuius ‚formenlehre d. lat. spr.' II p. 494. (locis ibi collectis potest addi C. I. L. uol. I. 1011). —

Stich. 537: *'Optumest: iam istóc moraé minús erit. Iám ego apút te eró*

non solum propter finem uersus, uerum etiam propter legitimam dihaeresin neglectam praeferendum est quod proposuit Lachmannus: *'Optumest: iam istóc morái minus erit. Iam ego apút te ero.* —

Curc. 178: *'Enimuero nequeó durare quín ego erum accusém meum:*

Nám bonumst pausillum amare sáne, insane nón bonumst,
Vérum totum insánum amare hoc ést quod méus erús facit.

Nam si recte se habet uersus, ualde displicet, quod *est* initio alterius partis septenarii positum est, ut hanc solam ob causam praeferenda sit haec dimensio: *Vérum totum insánum amáre hóc est quód meus érus facit*; uereor tamen, ne uersus corruptus sit. —

Poen. I 3, 38: *Ibo átque arcessam téstis, quándo amór iubét*

Me oboédientem meo ésse seruo líberum.

Lubet et *iubet* cum alibi saepissime inter se permutentur, hoc quoque loco pro *iubet* C praebet *lubet*; itaque si hoc genuinum esse arbitreris, possis scribere *amori lubet* ita quidem, ut simul *quom* supponas pro *quando*: — *téstis, quóm amori lubet.* Praestabit tamen leuiore mutatione et inuerso ordine pro *amor iubet* scribere: — *téstis, quando iúbet amor.* De altero uersu cf. Muellerus Pl. Pr. p. 484. —

Trin. 533: *Neque úmquam quisquamst, quoius ille agér fuit,*

Quin péssume ei res uórterit. quoiúm fuit —

eadem medella facillime corrigi potest, ut transponamus. *quoius ille fúit ager*, quamquam ne sic quidem uersum plane emen-

datum esse existimo. Ritschelius maluit retinere, quod in libris traditur. —

Merc. 585: *Nullum hércle praeter húnc diem illa apúd me erit*

potest uitium auferri ita, ut scribamus: *húnc diem illa apud méd erit* (uel: — *hunc diem illaec ápud me erit* uel: — *húnc diem apud me illaéc erit*). —

Cas. II 6, 43: Lys. *Tibi permitto: túte sorti.* Ol. *Pérdis mé.* Chal. *Lucrúm facit.*

Proloquitur haec uerba Chalinus ad inridendum et inritandum Olympionem, ut ad huius uerba: ‚Perdis me' respondeat haec: ‚Si te perdit, tum non accipit detrimentum sed facit lucrum'. Quod si est recte intellectum, ad illustrandam sententiam uix possit deesse *tum* uel *immo*: — *Perdis me. ⟨Tum⟩ lúcrum facit.* uel: *⟨Tum⟩ lúcrificat* uel potius *Pérdis me ⟨Immo⟩ lúcrificat.* —

Men. 480 retinuit Brixius quod libri exhibent:

Ait húnc dedisse mé sibi átque eám meaé
Vxóri surrupuisse.

Sed Bothius, quem Ritschelius merito secutus est, hoc potius proposuit:

Ait húnc dedisse mé sibi atque eam ⟨mé⟩ meae. —

Pseud. 877 Ritschelius edidit:

Si crédis, nummo; si non, né miná quidém.

Sed cum A (secundum Studemundum) praebeat: *Si credis nummo si non credis ne mina quidem,* hoc olim fuisse admodum dubitanter conicias: *Si crédis, nummo; si non credis, nón mina.* —

Non solum in bina, sed etiam in terna iambica uocabula exeunt:

Capt. 526: *Néque de hac re negótiumst,*
Quin male occidam óppetamque péstem eri uicém malám.

Pro *malam* B praebet *meumq.*; erit uersus uix aliter sanandus, quam transponendo: *Quín male occidam óppetamque éri uicém pestém malám.* Qui hiatum in dihaeresi reformidat, non incommode inseret *ego* uel *ipse*. —

Men. 750 Ritschelius ita edidit, ut praebent libri omnes:

Negás nouisse mé? negás patrém meúm?

Sed non *patrém meúm* est pronuntiatio Plautina, sed *méum patrém*, ad quem uerborum ordinem restituendum ego haec propono: *Negas mé nouisse? négas ⟨nouisse⟩ méum patrem?* —

Sed quamquam pauci uersus non ita possunt corrigi, ut omnis dubitatio auferatur, tamen soli miserae condicioni librorum Plautinorum hoc attribuendum esse firmissime confirmatur usu Terentiano.

Apud Terentivm enim praeter unum uersum, qui tamen facillime emendari potest, omnes ceteri legibus a nobis propositis obstantes corrupti sunt aut coniecturis demum effecti:

Andr. 532 soli codices DG praebent:

Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obuiam Chremem.

Quod cum iustos senarii limites excedat, suadet Klotzius, ut non *Chremem* omittatur, quod uocabulum in codd. BCEP deest, sed potius *ipso*. At *in ipso tempore* dictio minime sollicitanda est, habes eandem Hec. 627: *in ipso tempore te ostendis*; Andr. 974: *in tempore ipso mi aduenis*; Pacuu. 238 R.: *Atque eccum in ipso tempore ostentum senem*; apud Plautum non raro: deinde in eiusmodi locutionibus ne solent quidem comici nomen proprium repetere: atque quod in uersu proxime praecedente Simo non tam de Chremete quam de filio uerba facit, si re uera dubitatio esse potest, uter sit aduenturus, tamen haec dubitatio aufertur uersu proxime insequenti: *Iubeo Chremetem:* itaque scribendum est cum BCEP: *Atque ádeo in ipso témpore eccum ipsum óbuiam.* —

Andr. 928 editur uulgo cum Lomano

Cr. *'Is ibi mortuóst.* Ch. *Eius nomen?* Cr. *Nómen tám cito tibi?* Pa. *Hém*
Perii. Cr. *Verum hercle opinor fuisse Phániam: hoc certé scio*
Rhamnúsium se aiébat esse.

Sed codd. praebent: *nomen tam cito tibi Phania* Chr. *Hem*; in A corr. rec. *A* notam ante *hem* addidit. Ex eis, quae Donatus ad hunc locum affert, recte conclusisse mihi uidetur Bentleius

hunc potius olim fuisse genuinum uerborum personarumque ordinem:

Cr. *'Is ibi mortuóst.* Ch. *Eius nomen?* Cr. *Nómen tam cito?* Pa. *Phánia* Ch. *Hém*
Perii. Cr. *Verum hercle opinor. . .*

Nam si Phaniae nomen ante ipsa Critonis uerba non erat pronuntiatum, minime intellegitur, cur respondeat Crito *Verum hercle opinor*, praesertim cum opinetur tantum Phaniae illud nomen fuisse. Deinde quomodo poterat Pamphilus exclamare *Hem perii*, cui quidem nunc haec uerba tribuuntur, quamquam ei multo maiori gaudio (cf. uu. 943 sq.) quam dolori esse debebat, si patrem amicae ciuem Atticum fuisse cognosceretur? Hac de causa non Pamphilo ea uerba possunt tribui, sed debent potius Chremeti, qui et ipse paulo post interturbat *O Iuppiter!* Si uero Chremes dicit *Hem perii*, in eis quae praecedunt commemorari aliquid necesse est, propter quod illud exclamet. Hoc autem nihil aliud esse potest nisi *Phania* Pamphili, quo obliuiosum Critonem item ut u. 945 submoneat; et si nomen Pasibulae nouerat, poterat etiam patris nomen cognitum habere. Accedit quod *Hem perii* Chremetis esse ipsi libri indicant, *tibi* autem a nonnullis codicibus Bentleianis abest. —

Andr. 945 Vmpfenbachius hunc in modum edidit:

Heús Chremes quod quaéris Pasibúlast. Ch. *'Ipsa eást.* Cr. *Eást.*

Bentl.: *Non pátiar. Heus Chremés quod quaeris Pásibula.* Ch. *Ipsást.* Cr. *East.*

Both.: *Non pátiar. Heus Chremés quod quaeris Pásibulast.* Ch. } Cr. } *'Ipsa east.*

Fleck.: *Non pátiar. Heus Chremés quod quaeris Pásiphilast.* Ch. *Ipsást.* Cr. *East.*

non patiar om. A. *Pasibulast Ipsast East* libri, qui tamen de personarum notis dissentiunt. Quodsi Calliopii recensionem sequimur, ueri uidetur simillimum esse quod Bentleius constituit; sin codicem Bembinum, non possum assentari Vmpfenbachio. Primum enim offendit quod unus septenarius trochaicus interest

inter nouem praecedentes et undecim subsequentes octonarios iambicos; deinde non tam *ipsa east* quam *ea ipsast* esset Terentianum. Hac de causa hoc olim fuisse conicio:

Heus, Chréme(s), quod quaeris Pásibulast. Ch. *⟨Pásibula⟩ ipsást.* Cr. *Eást.* —

Eun. 706 ita legitur apud Fleckeisenum et Vmpfenbachium:

Cóncedo istuc paúlulum: audin? étiam paúlulúm: sat ést.

Libri omnes praebent: — *etiam nunc paululum sat est*, unde Faernus effecit: — *aúdin? étiam nunc paulúm: sat est.* Atque *paululum* mutatum in *paulum* paene non esse mutatum illud docet, quod omnibus fere locis, ubi *paulum* numeri exigunt, si non omnes semper tamen pars codicum *paululum* exhibent, uelut Andr. 630. 794. Eun. 672. 685. 856 bis. 1068. 1075. Heaut. 498. 747. Phorm. 741. Hec. 506. Adelph. 949. 950. 980. (contra *paulum* pro *paululum* Heaut. 899). Sed quod in eiusmodi repetitionibus saepius *etiam* quam *etiam nunc* usurpatur, praestabit inuerso ordine scribere: *Cóncede istuc paúlulum. audin? étiam paulum: núnc sat est.* —

Adelph. 167 traditur in libris omnibus (id quod edidit Bentleius et praeferebat Al. Richter ‚Donati commentarii etc.' diss. Bonn. 1854 p. 13):

'Abi prae strenue ác fores aperi. Céterum hóc nihil facis.

Sed cum Donatus adnotet *legitur et nihili*, merito Fleckeisenus et Vmpfenbachius ediderunt: *Céterum hoc nihili facis.* —

Adelph. 701 codex Bembinus praebet:

'Omnes oderint, ni magis te quam óculos núnc amó meós.

Sed omnes ceteri recte: — *quam óculos núnc ego amó meós.* —

Phorm. 667 edidit Vmpfenbachius cum cod. Bembino:

His rébus sane póne. inquit, decém minús.

Sed quod exhibent *pone sane inquit decem* DFG, *pone sane decem inquit* BCEP, apparet in transponendo summam nobis esse libertatem. Atque Fleckeisenus scripsit: *His rébus, inquit, póne sane décem minas*; eandem pronuntiationem *décem minás* habes u. 662. Bentleius autem, cum *minas* a duobus ex suis codicibus

absit, et idem uocabulum etiam uu. 664. 668 omittatur, eleganter restituit: *His rébus alias póne sane inquít decem*; scribe potius:

His rébus, inquit, póne sane aliás decem. —

Hac de causa non licebit unum eum uersum intactum relinquere, cuius uitiosus exitus omnium librorum consensu traditur, praesertim cum is facillime emendari possit:

Heaut. 304: *Vbi dícimus redisse te ét r o g á r e, u t i*
Veníret ad te, múlier telam désinit.

Nam coll. Hec. 809: *Dic me orare ut ueniat.* Eun. 528: *Misit porro orare ut uenirem serio.* Andr. 687: *Orare iussit si se ames era iam ut ad sese uenias,* docemur illo quoque uersu scribendum esse:

Vbi dícimus redísse té et oráre uti.

Alius uersus uitiosus Terentianus cum nullus extet, leges illas duas a Terentio quoque obseruatas esse constat. — Liceat ipsi Terentio adiungere quae in Sulpicii Apollinaris periochis minus recte edita esse uidentur. Atque Per. ad Heaut. 9:

Suúm celaret Clítipho. hic t e c h n i s S y r i
Decém minas meretriculae aufert á sene

uix opus est restituere: *Clítipho. hic techínis Syri.* —

Per. ad Hec. 6: *Hanc máter utero gráuidam, ne id s c i á t s o c r ú s,*
Vt aégram ad sese tránsfert.

Sic libri e recensione Calliopii. A pro *ne id sciat socrus* in fine uersus post *grauidam* exhibet *comperit* aut *cum comperit*, unde haec olim fuisse conicias:

Hanc máter utero quom ésse grauidam cómperit
uel *Hanc máter utero gráuidam quom esse cómperit*
(uel *Hanc máter utero gráuidam postquam cómperit*).

ne id sciat socrus glossema fuisse et in ipsum contextum postea receptum esse uidetur. Minus enim ueri simile est haec olim fuisse:

Hanc máter, ne utero gráuidam comperiát socrus. —

Vt apud Plautum Terentiumque, ita etiam apud ceteros poetas scaenicos, quorum fragmenta Ribbeckius recensuit, maxima pars uersuum uitiosorum coniecturis debetur:

Naeuius apud Macrob. Sat. VI 1, 38 (u. 15 R. Trag. p. 6 [= p. 8 editionis secundae]):

⏑ ⏑́ *numquam hodie effúgies, quin meá manú*
Moriáre —.

non satis constat num septenarium iambicum in fine mutilum constituere liceat:

Numquam hódie effugies, quin mea manú moriare — ⏑
[in editione secunda maluit Ribbeckius hunc senarium constituere: *Numquam hódie effugies, quin mea moriaris manu*]. —

Naeuius apud Nonium 487, 9 (u. 45 R. Tr. p. 10 [= 12]):

Iam ibi nos duplicat áduenientis ⏑́ ⏑ ⏑́ *timós, pauós.*

Non uereor, ne hoc uersu misere, ut uult Ribbeckius, lacerato leges a nobis propositas euerti quisquam existimet. [Quid nunc de hoc uersu sentiat, Ribbeckius exponit in corollario editioni secundae praemisso p. XIII sq.]. —

Ennius apud Nonium 393, 13 (u. 17 R. Tr. p. 15 [= 17] = u. 39 Vahl.):

Qui rém cum Achiuis gésserúnt statim ⏑ ⏑́.

Nam errauisse Nonium, cum scriberet ,*statim* producta prima syllaba' pronuntiatum esse apparet; itaque, nisi proximum uocabulum a uocali inceperit, haec uerba potius finem uersus occupasse probabiliter conicias: ⏑ ⏑́ *qui rem cum Achiuis gesserúnt statim.* —

Ennius apud Ciceronem de fin. II 13, 41 (u. 354 R. Tr. p. 55 [= 67] = 237 V.):

Nimiúm boni est, cui nihil est ⟨in diém⟩ mali.

In diem deest in libris, addidit Ribbeckius coll. Eurip. Hec. 627: κεῖνος ὀλβιώτατος ‖ ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν. Hermannus proposuit *Nimiúm boni est ⟨profécto⟩, cui nil ést mali,* cf. Publili Syri sent. 430 W.: *Nimiúm boni est in mórte cui nihil sit mali.* [Nunc melius edidit Ribbeckius *Nimiúm boni est, cui nil malist* — — ⏑ —; expleri posse existimat uersiculum scribendo *Nimiúm boni est cui nil mali sit in diem.* (an *in dies?*)]. —

Attius apud Nonium 219, 13 (u. 30 R. Tr. p. 117 [= 140]):

omnés ⟨boni⟩
Gaudént ualere récte, sét mali pigrént.

Est autem in libris *ómnes gaudent fácere recte, máli pigrént*. Aliam constituendi uiam ingressus Geppertus proposuit (Ausspr. p. 112): *⟨Boni⟩ ómnes gaudent fácere recte, máli pigrent.* [Nunc edidit Ribb. senarium hunc: *Omnes ⟨se⟩ gaudent fácere recte, mále pigrent*]. —

Attius apud Macrob. de diff. 6, 14 (u. 102 R. Tr. p. 125 [= 149]):

⏗ ⏑ nisi quid túa facultas nóbis túlat opém ⏑ –.

Nisi proxima post *opem* uox a uocali incipiebat, debebat saltem constitui septenarius troch., cuius initio nullus, fine duo pedes perierint: *Nisi quid tua facúltas nobis túlat opem – ⏗ ⏑ –.* Bothius inuerso uerborum ordine descripsit senarium satis elegantem: *Nisi quid facultas túa tulat nobis opem.* [Nunc edidit Ribbeckius: *Nisi quid tua facúltas nobis túlat opem ⟨pereám⟩ ⏑ –*]. —

Attius apud Nonium 230, 21 (u. 347 R. Tr. p. 153 [= 181]):

'Ifidamantem ⏗ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏑ ⏗ neci daré,
Túrbat uulgum, euitat – ⏑ ⏗ ⏑ moeros disicit.

De his frustulis nihil aliud statuere licet, nisi praue ea esse disposita. [Nunc edidit Ribbeckius: — *discidia amántum scindere* || *Túrbat uulgum, euitat ⟨uitam régi,⟩ moeros disicit*].

Poetae incerti (u. 21 R. ex inc. inc. fab. Tr. p. 202 [= 237]) apud Quint. inst. orat. IX 3, 77 haec uerba nobis seruata sunt: *Hecuba hoc dolet pudet piget*, quibus Ribbeckius finem senarii effici uoluit. Sed non minus est ueri simile ea partem septenarii iambici occupasse. [Nuper Ribbeckius ea uerba ita disposuit, ut initium septenarii trochaici efficeretur.] —

Ex inc. inc. fab. Tr. p. 200 [= 235] u. 4:

Sed iám propellunt caéruleúm ratés salúm.

Apud Festum p. 273 M. nihil aliud traditum est nisi *Sed iam pro* ——— *tes salum.* [Nunc rectius edidit Ribbeckius cum Buechelero *Sed iám proscindunt rátibus sulcantés salum.*] —

Naeuius apud Donatum in Ter. Phorm. I 2, 24 (u. 70 R. Com. p. 16):

Deó meo propítio méus homóst ⏑ ⏗.

Si sana sunt haec uerba et re uera fragmenta senarii, haec Ribbeckii dimensio non solum propter finem uerum etiam propter

initium uersus falsam se aperte praestat. Nam simul et in initio et in fine senarii bina uerba iambica uix ullus unquam poeta Romanus sibi indulsit. Legendum est: *Deo méo propitio mèus homost* – ⏊ ⏑ –.

Caecilius Statius apud Festum p. 317 M. (u. 77 R. Com. p. 41):

Abi hinc tu, stólide, illi út tibí siét patér.

Est hic uersus non solum propter numerorum languorem sed multo magis propter sententiae ineptiam insignitus; nam cur homo stolidus *hinc* abire iubeatur, ut *illi* ei sit pater, ego non possum indagare. Codices praebent *sit* pro *siet*, unde illud quidem constat finem uersus esse: — *út tibi sit pater.* Quo modo prior pars restituenda esset non satis exploraui. —

Afranius (u. 288 R. C. p. 171):

Repástinassere aútem té, senéx, fugís.

Sic placuit Ribbeckio constituere haec uerba Festi (p. 281 M.): *repastina serati senex fugis.* Illud, quod edidit R., displicet etiam propter mirum usum *repastinassere* modi infiniti futuri. Si operae pretium est tot coniecturis nouam addere, uelim proponere: *Repástinas seró, senex, fucis* ⟨*tuas tibi rúgas*⟩ (?). —

Titinius apud Nonium p. 157, 8 (u. 65 R. C. p. 123):

Nam quid ego feci te áduorsum aút patrém meúm,
Quem paúperetis ámbo uestris súmptibus?

Te cum Iunio scripsit Ribbeckius, eique assentatus est C. F. G. Muellerus (Pl. Pr. p. 726); sed cum libri *tet* praebeant, hoc uel seruandum est (*tete*) uel mutandum in *ted.* Simul pro *patrem meum* — siquidem haec uerba non sunt corrupta — praestabit *meum patrem*, ut hoc efficiamus: *Nam quid ego feci téd aduorsum aut méum patrem.* —

Afranius apud Nonium 392, 19 (u. 210 R. C. p. 162):

Deféssa expectandó domi
Sédi, quod spissó uenire uísust Mániús mihi.

Visus est Bothius, *Manius* Ribbeckius, libri praebent *uisum est mani mihi.* Num *mani* retineri possit = *mane*, ego uehementer dubito; magis placet: *Sédi, quod spissé uenire uisus est nimiúm mihi.* —

Afranius (u. 20 R. C. p. 143):

⏑ Séxte frater, sálue: quom saluós uenis
Meliúsque est ⟨tibi⟩ ⏑ ⏑́ ⏑ g r á t u l ó r d e i s.

Hunc in modum constituit Ribbeckius, quae Martinus Hertzius Prisciani (VIII 37) libros accuratius secutus ita refinxit:

Sexte ⟨ó⟩ frater mi sálue: cum saluús uenis
Meliúsque est, gratulór dis – ⏑ – ⏑ –

quod, quamquam propter caesuram aliquantum displicet, tamen praeferendum erit ei, quod edidit Ribbeckius. —

In compluribus uersibus legitimi numeri facillima mutatione restitui possunt[1]):

Caecilius Statius apud Gellium II, 23, 10 (u. 142 R. C. p. 49):

–́ ⏑ – *is démum miser est, qui aérumnám s u á m n e q u i t* —

Et molossus in septenarii pede quinto (et sexto) et iambus in pede paenultimo auferetur, si scribes: — *qui suam aerumnám nequit.* —

Afranius apud Nonium 124, 17 (u. 40 R. C. p. 146):

⏑ –́ ⏑ – ⏑ *órbitatem sénectuti t u a é m a l ú m*
Metui quod in solúm non uenit caéco ac dementi tibi.

Si sana sunt haec uerba, etiam propter *sénectuti* praestabit transponere cum Bothio, quem Ribbeckius iure secutus est: — *túae senectuti malum.* —

Afranius apud Nonium 102, 14 (u. 110 R. C. p. 152):

Itaque ádeo extundo ecfició. D a t ú r m i h i
Custodiendus

Si recte Ribbeckius Leidensis lectionem *exficio* (pro *ex officio* ceterorum) secutus est (ecficio = ecfaecio), nihil impedit quominus septenarius iambicus constituatur: *Itaque ádeo extundo ecficio. Datur mihi custodiéndus.* Sed aliae emendandi uiae multae patent. —

1) Eos uersus, quibus corruptela tam manifesta est quam apud Afranium (Nonius 393, 14) uu. 10 sq. R. Com. p. 142:

Quamquám non istis éxercetur in locis
Hic nóster, delabórat cúm p u é r s t a t í m

(Ritschelius de fict. 14: *cum puera*) plane omittere praestat. —

Ex incerta incerti fabula apud Nonium 518, 9 (u. 22 R. C. p. 100):

Conténdit oculos, dérepénte abit celóx.

Scribendum erit *abiit.* —

Ex inc. inc. fab. u. 89 R. C. p. 111:

Sat céleriter fit, quidquid fit satis bené.

Hic senarius conscriptus est ex Suetonii (Octau. 25) uerbis his: *sat celeriter fieri quicquid fiat satis bene.* Sine dubio tale quid potius fuit: ⌣ *sát celeriter fit, quidquid fit sátis bene.* —

Ennius apud Hieronymum Epit. Nepot. p. 598 M. (u. 197 R. Tr. p. 35 [= 42] = 271 V.):

Plebés in hoc regi ántistát locó: licét
Lacrumáre plebi, régi houeste nón licet.

[Nunc mauult Ribbeckius (cf. coroll. p. XXVIII): *Plebés in hoc regi ántistat: largé licet*]. —

Ennius apud Nonium 369, 25 (u. 297 R. Tr. p. 47 [= 58] = 392 V.):

Ibi, quid agat, secum cógitát parát putat.

Ad emendandum uersum alicuius momenti esse uidentur Caecil. 41 R.: ⟨*Cúr*⟩ *non haec putás, non haec in córde uorsantúr tibi?*, cum praesertim hoc uersu *putare* eodem sensu usurpatum sit, quo apud Ennium, et L. Attius praetext. 29: *Réx* (?), *quae in uita usúrpant homines, cógitant curánt, uident*; itaque uidetur scripsisse Ennius uel — *cógitat uorsát putat* uel — *cógitat curát putat.* (*Curat* suasit Studemundus). [Nunc (cf. coroll. p. XXVIII) praefert Ribbeckius scribere cum Buechelero *cógitat paritát putat*]. —

D. Laberius apud Nonium 114, 12 (u. 66 R. Com. p. 246):

Foriolus ésse uidére: in cóleós cacás.

In libris omnibus traditum est *uideris.* Quodsi *coleos* correpta prima syllaba (cf. κολεός) usurpasse Laberius uidebitur, praestabit: — *uidéris: in coleós cacas.* Sed cum *esse* pyrrhichii mensuram uix recte aequet, si *uideris esse* pro *esse uideris* et *cacas in coleos* pro *in coleos cacas* scribere liceat, numeri hunc in modum restitui possint: *Fóriolus uidéris esse,* ⟨*quia*⟩ *cacas in*

cóleos. (de *quia* cf. Nouius 62 R.: *Tú pueri pusilli simil es, quia enim ad os fers quicquid nanctu's*). —

Pacuuius apud Nonium 507, 27 (u. 4 R. Tr. p. 236 [= 280]):

Sagíttis plumbo et sáxis grandinát niuit.

Sed cum in omnibus praeter Harleianum libris *niuit* omnino desit, Fleckeisenus (Crit. Misc. p. 42) hoc uocabulum initio potius uersus addendum esse coniecit: *Niuit sagittis, plumbo et saxis grandinat.* [Item nunc edidit Ribbeckius, Buechelero hanc coniecturam tribuens]. —

Ennius apud Nonium 111, 14 (u. 142 R. Tr. p. 28 [= 34] = 203 V.):

Té⟨d⟩ exposco, ut hóc consilium Achiuis aúxili fuát.

Siue septenarium trochaicum haec uerba efficiunt, siue alii numeri constituendi sunt, semper exigit sententiae ratio, ut cum Vossio *auxili* in *auxilio* permutetur. —

Ex inc. inc. fab. u. 144 R. Tr. p. 218 [= 256):

—— *auro uitam uéndidit uiri.*

Sic edidit Ribbeckius quae hunc in modum apud Ciceronem de inu. I 50, 94 tradita sunt: *auro uiri uitam uendidit.* Siquidem hoc frustulum re uera finis senarii uel septenarii est, scribendum erit quod Ribbeckius ipse proposuit: *auro uendidit uitam uiri* [et sic nunc edidit]; uix enim initium septenarii iambici statuere licet: *auró uiri uitam uéndidit.* —

Pacuuius u. 333 R. Tr. p. 100 [= 119]:

— *rápide percitam aéstus ócitér ratém*
Réciprocare, undaéque e gremiis súbiectare adfligere.

Sed apud Festum p. 274 M. haec sunt tradita: *rapido reciproco percito augusto citare rectem reciprocrare unde eque gremiis subiectare adfigere*; apud Paulum autem ceteris omissis sola haec: *unde eque gremiis sublectare ac figere.* [Nunc edidit Ribbeckius duos septenarios trochaicos hos: *Rápide retro citróque percito aéstu praecipitém ratem Réciprocare, undaéque e gremiis súbiectare adfligere*]. —

Ex inc. inc. fab. u. 39 R. Tr. p. 204 [= 240]:

Suppréme belli atque ármorum árbitér poténs.

Sed apud Festum p. 305 M. nihil aliud seruatum est nisi . . . *suppreme bel . . . . potens.* —

Naeuius apud Nonium 504, 1 (u. 8 R. Tr. p. 6 [= 7)]:

⏑́ ⏑ auri iúbeo fonte láuere néminém manúm.

Sed cum in libris haec tradantur: *animi iubeo fonte lauere memini manum*, illud constat finem huius uersus potius fuisse: *láuere ⟨mé⟩ memini manúm.* [Nunc edidit Ribbeckius: *⏑́ ⏑ amnis niueo fonte láuere me memini manum*]. —

Attius apud Nonium 13, 23 (u. 628 R. Tr. p. 185 [= 217)]:

Núnc tua in re crépera tu quid cápias consilí uide.

Libri praebent *Nunc tu in re crepera tua quid capias consilii uide*; Bothius in fine scripsit *consili capias uide*. Malim ego senarium ita constituere, ut pro *tua* supponam *uide*: *Nunc tu in re crepera uide quid capias cónsili.* [Nunc edidit Ribbeckius senarios: *Nunc tu in re crepera túa quid capias cónsili Vide.*] —

Attius apud Nonium 72, 2 (u. 442 R. Tr. p. 164 [= 193]):

Quam inuita ancillans, dicto oboédiéns uiri.

Vitium uitari potest e. g. scribendo: *dicto oboedibat uiri.* —

Licinius Imbrex apud Gellium XIII 22, 16 (R. C. p. 29):

Nolo égo Neaeram té uocent, sed Nérienem,

Cum quidem Mauorti es in conúbiúm datá. —

Libri praebent *cum quidem Marti*. Pro *cum quidem*, quod uix incorruptum est, Bothius recte proposuit *quandoquidem*, Fleckeisenus contra loquendi usum *quoniam quidem*. Illud *quandoquidem* si recipis, ad numeros constituendos nihil aliud superest nisi ut scribas *concubium* pro *conubium*: *Quandóquidém Marti és* [uel *Quandóquidem Máuorti és*] *in concubiúm* [uel *in coniugiúm*] *data.* —

Caecilius Statius apud Donatum in Ter. Eun. IV 4, 4 (u. 62 sq. R. C. p. 37):

Quid tibi aucupátiost

'Argumentum aut dé meo amore uérbificátióst patri?

Sed cum *meo* non certo traditum esse uideatur, senarii possunt constitui: *Argúmentum aut de amóre uerbificátiost Patri.*

Ex inc. inc. fab. apud Senecam controu. IX 27 (u. 92 R. C. p. 111):

Saépe qui miseréri potuit, misericórdiám rogát.
Nescio, quo modo uersus alias quoque ob causas satis suspiciosus emendandus sit; sed fortasse ne uersus quidem est. —

S. Turpilius apud Nonium 538, 8 (u. 196 R. C. p. 94):
Me miseram, quid agam? intér uias epistula éxcidit mihi.

Cum uix liceat scribere *epistula excecidit mihi*, praestabit iambicum septenarium in *éxcidit mi* exeuntem constituere, cum praesertim proximus uersus *cónlocáuerám* in *cónlocáram* mutato facile eiusdem uersus numeros induat. —

Alia aliorum commenta consulto praetereo, cum in eiusmodi frustulis difficillimum sit certa proferre.

Ex his igitur eum satis certo apparere existimem ceteros quoque praeter Plautum et Terentium poetas leges illas seuerissime obseruasse, uix dubium esse potest quin M. Terentius Varro non solus eas neglexerit. Itaque ei uersus, quos Riesius (nam hic quoque omnes ceterorum coniecturas commemorare supersedeo) hunc in modum edidit:

p. 156, 4 : *Détotonderát forcipibus uitiáriúm feris*
p. 169, 6 : *Délphice canit columna litteris suis Ἄγαν*
p. 188, 4 : ◡ ⏗ ◡ *exeúnt citi, strepúnt, boúnt*
p. 204, 4 : *Quid médico mi est opu'? núm perpetuo absintium úti bibám grauém*
p. 219, 2 : *(De) nócte nigra ad lúmina lámpadis sequéns*
p. 260, IV: *Paréctatoe adsunt; múlierém Venús capit*

aut aliis numeris aut pedestri sermone conscribendi sunt. [Buechelerus in noua editione Varronis satirarum cum uersum alterum pedestri sermone conscriberet (p. 189), quartum ita retineret ut adnotaret ‚metrum in fine suspectum' (p. 201), ceteros (p. 183. 196. 205) ita mutauit, ut id quod nos uituperamus uitium euanesceret]. —

Postquam haec typis tradita sunt, Studemundus me docuit in nouissimo uolumine Philologi Gottingensis (XXX pp. 640 sq.) Sophum Buggium laudatis nonnullis ex eis exemplis, de quibus supra uerba fecimus, diiambos uel creticos cum iambis in fine senariorum iambicorum et septenariorum trochaicorum non sollicitandos esse censuisse, et insuper nouum exemplum cretici cum iambo in exitu senarii Stich. 256 coniectura addidisse hoc (p. 248):

Negáto mihi esse néc quod mutuóm duim.

De ceteris uersibus, quos uir doctissimus l. l. congessit, cum supra fusius exposuerimus, hoc loco eos tantum attingere libet, quibus praeterea exitum illum, quem nos damnandum esse duximus, defendi posse sibi persuasit. Atque quoniam Asin. prol. 11 *Măcius* pro *Maccius* restitutum sit, etiam Merc. prol. 6, ubi Ritschelius ediderit *Eadém Latine Mércator Macci Titi*, Buggius *Măci* scripturam et dimensionem iambicam comprobandam esse dicit. Sed num Asin. prol. 11 *Maccius* recte in *Măcius* mutatum sit, admodum dubium est; saltem eodem iure, quo nunc *Macius* scribitur, etiam *Maccis* fuisse potest, quam nominatiui formam Studemundus in scholis prologo uindicauit; qui simul monuit, si *Măci* fuisset, non intellegi, cur in fine senarii Merc. prol. 6 *Măci Tĭti* insolita uerborum collocatio simpliciori *Titi Măci* praelata sit. Ceterum inde, quod ueteres consonantes non duplicauerunt, minime sequitur, eas syllabas, quae consonantem postea duplicem tum simplicem praecesserint, ideo omnes olim correptim pronuntiatas esse; id quod etiam Fleckeisenus, cum Misc. crit. pp. 37 sqq. de *sagitta etc.* et *sagĭta etc.* exponeret, neglexit. Nam si *Maccius* (*sagitta etc.*) non solum item scriptum sed etiam pronuntiatum est atque *Măcius* (*sagĭtă etc.*), non intellegitur, cur tandem *Macius* scriptura non conseruata sit. Itaque etiamsi *Macius* et *Maci* scripseris, tamen haec uocabula tribrachyn (non dactylum) et iambum (non spondeum) aequasse minime demonstratum est.

Si porro uir doctissimus Mil. 1337, ubi Ritschelius edidit

Si magis uis, eam omittam. Nolo: rétine. Adflictór miser.

in fine ,cum libris' *'Adfleó misér* legi iubet, monendum est, hanc lectionem ipsam in libris non extare, BCD enim praebent *nolo*

retineat flo miser; poterat sane numeris ita consulere, ut *rétineás. Adfléo misér* scriberet; sed sine dubio locus nondum persanatus est.

Stich. 256 denique coniectura illa Buggii, etiamsi a numeris recesseris, propter ipsam sententiam nullo modo ferri potest. Inter omnes constare existimo uersum illum, qualis in libris traditus sit: *Nega* (*Negato* B) *ésse quod dem néc mihi nec mútuum*, minime retineri posse: nam si ea lateat sententia, quam Spengelius (T. M. Pl. p. 58) latere uoluit ,Nihil esse Gelasimo, neque quod sui ipsius sit, neque quod ab alio mutuo sumpserit', cum uersibus praecedentibus eiusmodi sententia uix congruat. Oratur enim parasitus a Crocotio, ut Philumenae decem modios tritici mutuo det; ad haec respondet Gelasimus (secundum librorum memoriam):

256 *Nega* (*Negato* B) *ésse, quod dem, néc mihi nec mútuum*
Neque áliud quidquam, nisi hoc quod habeo pállium.

Prioris uersus emendandi uiam altero uersu demonstrari existimo. Nam si u. 257 incipit a uerbis *Neque aliud quidquam*, in u. 256 aliqua res commemorata sit necesse est, quam et ipsam Gelasimus sibi non esse dicat; eiusmodi autem res cum secundum librorum memoriam non commemoretur, lectionem traditam non genuinam esse apparet. Hac de causa neque illud, quod coniecit Fleckeisenus *Negáto mihi esse néc quod dem* ⟨*isti*⟩ *mútuom*, neque quod Buggius coniecit *Negáto mihi esse néc quod mutuóm duim* a Plauto scriptum esse suspicor; quem, si *neque quod* recte restitutum esse conieceris, potius *Negáto mihi esse néc quod me orat mútuum* uel similiter scripsisse mihi persuasum est. Itaque ueram illius uersus sententiam solum Ritschelium adsecutum esse duco, qui *Nega ésse quod dem míhi, nec quod nolt mútuom* edidit; cuius coniecturam si non comprobas, multa alia in promptu sunt, uelut

Nega mi ésse quod dem mútuum, neque ⟨*triticum*⟩
Neque áliud quidquam, nisi hoc quod habeo pállium.

C. F. G. Muellerus (Nachtr. pp. 143 sq.) coniecit: *Nega ésse quod dem néc medimnum mútuom.* —

DE RETRACTATIS FABVLIS PLAVTINIS

SCRIPSIT

LEOPOLDVS REINHARDT

PRAEFATIO.

Quam sapienter Athenienses Lycurgo auctore decreuerint fabularum ab optimis poetis compositarum exempla publice adseruanda esse, tum demum plenius perspicietur, ubi condicionem Graecarum fabularum cum Plautinis contulerimus. Quamuis enim in Graecis quoque hic illic dubitari possit, utrum scaenas ab ipsis poetis compositas an ab iis, qui ueteres fabulas denuo docuerint, fictas ante oculos habeamus, tamen inter omnes constat parce et raro interpolatoribus contigisse, ut suos pro clarissimorum poetarum uersibus uenditarent. Longe aliam Plautinarum fabularum condicionem esse apparet, quarum vix una alteraue maioribus interpolationibns, nulla minoribus dittographiis careat; immo optima quaeque quo magis populo Romano placebat et quo saepius docebatur, eo frequentioribus et saepenumero absurdissimis interpolationibus foedata est. Itaque factum est, ut alii falsis criminibus elegantem et ingeniosum poetam insimularent, alii ita excusarent, ut difficile sit ad diiudicandum, utrum eum magis defenderint an uituperauerint, alii pulcherrimam quamque fabulam ab eo abiudicarent, iudicia denique a uiris doctis de Plauti ingenio lata tantum inter se distarent, ut uix de eodem poeta loqui uiderentur. Qua in re tum demum opinionum consensus efficietur, cum, quoad fieri poterit, constabit, quid poetae ipsi, quid posterioribus tribuendum sit. Hanc quaestionem aliquatenus saltem promoturus nonnullas fabulas Plautinas denuo pertractaui.

DE PROLOGO MERCATORIS.

In prologis fabularum Plautinarum multa inesse, quae ad historiam rerum scaenicarum Romanarum explorandam magno usui sint, dudum cognitum est. Itaque non pauci uiri docti alius aliud secuti prologis operam nauarunt multaque collegerunt, ex quibus condicio eorum clarius cognosceretur. Plerique tamen satisfacere sibi uidebantur, cum de iis uersibus, quibus ad suas cuique quaestiones absoluendas opus erat, accuratius dissererent, reliquos aut omnes Plauto tribuerent aut ab eo abiudicarent aut omnino non curarent. Idem igitur cum PROLOGO MERCATORIS accidisset, Carolus Dziatzko[1]), uir etiam alias de Plauto bene meritus, unus ueram uiam ingressus id egit, ut in singulas eius partes sedulo inquireret neque ullum uersum spurium duceret, nisi certis idoneisque causis coactus. Quam rationem etsi ex animi sententia probo, tamen in multis et grauibus rebus eum uerum perspexisse negauerim. Vt enim uno uerbo dicam quod sentio, cum aliquanto plus quam par erat Plauto tribuisset, et fabulam et prologum ipsum sibi creauit aduersarios; ex his enim causas repetam, quibus eius sententiam refellam. Sed priusquam ad rem ipsam accedam, breuiter eorum sententias perlustrare libet, qui ante nos huic prologo operam nauarunt.

Primus, ut in tot aliis rebus, Fridericus Ritschelius[2]) si non uerum perspexit tamen falsum cognouit prologique formam, qualis ad nostram aetatem peruenerit, septimo post urbem conditam saeculo deberi contendit, quia ,Macci Titi' nomen us. 6

1) Mus. rhenan. 1871. XXVI p. 421 sq.

2) Parerg. Plaut. Terent. I. p. 233. sq. cf. p. 16; T. Macci Plauti Mercator ex rec. Fr. Ritschelii (1854) p. IX.

commemoretur. Paulo accuratius idem in praefatione editionis Mercatoris ‚imitatorem potius Plauti, quam Plautum' argui putat putida frequentia, qua us. 19. 25 sq. inepta uerba cumulentur.

Vltra progressus est Liebigius[1]), qui, cum satis constaret prologum qualem haberemus Plautinum non esse, quo modo primitus initium fabulae compositum fuerit, indagare conatus est. Qua in quaestione certum unde proficisceretur punctum repperisse sibi uisus est, cum prologi us. 3 et 4 ex Ritschelii recensione:

Etsi hóc parum hercle móre maiorum ínstiti,
Pro meá persona ut sim ád uos index ilico,

quos Charinus adulescens pronuntiat, postquam et argumentum fabulae et suos amores se elocuturum esse nuntiauit, ita interpretaretur, ut poetaster, qui post Plautum fuisset, discrimen, quod intercederet inter ipsius prologum et prologum uere Plautinum, his significaret; Charinum enim ilico i. e. primis fabulae initiis indicare, quis esset, hoc uero parum ex more Plautino fieri. Persuasum igitur Liebigio fuit a Plauto ipso huic Charini orationi breuem prologum praemissum eoque argumentum et Charini amores narrata fuisse; tum demum Charinum ipsum prodiisse amoresque suos exposuisse, ita tamen ut ‚omnis miseriarum uitiorumque amorem sectantium expositio in ea narratione — defuerit'. — At uide, quam uirum doctum sagacitas fefellerit! Vt enim uitaret Charinum in initio fabulae dicentem, quis esset, nouum prologum sibi finxit, qui eius munere fungeretur, et nihilo minus in proxima scaena Charinum idem fere denuo pronuntiare uult, ‚at non *ilico*'. Sed cum alio loco ad hos uersus reuertendum sit, nunc hoc contra Liebigium monuisse satis erit, primum Charinum omnino non dicere, quis sit, deinde in aliis fabulis personas nomina sua statim in initio profiteri uelut Mercurium in Amphitruone, Epidicum seruum in Epidico fabula. Quamuis autem errauerit, tamen ea laus Liebigio deneganda non est, temptauisse eum hanc quaestionem promouere uia, quam ante eum nemodum ingressus sit.

1) A. L. R. Liebig de prol. Terent. et. Plaut. Gorlitii 1859. p. 32 sq.

Minorem laudem meruit C. H. Weisius[1]: is enim totum prologum spurium ducit, primum quia multos uersus pessimos contineat, deinde quia us. 10 (6 apud Ritschelium) genetiuus *Accii* trium syllabarum sit, quae mensura apud Plautum rarissime uel nunquam inueniatur, tum quia ephebi, quorum mentio us. 40 et 61 fiat, e Terentio sumpti esse uideantur, postremum quia aequabili sententiarum conexu et comica ui careat. Talem argumentationem, quae aut nihil dicat aut absurda sit, aut quod in singulos uersus dictum sit, in totum prologum cadere uelit, operae pretium non est pluribus refellere.

Dziatzko denique ita quaestionem instituit, ut a fine prologi exordium caperet et paulatim ad initium progrederetur, cuius exemplum sequi mihi in animo est, et quod perpetuo aut probando aut refellendo illius ratio habenda est, et quod hanc uiam optimam esse ipse intellexi. Atque ultimos uersus i. e. us. 106—110 non modo nullam habere offensionem sed suum tenere locum nemo est qui negare possit. Vs. enim 109 et 110 transitum faciunt ad sequentem scaenam, qualis apud Plautum saepissime inuenitur, ceteri simplici sermone Plautino partem argumenti enarrant, de qua spectatores certiores fieri necesse est. Quodsi hi uersus omni suspicione exempti sunt, certum quaestionis fundamentum inuentum est, et iam nunc pro certo contendere licet nullum prologum posse Plautinum esse, nisi cuius argumentum et sermo cum his uersibus consentiat. Qua re non neglegendum esse censeo, quot res hic quam paucis uerbis narrentur, immo tamquam suum cuique uersui pensum ita tributum esse, ut us. 106 puellam emptam et aduectam esse narretur, us. 107 Charinus dicat, nolle se patrem quid factum sit resciscere, us. 108 denique quid ad rem celandam fecerit, contineatur: ex his igitur uersibus ipsis apparet nihil in hoc prologo suspicionem effugere posse, quod iusto longius explanatum aut altius repetitum sit.

Sed redeamus in ordinem: iam enim dicendum est de us.

---

1) Die Komödien des Plautus, kritisch beleuchtet von K. H. Weise. Quedlinburg 1866. p. 123 sq.

61—105. Quorum Dziatzko cum sibi persuaserit et argumentum et sermonem et artem poeticam optimis fabulae partibus paria esse, ne unum quidem in suspicionem uocare ausus est; quamquam enim ipse intellexit non deesse aliquot difficultates, tamen nullius momenti has esse censet. Qua in re cum a uiro doctissimo dissentiam, primum meum iudicium de iis scrupulis, quos ipse mouit, dicam, deinde nonnulla addam, quibus rem ad finem perduci posse confido. Et in pensitandis iis, quae ille attulit, difficillimum esse omnium uituperationem uitare haud ignoro, cum non tam certis causis quam diuinatione niti opus sit. An leges praescribere licet, quantum ad locum in suspicionem uocandum ualere uelis uocabula, quae in Plautinis quales habemus fabulis non inueniantur? Attamen quid de his sentiam, exponam; sunt autem tria: Atque in *munem* uocabulo (us. 105) offendendum non esset, etiamsi Festi et Nonii[1]) testimoniis careret; nec multo plus momenti *discubitum* uocabulo (us. 100) tribuerim, quod apud priscos poetas inuenitur, quamquam apud Plautum, cui adhibendi eius occasio non deerat, hoc uerbum non inueniri sane mirum est; tertio denique uerbo *adlaudat* (us. 85) eundem usum esse uix credibile est, ac si quis hunc uersum defendere uoluerit, textum coniectura emendet oportet. Maioris momenti sunt us. 61—63:

> *Sese éxtemplo ex ephébis postquam excésserit,*
> *Non út ego amori néque desidiae in ótio*
> *Operám dedisse,*

quos tam similes esse uersibus Terent. Andr. 51:

> *Nam is póstquam excessit ex ephebis —*

et Heaut. 110:

> *Ego istúc aetatis nón amori operám dabam,*

ut ex his conflatos esse facile conicias, iam Weisius cognouit. Talibus uero rebus lis diiudicari nequit; nam qui suam sententiam pertinaciter tueri uoluerit, nonnullos uersus omittet, ceteros sanos nec ea ratiocinatione tactos esse contendet. Quamobrem

1) Paulus ex Festo p. 143, 6 M. et Nonius p. 94 a G. hoc uerbum apud antiquos scriptores extitisse testes sunt.

6*

ex argumento horum uersuum causae repetendae sunt, quae dubitanti dubitationem adimant:

Quodsi poeta accuratius, quid Charinus gessisset, exponere uoluisset, certe narrasset, quid per duos annos de eo et de Pasicompsa factum esset. Vbi enim us. 8, ex quo comperimus Charinum bienniunı domo afuisse cum us. 533 et 534:

Pas. *Ecástor iam biénniümst, quom mécum rem coëpit.*
Lys. *Quid ais tu? iam biénniumst, quom habét rem tecum?*
Pas. *Cérto.*

comparauimus, eum ab ipso initio itineris Pasicompsam amasse apparet. Quid igitur hoc biennio de puella factum est? Secutane est amatorem nouos mercatus facientem? An cui abiens eam mandauit? An per biennium Rhodi manserunt, soli amori dediti? Talia Plautus nos docuisset, si de Charino fusius disserere uoluisset; sin breuem prologum fabulae praemittere uoluit, potuit omittere.

Deinde us. 90—92 commemoratur paedagogum filio a patre custodem comitemque datum esse:

Seruom úna mittit, qui ólim a puero páruolo
Mihi paédagogus fúerat, quasi uti mihi foret
Custós.

Attamen cum paedagogus uix alius quisquam appellari possit quam Acanthio, qui praeter us. 154 et 155, quos Ritschelius insiticios esse censet, nusquam ita describitur, ut paedagogi munere eum functum esse appareat, offendit sane, quod in ipsa fabula nusquam reperitur expositum, quomodo Acanthio ex paedagogo et custode factus sit erilium libidinum adiutor.

Neque us. 80—86, quibus Charinus narrat, postquam patri odio se esse intellexerit et amorem missum facere consilium ceperit, a patre nauem mercatus causa se petiuisse, cum us. 357—358 conueniunt:

Iam hinc ólim ⟨me⟩ inuitum domo éxtrusit áb se,
Mercátum ire iussit.

Quae discrepantia non tollitur, si respexeris poetam in canticis uerbis solitum esse res augere: filius certe non sua sponte sed coactus a patre nauem conscendit.

Denique quod Charinus patrem de se praedicantem facit (us. 64—72), se nunquam amori neque desidiae operam dedisse, sed perpetuo ruri humillimis laboribus occupatum degisse neque unquam in urbem uenisse nisi Panathenaeis, id aperte pugnat cum fabula ipsa ac praecipue cum us. 264—265:

Amáui equidem hercle ego ólim in adulescéntia,
Verum ád hoc exemplum númquam ut nunc insánio.

et us. 546:

Certúmst: antiqua récolam et seruibó mihi.

An putabimus patrem filio mendacia dixisse? Iam igitur aude magnam hanc Charini expositionem a Sarsinate mecum abiudicare; nam quod Dziatzko profert, ut contrarium probet, refelletur, simul atque de us. 40—60 dictum erit: de quibus uix opus est ut accuratius disseratur, quippe qui sine sequentibus uersibus nullum omnino sensum praebeant. Omittamus igitur ea, quae Dziatzko ipse in iis uituperet, satis erit commemorasse eum sine ullis scrupulis Plautinum esse nihil statuere nisi quattuor uersus 46 et 52—54. Cum uero non dubitet, quin similis Charini narratio in uero prologo infuerit, eam autem postea refictam singulosque inde uersus in nostrum prologum translatos esse putet, mirum certe esset, si talis narratio ab ipso Plauto ficta non tota in nostrum prologum recepta esset; uix enim uir doctus contendet, eam iis nugis, quas nunc eius loco legimus, etiam deteriorem fuisse uel a populo habitam esse; illud poetae, hoc populo Romano iusto plus maledicere est. Sed examinare libet, num Dziatzko hoc suo iure contenderit. Et nititur inprimis us. 355 et 357. 358:

Sció saeuos quám sit, domó doctus dico [1].

et *Iam hinc ólim me inuítum domo éxtrusit áb se,*
Mercátum ire iússit.

quibus adulescens sortem suam deplorat. Sed ut largiar uiro docto iuuenem iam olim patrem contra amorem suum saeuientem uidisse, tamen concedere nequeo in prologo de eo amore sermonem fuisse, cuius rei ne minimum quidem uestigium in his uersibus

---

1) *dico* pro *igitur* coniecit Studemund.

extat. Cur uero Dziatzko praeterea uersus 337 sq. et 360 sq. attulerit, prorsus non uideo, cum ad priorem Charini amorem hi minime pertineant. Quod porro Woelfflinus[1]) elucubrauit, ipsum fabulae nomen postulare, ut accuratius de mercatura ageretur, primum ueteres poetae comici in eligendis fabularum titulis tam scrupulosi omnino non erant, tum etiamsi totus prologus Plauto adscribitur, undecim uersibus de mercatura agitur, denique nomen fabulae inde sumptum est, quod e mercatura totum argumentum pendet. Praeterea Dziatzko, cum nonnulla in his uersibus insint, quae ad Graecos mores pertineant, apparere putat, Plautum eos non admodum mutatos ex Graeco exemplo transtulisse; ad hoc satis est respondisse, non solum Plautum graeca latine interpretari potuisse sed pariter quemlibet interpolatorem.

Sed nondum hanc prologi partem derelinquere possumus, priusquam pauca de corruptis us. 46—60 locuti simus. Eorum autem ordo in codicibus is est, ut deinceps legantur us. 46. 50. 51. 59. 60. 57. 58. 47—49. 52—56, si Ritschelii numeros retinemus, quem hic rectum ordinem restituisse nemo, puto, contendet, etiamsi tales locos audacissimis remediis sanandos esse concedatur. Discernuntur enim, id quod Ritschelium fugit, tres modi obiurgandi: nam modo domestico sermone pater filium ita uituperat, ut omnes familiares audire possint (us. 46—54, 61—79, cf. 59 *summo haec clamore*), modo mussans (us. 59) de eo queritur (cf. us. 55. 56), modo eum per totam urbem diffamat (cf. us. [60.] 57. 58). Si uero patris opprobria ita discreta esse ueri simile est, quin us. 55 et 56 eas res contineant, quas pater mussans dixerit, dubitari uix potest. Praeterea in lectione Ritscheliana displicet quinquiens transitum fieri ab oratione directa ad orationem obliquam uel uicissim (cf. us. 46—47, 49—50, 50—51, 56—57, 60—61); nec magis probandum est eos uersus, quibus pater suam uitae rationem cum filio comparet (us. 52—54 et 61—79) et qui artissime inter se cohaereant, aliis uersibus interiectis dirimi. Maximam horum scrupulorum partem

1) Woelfflinus apud Dziatzkonem l. l. p. 481.

Ladewigius[1]) sustulit us. 55. 56. 59. 60. 57. 58. post us. 79 transponendo. Ita optimum elimacem opprobriorum restitui putat, eum pater primum filium doceat seque exempli instar proponat', paulatim magis magisque iratus eum suum esse neget, denique publice fidem ei demat. Qua in re hoc praecipue uituperem, quod us. 55 et 56 uersui 59 praecedere uoluit, et patrem talia opprobria *summo clamore* fecisse putauit.

Vnum restat, ut si non Plautum ipsum tamen interpolatorem recuperemus. Primi enim huius de quo agitur loci uersus in codicibus hi fere sunt (us. 46 sqq.):

> *Obiúrigare páter haec noctes ét dies,*
> *Perfidiam iniustitiám lenonum exprómere,*
> *Lacerári ualide suám rem, illíus augérier.*

Secundum uersum interpolatum esse Dziatzko contendit, quia in tertio uersu *illius* uocabulum unum lenonem, cuius in praecedentibus uersibus mentio fiat, respiciat. Sed cum non intellegam, cur interpolator ad similitudinem Ciceronis (conf. e. g. Cic. ad Att. II 12; Mil. 13) *expromere perfidiam (et) iniustitiam* pro »seine Treulosigkeit und Ungerechtigkeit zeigen« usurpare nequeat[2]), non dubito, quin duo uitia una medela sananda sint et pro *lenonum* propono *lenonem*, quod uerbum quoniam metri causa transponendum est, non cum Ritschelio inter *perfidiam* et *iniustitiam* collocauerim, sed cum Bothio in initio uersus, siquidem in dactylo ante caesuram penthemimere apud interpolatorem uix haerendum est:

> *Lenónem perfidiam iniustitiam exprómere,*

ut leno sit, qui perfidiam et iniustitiam expromat et *illius* uerbum in sequente uersu iam habeat, quo referatur; hoc autem uerbum metri causa mutandum non esse me docuit Augustus Luchsius. Quodsi meam coniecturam probaueris, quae causae Ritschelium commouerunt, ut us. 50. 51 et 47—49 transponeret, eae sublatae sunt et lenioribus mutationibus textum

---

1) Philolog. XVII p. 476 sq.

2) Cf. etiam Dziatzko l. l. pag. 428 sq.

satis sanum mihi uideor restituisse, in quo uersus sic se excipiant[1]):

uulg.		Ritschel.
46	*Obiúrigare páter haec noctes ét dies:*	46
47	*Lenónem perfidiam iniustitiam exprómere,*	50
48	*Lacerári ualide suám rem, íllius augérier,*	51
53	*Amórem multos inlexe in dispéndium;*	47
54	*Intémperantem, [incógitantem], iniúrium,*	48
55	*Trahere éxhaurire mé quod quirem ab sé domo;*	49
56	*Ratiónem pessumam ésse, ea quae ipsus óptuma*	52
57	*Omnis labores inuenisset pérferens,*	53
58	*Amóris ui diffúnditari ac didier.*	54
61	*Sese éxtemplo ex ephébis postquam excésserit,*	61
62	*Non, út ego, amori néque desidiae in ótio*	62
63	*Operám dedisse, néque potestatém sibi*	63
64	*Fuisse: adeo arte cóhibitum se esse á patre.*	64
65	*Multo ópere inmundo rústico se exércitum,*	65
66	*Nec nisi quincto anno quóque solitum uísere*	66
67	*Vrbem, átque extemplo inde, út spectauissét peplum,*	67
68	*Rus rúsum confestim éxigi solitum á patre.*	68
69	*Ibi múlto primum sése familiárium*	69
70	*Labórauisse, quom haéc pater sibi diceret:*	70
71	*,Tibi arás, tibi occas, tibi seris: tibi itém metes,*	71
72	*Tibi dénique iste páriet laetitiám labos.'*	72
73	*Postquám recesset uita patrio córpore,*	73
74	*Agrúm se uendidisse atque ea pecúnia*	74
75	*Nauém, metretas quaé trecentas tólleret,*	75
76	*Parásse, atque ea se mércis uectatum úndique*	76
	* * * * * * * * *	77
77	*Adeó dum, quae tum habéret, peperissét bona.*	78
78	*Me idém decere, si, út deceret mé, forem.*	79
49	*Summo haéc clamore. Intérdum mussans cónloqui:*	59
59	*Conuitium tot me ánnos iam se páscere;*	55

1) Ceterum, ubi non expressis uerbis monitum est, Ritschelii lectionem retinui.

60 *Quod nisi puderet, né luberet uiuere.* 56
50 *Abnúere, negitare ádeo me natúm suum,* 60
51 *Conclámitare tóta urbe et praedicere,* 57
52 *Omnés timerent mútuitanti crédere.* 58

Quod contra us. 18—39, ad quos disputatio nostra nunc progreditur, ab aliis monitum est et quod addi potuit, id Dziatzko ita collegit, ut equidem quod praeterea proferam nihil habeam. Nam uirorum doctorum, qui de hoc prologo scripserunt inde a Ritschelio nullus est, quin hunc centonem uituperauerit. Ritschelius ipse his praecipue uersibus, ut totum prologum spurium duceret commotus est, Liebigius eos certe in Plautina fabula nondum extitisse censet, Dziatzko, quem satis uel nimis cautum esse cognouimus, eos audacter eici iubet, quod ne mirum quidem est, nam et argumentum et sermo et metrum prorsus a Plauto abhorrent.

Itaque omissis his ineptiis transeo ad us. 1—17, quorum ordinem Ritschelium recte restituisse puto, nisi quod de us. 10—17, quorum postea demum condicio recte cognosci poterit, diuersum meum infra proferam iudicium. Nunc hoc solum mihi praeripiam, nullas omnino Charinum in proxime sequentibus deplorare miserias, certe non eas, quibus tum laboret, et de quibus se dicturum esse modo us. 17 indicauerit:

Vobis narrabo pótius meas nunc miserias.

Itaque hi uersus (12—17) ne ei quidem adscribi possunt poetae, qui ceteros interpolauerit. Vna autem cum his us. 10—11, quibus interpolator, quisquis fuit, ad suos uersus transitum fecit, eiciendi sunt. Mitto nunc us. 10—17 et transeo ad us. 7—9, in quibus primo obtutu eundem poetam recognoscimus, quem in us. 106—110 uidimus, qui artissimis uerborum finibus argumenti expositionem complexus est. Ac deletis iis uersibus, quos spurios esse diximus, textus integer efficitur et oratio tam plane procedit, ut nunc demum uideamus, interpolatorem similem orationis concinnitatem assequi non potuisse. Iungas modo us. 106

Quid uérbis opus est? émi eam atque aduéxi heri.

cum us. 9

Ibi amáre occepi fórma eximia múlierem.
nihil profecto est, quod reprehendas.

Versus 5 et 6 Plautinos esse nemo contendet, qui quid uirorum doctorum studiis de prologis exploratum sit, non ignoret[1]). In uersibus autem 3 et 4

Etsi hóc parum hercle móre maiorum institi,
Pro meá persona ut sim ád uos index ilico.

Ritschelius[2]), qui eos ita emendauit, ut posterioribus ne uerbum quidem mutare fas sit, poetam excusare uult, ,quod cui nunc solius prologi persona sit agenda, simul et statim ab initio pro sua Charini persona earum rerum, quas scire intersit, indicium spectatoribus faciat', Dziatzko, quod ea persona, cuius amores in fabula tractentur, prologum pronuntiet — at, quaeso, quid interest, utrum haec an illa persona fabulae prologum pronuntiet? quid excusatione opus est, si mos maiorum nulla alia re neglegebatur, quam quod prologus, quem illi aliis personis dabant, hic amatori datur? Ritschelium Dziatzko allatis Milite Glorioso et Amphitruone exemplis refellere posse sibi uidetur, in quorum prologos non minus quam in Mercatorem id, quod Ritschelius monuerit, conueniat. Quod quamquam concedendum est uerum esse, tamen non sequitur hunc morem apud antiquos poetas comicos fuisse; hic enim mos erat Plauti, ut prologus a personis recitaretur, quae in fabulis partes non agebant, quae aut allegoricae, ut hoc uerbo utar, erant (Cist. Aulul. Trin. Rud.), aut solum ad prologum recitandum in scaenam prodibant (Poenul. Capt. Cas. Asin. Menaechm. Pseud.). Atque haec quidem post Plauti mortem certa est lex, quam Terentius neglegere nunquam ausus est[3]). Itaque Plautus ipse nonnunquam personis, quae in fabulis partes agebant, prologum tribuit, cuius mortui cum fabulae docerentur, aut nouus prologus fingebatur, quod in Truculento factum esse uidebimus, aut excusatione opus fuit, ut in hac fabula. Quae si recte disputata sunt, facile inde colligitur

---

1) Osann. l. l. p. 172 et 175 sq.; Ritschel. Parerg. Plaut. Terent. p. 233 sq.; Liebig. l. l. p. 33; Dziatzko l. l. p. 433 et de prol. Plaut. et Terent. p. 26 et 36. 2) Ritschel. l. l. p. 17 sq.

3) Cf. Scaenicae quaestiones Plautinae. scr. G. Hahn. p. 17.

non modo duos uersus, de quibus agimus, a Plauto abiudicandos esse, sed etiam in priore eorum lectionem *more amatorum*, quam Acidalius proposuit[1]), reiciendam esse.

Primi denique duo uersus Plautini sunt, ut totus genuinus prologus hic sit:

Duas rés simul nunc ágere decretúmst mihi:
Et árgumentum et meós amores éloquar.
Pater ád mercatum hinc mé meus misit Rhodum.
Biénnium iam fáctumst, postquam abii domo.
Ibi amáre occepi fórma eximia múlierem.
Quid uérbis opus est? émi eam atque aduéxi heri,
Eam me áduexisse nólo resciscát pater.
Modo eám reliqui ad pórtum in naui et séruolum.
Sed quid currentem séruom a portu cónspicor,
Quem náui abire uétui? Timeo, quid siet[2]).

Hoc igitur prologo Mercator fabula uidetur instructa fuisse, cum mortuis Plauto et Terentio tanta inopia bonarum comoediarum effecta est, ut ueteres fabulae denuo in lucem protraherentur. Ne tamen nihil noui proferre posse uiderentur, quibus hae res curandae erant, et fabulam nouis iocis passim ornauerunt et prologum amplificauerunt. Eo tempore illa accuratior de mercatura narratio addita est, quacum id cohaeret, quod iuuenis de priore amore disserit. Quae quamquam minoribus uitiis non carere uidimus, tamen uestigia hominis deprehendimus, qui non sine arte Plautum imitatus sit et Terentium nouerit et pauca ex eo in suum usum conuerterit. Quamuis autem hoc prologo morem aetatis suae migrari cognouerit, tamen initium fabulae mutatis temporibus accomodare non est ausus, ubi uero additis nonnullis uersibus aetati suae satisfacere potuit, stilo non pepercit. Huic igitur homini tribuo us. 3—6, 10—11, 40—105, exceptis uersibus 55—60. Versibus 3—4 insolitam prologi formam

1) B *matorum*, CD *maiorum*.

2) Vnum etiam nunc in hoc prologo extare uitium uidetur. A Plautino enim usu abhorret sermo ita, ut in us. 6—8 uidemus, propagatus, emendationem uero certam uel probabilem non inueni; fortasse us. 7 scribendus est:

Sed me áduexisse nólo resciscát pater.

excusauit, us. 5—6 cum spectatoribus, id quod tum fieri solebat, nomina poetarum Graeci et Latini et fabulae communicauit, us. 10—11 transitum fecit ad narrationem, quam ipse finxit; haec omnia eiusmodi sunt, ut uix alio tempore oriri potuerint. — Ea ex narratione ut us. 55—60 exciperem, uariis causis commotus sum. Vix enim credibile est, eundem patrem, qui per totam urbem clamitans filio fidem demat (us. 57—58), ei talentum argenti committere (us. 89). Hos igitur sex uersus ab eodem coniciam conscriptos esse, qui us. 18—39 composuerit, quos et ipsos ineptiis scatere iam dictum est. Quo tamen tempore hae nugae in prologum receptae sint, quamquam erui uix potest, tamen eas nunquam in scaena Romana recitatas, sed tum demum fictas esse, cum fabulae legerentur, non docerentur, confidenter ausim contendere. Vnde uidetur factum esse, ut us. 55—60 nunc in codicibus alio loco legantur atque quo eos qui finxit inseri uoluit. Nam quod Ladewigius sibi et Dziatzkoni persuasit, hoc ex condicione archetypi explicandum esse, qui in unaquaque pagina uiginti uel uiginti unum uersus continuerit, difficultatem minime expedit. Fac enim primum, unamquamque paginam uiginti uersus habuisse, in prima quidem cum titulo prologi us. 1 – 19, in secunda us. 20—39, in tertia us. 40—59, in quarta us. 60—79 scripti essent. Si autem in tertia us. 55 – 59 et in quartae initio us. 60 omissi essent, in tertia pro iis scripti essent us. 40—65, in quarta us. 66—85: qui igitur fieri potuit, ut uersus omissi post us. 79 insererentur? Nec aliter res se habet, si uiginti unum in unaquaque pagina scriptos esse posueris. Contra si nostram sententiam probas, hi uersus ab ipso interpolatore in margine adscripti iam antiquissimis temporibus falso loco illati sunt, quod qualicunque ratione explicandum est, hunc centonem post us. 40—105 fictum esse confirmat.

Versus 12—17 non ab eodem interpolatore fictos esse, a quo us. 40—105, supra uidimus. Ceterum illos quoque a posteriore poetastro compositos esse censeo sed multo ante quam us. 18—39 fingerentur[1]). Hi enim, ut Dziatzko uidit, illis uersibus

1) Versus 12—17 circa a. 700 V. C., us. 18—39 Frontoniana aetate fictos esse censuerim.

originem debent, in quibus Charinus suas miserias se enumeraturum esse profitetur neque enumerat. Quam lacunam ut expleret, is qui us. 18—39 conscripsit, miseriarum uel, ut ipse dicit, uitiorum (hoc enim uerbo sine dubio idem significari putauit) seriem adponere uoluit. Et sequuntur re uera miseriae amoris:

Cura aégritudo nimiaque elegántia[1].

Sed iis nominatis nondum sibi satis fecit; nam cum subito ei alia quoque mala amore nasci in mentem ueniret, ea addidit, non quo illas quoque miserias duceret, sed ut omnia quae eodem pertinerent, congereret. Sed si quis probabilius esse putet, eum qui miserias describere uoluerit non ita a proposito aberrasse, sed ea, quae miserias non continuerint, ab alio addita esse, nihil habeo quod contradicam.

Quattuor igitur (uel quinque) discernendi sunt homines, quibus Mercatoris prologus debeatur. Plautus decem uersus finxit, gregis dominus sexaginta sex addidit, duo (uel tres) praeterea interpolatores diuersae aetatis cetera inseruerunt.

DE COMPOSITIONE TRVCVLENTI.

Interpolatores autem in prologis retractandis sese non coercuisse quamquam etiam Mercatore fabula doceri potest, tamen quam late eorum opera patuerit, haud scio an melius ex aliarum fabularum condicione perspiciatur, quarum de una alteraue paucis disserere nunc mihi liceat. Atque initium faciat Truculentus;

1) Etiam *nimiam elegantiam* inter miserias numeraui, quia horum uersuum auctor, ut ex sequentibus uersibus elucet, his uerbis pecuniae inopiam significauit.

cuius de compositione ut iudicium fieri possit, fusius de prologo uel ut rectius dicitur de prologis Truculenti disserendum est.

Neque enim ut uel casus ferebat uel arbitrium iubebat poeta fabulis prologos dedisse aut denegasse censendus est, sed nonnunquam maxime necessarii erant, nonnunquam potuerunt sane abesse[1]) ut a Trinummo, non tamen sine usu erant ad spectatores in medias res introducendos. Illorum an horum numero utrum adscribendus an omnino superuacaneus et molestus sit prologus Truculenti, non curauerunt, qui de eo scripserunt.

Osannus[2]) quidem nihil de eo dicit, nisi a fine integrum eum esse non uideri, Ritschelius[3]) ut prologum Mercatoris aliosque propter Plauti nominis mentionem spurium eum esse iudicat, Liebigius[4]) nihil noui attulit, nisi quod uerba *mores pristini* (us. 7) praue intellexit itaque res falsas prologo imputauit, quae in illis uerbis inesse non possunt. Contra quos omnes si iisdem armis pugnaretur, quibus pars prologi Mercatoris a suspicione purgata est, quid responderent? Si concederemus initium Plautinum esse non posse, quid haberent quo demonstrarent cetera Plautina non esse? Sed ut recte de prologo iudicari possit, argumentum fabulae exponendum est; nam ut argumentum prologo sic contra etiam prologus argumento illustrari potest; est autem, si scaenarum ordinem sequimur, tale: Prologo perorato Diniarchus prodit et multum de meretricibus et lenonibus questus se olim Phronesio *summum atque intumum* fuisse disputat, nunc uero, cum sua pecunia consumpta sit, una cum Babyloniensi milite illam uicturam esse, cui puerum se peperisse simulet; se autem ab ea falli non posse, nam probe se scire eam nunquam prae-

1) Aliter de hac re iudicauit Brixius in praefat. editionis Trinummi p. 21.

2) Analecta critica p. 180.

3) Parerg. Plaut. Terent. p. 233.

4) Liebigius l. l. p. 39 uerba *mores pristini* ita interpretatur, quasi non potuerint a Plauto dicta esse, quippe quae mores Plautinae aetatis respiciant, cum poeta hoc solum dicere uelit: ,Profecto iam uideo uos eosdem retinuisse mores, quos antea habuistis quosque etiam nunc uos habere expectaui.'

gnantem fuisse (I, 1). Accedit Astaphium docetque eum, quantum intersit inter diuitem et pauperem amatorem; tandem is simulat se nondum omnem rem familiarem perdidisse sed etiam tum agros et aedes reliqua esse; tum ancilla extemplo permutata eum intrare iubet; cum uero de partu eam interroget, eram re uera peperisse respondet dubitantique, ut uidetur, persuadet (I, 2). Tum Diniarchus domum meretricis ingreditur, Astaphium in scaena remanens, postquam quibus modis amantes circumducantur, disseruit (II, 1), Strabacem iuuenem rusticum blanditiis sibi conciliare studet, sed a Truculento seruo ne in aedes eius intret, acerbis uerbis prohibetur (II, 2). Proxima scaena redit Diniarchus, qui frustra Phronesium quaesiuit, quam nimis diu lauari lepide queritur (II, 3). Tandem meretrix domo exit amatoremque secum introducit, quocum intra parietes colloquens conspiciebatur. Nunc ipsam Diniarchus de partu simulato interrogat et cum totam rem, ut acta sit, compererit, libenter donum promittit maximoque gaudio affectus est, quod sibi commissum sit,

Germánae quod sorόri non credit soror (II, 4, 84).

Hoc continetur scaena II, 4; a proxima secundus actus incipit, cuius argumentum eodem quo primus die agitur. Phronesium paucis uerbis omnia ad accipiendum Stratophanem militem parari iubet (II, 5), cum ipse intrat et facile deceptus magnis eam donis obruit (II, 6). Paulo post Cyamus, Diniarchi seruus, huius dona et obsonium affert, itaque militem, qui sibi hunc praelatum esse dolet, in tantum furorem impellit, ut seruus eius uim uix effugiat (II, 7). Quo facto Phronesium domum ingreditur, miles iratus in scaena relinquitur (II, 8). Hic secundus actus finiri potest, sed necessarium non est: nam eodem tempore, quo Stratophanes scaenam relinquit, Strabax rure in urbem uenit et in domum meretriciam se confert (III, 1). Astaphium, quae fores aperuerat, in scaena remanet et seruo, qui repente pristinis moribus abiectis eam sequitur, ut secum adcubet, persuadet (III, 2). Qua scaena tertius (uel secundus) actus finitur; insequentis initio Diniarchus prodit summo gaudio elatus, quod sua munera a meretrice libenter accepta, militis neglecta sint (IV, 1). Sed eo magis obstupescit, quod cum iterum intrare cupiat, ab Astaphio

excluditur (IV, 2). Tum Callicles senex cum duabus ancillis prodit, e quibus comperit puerum e filia sua natum Phronesio traditum esse, quae hunc ex se natum esse fictura sit. Interroganti, a quo filia uitiata sit, respondetur, a Diniarcho. Tum hic, qui totum colloquium audiuit, reum se confessus promittit Calliclis filiam, ex qua filium genuerit, in matrimonium se ducturum esse (IV, 3). Proxima scaena Diniarchus a Phronesio puerum reposcit, sed ei persuadetur, ut puerum tam diu apud Phronesium esse sinat, dum miles maiori pecunia circumductus sit (IV, 4). Quo facto Strabax et (si us. 66 sq. recte constituti sunt) Stratophanes intro ducuntur, ut ambobus mos geratur (V).

Iam si ad primam huius fabulae scaenam redimus, sane mirari licet, quo modo Diniarchus ante tres dies Lemno Athenas reuersus (I, 1, 74) scire potuerit, Phronesium puerum sibi supposuisse nec sibi ipsi rem confessuram esse, sed uerba dare uelle (I, 1, 68—73); nam hoc ex tota fabula facile intellegitur Diniarchum, postquam redierit, tum primum meretricem uisere; aliter autem, quo modo res se haberet, comperire non potuit, nam nec omnino talia peruulganda sunt et praecauendum erat, ne miles de ea re certior fieret, nec ipsa Phronesii familia (II, 4, 34a sq.) nec uicinus Callicles[1], pueri auus, quidquam de ea re audiuit (IV, 3). Atque diligenter fabula ipsa inspecta Diniarchum de uera partus condicione nihil comperisse pro certo resciscimus. Velut in scaena I, 2, in qua Diniarchus Astaphium de partu interrogat, profecto dubitat, utrum uera sint quae audiat necne, sed alias dubitandi causas non affert, nisi quod uentrem mulieris nunquam extumescere uiderit, quae dubitatio facili opera Astaphii uerbis (I, 2, 97 sq.) tollitur; nihil certe indicat Diniarchum eius uerbis diffidere; attamen, si bene Plauti consuetudinem noui, ancillae mendacia si perspexisset, ad spectatores conuersus detexisset. Idem concludere licet ex secundi actus scaena quarta cum ex uersibus 31—33b, 37, 39—40, 55—57, tum ex uersibus 83—84, quos nullo modo poeta Diniarcho tri–

---

1) Calliclem Phronesii uicinum esse inde apparet, quod locus, in quem ancillas producit, ante domum eius est.

buere potuit, si eum iam antea suppositum esse puerum sciuisse uoluit.

Quid igitur de scaena I, 1 cogitabimus, in qua Diniarchus, quas res scire nequeat, eas enarret? Ne longus sim, haec scaena re uera prologus Plautinus est uel prologi locum tenet. Eodem modo, quo Palaestrio in Milite Glorioso in scaena prologi instar composita sic loquitur (us. 147—149):

Ei (Sceledro) *nós facetis fábricis et doctís dolis*
Glaucúmam ob oculos óbiciemus eúmque ita
Faciémus, ut, quod uiderit, ne uiderit e. q. s.

quamquam ad finem demum perducto prologo a Periplecomeno comperit Sceledrum id uidisse, quod ut non uidisse se putet, effecturum se esse iam promisit — eodem modo, inquam, Diniarchus hic de simulato partu disserere potest, quem, simulatque suam personam induit, fictum esse ignorat.

Quodsi constat duos huius fabulae prologos ad nostram peruenisse aetatem, primum quaerendum est, num in una eademque actione alter post alterum si non Plauti aetate, tamen post Plautum recitari potuerit. Hoc factum esse ideo nego, quia pars alterius in altero repetitur. Velut prol. us. 18

Ea sé peperisse púerum simulat militi

absurdus fuisset, si paulo post secuti essent us. I, 1, 68 et 69:

Peperisse simulat sése, ut me extrudát foras,
Atque út cum solo pérgraecetur milite, (cf. etiam uersus proximos).

Eadem condicio intercedit inter prol. us. 12

Hic hábitat mulier, nómen quoist Phronésium.

et I, 1, 58

Nam mihi haec meretrix, quae hic habet, Phronésium e. q. s.

Iam si diiudicandum est, utrum ex his prologis Plautinum esse putemus, ipsum Plauti nomen, quod in priore extat (prol. us. 1), hunc minore iure ipsi poetae tributum esse conuincit, cum partem certe ab alio fictam esse necesse sit[1]). Quae pars quoniam cum ceteris huius prologi uersibus artissime coniuncta sit, hunc pro-

1) Cf. locos, quos laudaui p. 90. not. 1.

logum totum post Plauti aetatem ortum esse ueri simillimum est. Illum quominus Plautinum esse statuamus, nihil obstat, dummodo teneamus in eum quoque aliquos interpolatorum uersus irrepsisse[1].

Videtur autem Trueulentus fabula, cum saepius ageretur, modo hoc modo illo prologo instructa prodiisse uel, ut equidem conicio, prologus Plautinus, cuius in locum recentior ille per aliquod tempus substitutus fuerat, iterum in lucem protractus inde ab eo tempore suum obtinebat locum. Recentior enim prologus ad scaenam I, 2 non quadrat nisi mutato initio fabulae; nam eum is a persona prologi habitu instructa recitari deberet, cum praeterea Diniarchus initio scaenae I, 2 iam in scaena sit, priusquam Astaphium prodeat, necesse est post hunc prologum scaenam insertam fuisse, qua Diniarchus prodierit; cuius scaenae cum nullum uestigium extet, ueri simile est non ita multo post Plauti mortem priorem prologum suum locum recuperauisse.

Ceterum genuinus ille prologus non differt ab aliorum prologorum forma. Vt enim saepius sic hic quoque accuratius de singulis rebus ad fabulam pertinentibus disputatur, tum spectatores in mediam fabulam introducuntur, denique Diniarchus uerbo *set* (us. I, 1, 76) tanquam nouam personam induit.

Sed postquam iam duos prologos Plautinos restituimus, quorum in locum a posterioribus alii conscripti sunt, occasionem oblatam praetermittere non possumus, quin paucis uerbis exponamus, qua ratione posteriores in ea re Plautinis prologis usi sint[2]. Posteriores enim in enarrando argumento uersus Plautinos aut totos integros transscribere non dubitant (ut in Mercatore) aut iisdem fere uerbis utuntur (ut in prologo Trueulenti), praeterea uero nec ingenium nec cupido fingendi narrationes, quae

1) Interpolationi deberi us. I, 1, 49 et 50 cognouit Th. Bergkius, Beiträge zur lat. Grammatik I. Halle 1870. p. 129.

2) Cf. Ritschelium l. l. p. 235: »Die allgemeine Möglichkeit, dass für die Abfassung der neuen (Prologe) die alten benutzt und ganze Partieen aus diesen in jene aufgenommen wurden, wird keineswegs geleugnet, doch kommt es auf einleuchtendere Nachweisung solcher Mischung an als bisher versucht wurde.«

aliqua ratione cum fabula cohaererent (ut in Mercatore descriptio mercatus) iis defuit; longiores autem locos ex Plauto receptos esse, eius rei in neutro exempla inueniuntur; quod ne mirum quidem est, nam si tales uersus, quos etiam magnae spectatorum parti conscribere haud difficile erat, ab aliis sumebant, ne parum ingeniosi uiderentur, timendum erat. Et ipsi spectatores fortasse in prologis nouos iocos audire uolebant, etiamsi ueterem fabulam denuo actam non respuebant, ut nostra aetate saepenumero ueteres comoediae docentur nouis carminibus, quae nos ‚Couplets' nominamus, exornatae.

Iam ad fabulam ipsam transeamus: quam mutilam esse inter omnes constare uidetur, quamquam nemodum, quantum sciam, operae pretium habuit iustas huius suspicionis causas afferre; nam quod Gustauus Schmitzius[1]) disputat, id nihili aestimandum est. Qui uir doctus uix credibile esse iudicat fabulae nomen inditum esse ab una scaena, in qua seruus Strabacis se truculentum probet; ad hoc satis est eum Trinummi commonefecisse. ‚Deinde', sic pergit, ‚ostendi debuit, quibus de causis naturam seruus mutauerit, quod factum III, 2 miramur', quamuis seruus ipse causam afferat III, 2, 14—15:

Heus tú, iam postquam in úrbem crebro cómmeo,
Dicáx sum factus, iám sum caulatór probus.

quamquam hic eum aliquatenus uera uidisse postea apparebit. Praeterea autem commotus uerbis Donati, quae ad Terent. Adelph. V, 9, 29 adnotata sunt: *Quod te isti facilem et festiuom putant*] *Bene in postremo dignitas personae huius seruata est, ut non perpetuo commutata uideretur, ut Truculenti apud Plautum*, quintum actum totum desiderat, quo apparuerit illam naturae mutationem simulatam fuisse. Fac hoc dictum esse Donati uerbis, quid lucramur? Difficultatem, quam tollere uult, Schmitzius auget: cum antea mirati simus ferocem seruum tam cito deleniri, nunc adeo callidum simulatorem habemus. Sed rem actam ago, nam nihil certius est, quam ad Donati tempora fabulam non posse peruenisse integriorem, quam ad nostra. Quotquot enim fabulas

1) G. Schmitz: de act. in Plaut. fab. descript. Bonnae 1852 p. 26.

uel Graecas uel Romanas respexeris, nullius semel retractatae pristina forma una cum noua per tot saecula seruata est. Sed largiamur hoc Schmitzio: ne sic quidem, si *perpetuo commutata* idem ualere atque *iterum iterumque commutata et quasi uacillans* putauerimus, Donati uerbis efficitur seruum clemens ingenium simulauisse, sed potius hoc: eum primum ex truculento clementem deinde rursus truculentum tum denuo clementem factum esse. Hoc uero Donatum dicere noluisse nemo non uidet. Immo cum senex Terentianus ex digno indignus et rursus sub fabulae finem dignus factus a Donato opponatur seruo Plautino, qui ex truculento clemens factus pristinam naturam (sub fabulae finem) non recuperet sed *perpetuo* i. e. in perpetuum uel per reliquam fabulae partem *commutatus* i. e. clemens remaneat, nullo modo Donatus testis est finem fabulae extitisse, quo seruus iterum truculentum se praestiterit.

Spengelius [1]) quoque magnas fabulae partes deperditas esse iudicat et tertio actui mutilato scaenas III, 1 et III, 2 ascribit, quartum totum intercidisse putat, nisi forte tertius potius interciderit et III, 1 et III, 2 quarti actus sint, sed cur paene duos actus intercidisse crediderit, causas non addidit.

Quod in eiusmodi quaestionibus lucem afferre solet, argumentum acrostichum, in hac fabula nihil ualet, nisi quod documento est eum qui hoc confecerit ipsum non plus ante oculos habuisse quam quod nos habeamus aut scaenas deperditas nihil grauius ad consummandam fabulam continuisse. Priorem sententiam is uersus refellere uidetur, quem Priscianus [2]) se ex Plauti Truculento excerpsisse dicit:

Bona pérdidi, mala répperi, factùs sum extimus a uobis.

Hanc enim conclusionem forsitan probare possis: Si constat totas scaenas interiisse, ex his hunc unum uersum a Prisciano seruatum esse ueri simillimum est; sin Priscianus hunc uersum seruare potuit, in manibus fabulam habuit integram et uere Plautinam:

---

1) T. Macci Plauti Truculentus ed. Spengel. Gottingae 1868. praefat. p. V.

2) Priscian. I. 401 H.

cum uero eo tempore etiam duas recensiones alteram longiorem alteram multo breuiorem extitisse haud credibile sit, Prisciani aetate ea sola recensio extabat, quae integram comoediam continuit; sequitur deperditas partes post Priscianum i. e. medio aeuo intercidisse. Sed primum quidem liber Ambrosianus, qui ante Prisciani tempora scriptus est, sane multo longiorem quam Palatini Truculentum non continuit (cf. Studemundum in Spengelii editione pag. IX sqq.). Deinde hic uersus non e deperditis scaenis sumptus est, quippe quem nemo potuerit pronuntiare nisi Diniarchus, quia ceteri amatores bona nondum perdiderunt; ac ne Diniarchus quidem de bonis perditis queri poterat post scaenam II, 4, in qua se omni tempore amicae amicissimum fuisse intellegit et futurum esse sperat. Atqui ante scaenam II, 4 totae scaenae Plautinae, quod uideam, non interciderunt. Cum porro nullus extet locus, ubi apte inseratur, alterum utrum ex his duobus factum esse necesse est: aut omnino Truculenti hunc uersum nec esse nec fuisse, sed in deterius aliquod exemplum, quo Priscianus uteretur, irrepsisse, aut una cum aliis, inter quos suum teneret locum intercidisse; quod mihi quidem ueri similius uidetur esse[1]).

Sed iam uideamus, quibus causis cogamur, ut fabulam non integram esse putemus. Et postquam quod Schmitzius disputauit reiecimus, unum locum extare censeo, qui certum praebeat uestigium: uersus iam supra laudatos III, 2, 14—15. Quid enim? Se crebro in urbem commeasse dicit seruus inter scaenas II, 2, in qua truculentum se praebeat, et hanc? Quando? quaeso. Nam tempus ei non erat crebro in urbem commeandi, cum quartus (uel tertius) actus eodem die paucis horis post primum agatur. Hoc uno loco, ut alia praetermittam, demonstrare libet: uersu enim II, 4, 89, qui primi actus est, Diniarchus promittit mulieri quinque minas et obsonium *iam modo ilico* se missurum esse, et uersu IV, 2, 34, qui quarti (uel tertii) actus est, conqueritur se ab illa cena exclusum esse; unde sequitur primos quattuor actus paucarum horarum spatio contineri.

1) Idem Th. Bergkio l. l. p. 50 placuit.

Quamquam igitur non is sum, qui negem a Plauto quidquam, quod minus probabilitatis habeat, praesertim ioci causa fictum esse posse, tamen poetam in re, qua tamquam fabulae cardo uertatur, quidquam fingere posse, quod compositioni fabulae aduersetur, nego. Praeter hos autem uersus nihil extat, quod mutatum serui ingenium apte explanet. Iam igitur recte conicias, non pauca, quae illud continuerint, interiisse.

Praeterea tribus locis Calliclis filiam prius Diniarcho deinde alii iuueni desponsam esse commemoratur, ex quibus ueri fiat simile in scaenis deperditis aliquid de his rebus dictum fuisse. Operam autem perdat, qui ex talibus rebus uel minimum de earum compositione enucleare conetur; ne inde quidem multum lucramur, quod Astaphium us. II, 2, 62—63 dicit:

Vérum ego illum, quamquám uiolentust, spéro inmutari pote
Blándimentis, hórtamentis, céteris meretríciis. —

Postremo mihi liceat centonem a Plauto abiudicare, qui quamuis ineptus sit, ut nunc editores sic tum spectatores fallere potuit. In uersibus enim II 1, 5—13 duae sententiae saepius repetuntur, primum Phronesium consilia maxime secreta cum Diniarcho communicare solere, deinde hunc amatorem nihil iam possidere, nam omnia, quae antea possederit, nunc mulierum esse; quas sententias, si argumenti fabulae supra expositi memineris, plane absonas esse apparet: nam duas res se credere eadem, quae haec uerba loquitur, Astaphium manifestissimo modo declarauit, et Diniarchum fundos et aedes etiam tum possidere et Phronesium eum de partu fallere uelle; sequitur hos uersus non posse Plautinos esse, sed us. 4 cum us. 14 coniungendum esse, ut ancilla, postquam Diniarchum bonis suis priuatum iri disseruit, iam quomodo meretrices amatores allicere et circumducere soleant, exponat. Nec casui tribuendum est quod hic in omnibus fere uersibus adlitteratio extat, quam in Truculento Plautum solito parcius adhibuisse auctor est Kiesslingius [1]) At uide interpolatoris

1) Kiessling: recens. Plaut. Truc. ed. A. Spengel, in ann. phil. 1868 p. 611 sq.

us. 5. *s*ua con*s*ilia *s*umma *e*lo*q*uitur *l*ibere
us. 7. *d*um fuit, *d*edit; *n*unc *n*ihil *h*abet, quod *h*abebat, nos *h*abemus
us. 8. Iste id *h*abet, quod nos *h*abuimus, *h*umanum *f*acinus *f*actumst
us. 9. . . . . *u*aria *u*itast

ut alia praetermittam.

Haec habui, quae de Truculenti compositione dissererem, quorum summa haec est: certis uestigiis apparere nos fabulam non talem habere, qualis e poetae manibus euaserit, sed ut post poetam reficta sit; et praeter prologum unum saltem locum extare, ubi interpolator in locum Plautinarum totarum scaenarum, quas consulto eiecerit, nonnullos uersus lacunae explendae causa composuerit.

DE EPIDICO.

Nunc ad Epidicum eo libentius transeo, quia in hac fabula tractanda occasio mihi dabitur disserendi, quid de contaminatione fabularum Plautinarum censeam. Quam quaestionem cum ea, quam tractandam mihi elegi, artissime cohaerere nemo non uidet. Nam in hac fabula quid Plauto ipsi, quid posterioribus tribuendum sit, diiudicari nequit, nisi antea exploratum erit, utrum contaminatione orta sit necne. Inde enim, cum prioribus saeculis uirorum doctorum unus alterue hoc uel illo loco offensus esset, nostro multa, quae poeta sibi constans scribere non potuisset, Weisius[1]) detexisset, Ladewigius[2]) plurima uitia pro-

1) M. Acci Plauti comoed. ed. Weise 1847.
2) Diurn. antiqu. stud. 1841 p. 1079 sq.

fecta esse contendit. Hoc recte dictum esse R. Muellerus negauit optimoque iure ita disputauit[1]: ‚Ac fac esse fabulam contaminatam, quid lucrabimur? Nonne etiam magis mirandum erit poetam, qui tanta diligentia duarum fabularum argumenta inter se componeret, ut ex iis uere unam faceret, eundem in singulis, quae tamen, si quidem scripsit, cum ipso fabulae argumento artissime cohaererent, quid consilio a se instituto conueniens esset non curauisse?‘ Idem uero multa falsa protulit minimeque ad finem rem perduxisse iudicandus est. Geppertus[2]) in editione sua passim aliorum proposita recipiens non multum ipse ad rem, de qua agitur, promouendam profecit. Denique Weisius[3]) postea suas notas repetiuit aliisque auxit. Nobis nunc propositum est eos locos, quorum uera condicio adhuc occulta esse uidetur, iterum in iudicium uocare, difficultates, quas praebent, quoad poterimus, remouere, denique de compositione fabuae iudicium ferre.

Atque initium facio a us. 57. 58 (I, 1, 56. 57):

Quia cotidie ipse ad me áb legione epistulas
Mittébat, sed taceam, óptumum est.

Nostro iure interrogamus, quid sit, quod seruus reticere uelit; inspectis uero iis locis, ubi Epidicus de eadem re Thesprione absente loquitur, seruo a Stratippocle mandatum esse docemur, ut emeret fidicinam, quam is Athenis amaret, dum ipse apud legionem esset, praeterea autem nihil per totam fabulam inuenitur, quod Epidicus Thesprionem celare potuerit; at si quid aliud esset, poeta id cum spectatoribus communicare debuisset, cum semel animos eorum ad hanc rem uertisset. Sed qui potuit hoc celare, si us. 46—48 (I. 1, 44—46):

Num cérto priusquam hínc ád legionem abiit domo,
Ipsús manduuit mi, áb lenone ut fidicina
Quam amábat emeretúr sibi. Id ei impetratum réddidi.

1) De Plauti Epidico scr. R. Mueller. Berolini 1865 p. 4.

2) M. Acci Plauti Epidicus ed. C. E. Geppert. Berolini 1865.

3) Die Komödien des Plautus kritisch beleuchtet von Weise, Quedlinburg 1866.

totam rem, ut acta est, Thesprioni narrauit? Hoc solum si respiciamus, ei uersus, quos secundo loco posui, suspecti uidentur, quae suspicio eo confirmatur, quod singulis uel binis senariis iambicis in mediis canticis locus uix concedi potest. Itaque non dubito, quin hi tres uersus, quibus quartus accedit us. 49 (I, 1, 47) ex. Poenulo (III, 5, 9) desumptus, eiciendi sint, cum praesertim, si us. 45 (I, 1, 43) cum vs. 50 (I, 1, 48) coniungitur, optime procedat oratio.

Proxima offensio est in us. 286 (II, 2, 109), qui in codicibus sic fere extat:

'Ego illum conueniam átque adducam huc ád te, quoia est fidicina.

Recte Muellerus [1] exponit credibile non esse, Epidicum promittere se lenonem ad Periphanem adducturum esse, cum minime ex ipsius re sit, senem lenonem conuenire. Minus feliciter Muellero res cessit in restituendo Plauto, cum sic scribi iuberet:

'Ego illum quoiast cónueniam atque addúcam huc ad te fidicinam.

nec rectum uidit Geppertus:

'Ego illum conueniam átque adducam huc ád te, quoi iam est, fidicinam.

Vterque enim neglexit sequentis uersus initium: *Atque argentum ego cum hoc feram;* nam necesse est prius argentum dari, quam fidicina a lenone abducatur, unde sequitur praecedenti in uersu de adducenda ad Periphanem fidicina sermonem fieri non potuisse. Rectius scripseris:

'Ego conueniam hunc átque adducam ad illum quoiast fidicina.

Postquam Epidicus pecuniam a sene acceptam ad Stratippoclem detulit, cauendum est, ne, cum Apoecides lenonem interroget, num argentum acceperit, fraus Epidici detegatur; quod ne fiat, quam uiam ingredi uelit, seruus his verbis narrat us. 355—357 (III, 2. 28—30):

Deuéniam ad lenoném domum egomet sólus, eum docébo,

---

1) l. l. p. 5—6.

Si qui ád eum adueniant, út sibi datum ésse argentum dicat
Pro fidicina, argentí minas se habére quinquaginta.

Postquam autem senex cognouit seruam prius emptam filiam suam non esse, hoc colloquium domini cum seruo incipit (us. 686—688. V, 2, 38—40):

Periph. *Dédin tibi minás triginta ob filiam?* Epid. *Fatéor datas*
'Et eo argento illám me emisse amicam fili fidicinam
Pró tua filia; ístam ob rem te tétigi trigintá minis.

Has triginta minas pugnare cum quinquaginta minis prioris loci cum primus Acidalius uidisset, sed nec ipse nec qui post eum in hoc loco haeserunt difficultatem sustulissent, R. Muellerus us. 357 (III, 2, 30) eiecit, qua in re Geppertum nactus est adsentatorem. Sed uide quam male poetae subuenerint! Nam si ne minarum quidem numerus, quas leno se accepisse indicaturus est, cum iis consentit, quas Apoecides lenoni datas esse putat, quam infirma spes fraudis perficiendae existit, quam detegi necesse erat, simulatque aut leno aut Apoecides minarum numerum commemorabat! Itaque mihi quidem Epidicus rem ita instituisse uidetur, ut leno nescio qua re commotus falsum numerum indicaret; confitendum igitur est hic discrepantiam extare, quae nec us. 357 (III, 2, 30) eiecto apte tollatur nec e contaminatione deriuari possit. Vnde uero orta sit, cum nimis intricata sit quaestio, alio tempore me explicaturum esse spero.

Re uera autem lenonem maiorem minarum numerum Apoecidi indicaturum esse, qui mox sequuntur us. 360—361 (III, 2, 33—34) confirmant:

Ibi léno sceleratúm caput suum inprúdens alligábit,
Quasi pro illa argentum accéperit, quae técum adducta núnc est.

Hos enim uersus praue intellexit Ladewigius, qui magnum atque insanum malum seruum hic lenoni minitari auctor est. Cuius rei cum nulla praeterea in hac fabula mentio fiat, in alia putat factum esse, e qua Plautus hos uersus sumpserit; hic igitur testimonium adesse, quo Epidicum ex duabus fabulis com-

positam esse euincatur; nempe talem sibi finxit poetam, qui totas scaenas, quibus res agantur, omiserit, uerba quibus indicentur, mira neglegentia receperit. Ladewigio de minatione Muellerus adsentitur Epidicumque inprudentem fuisse disserit, si minas elocutus esset, quae omnem modum excederent. Sed ubinam sunt istae inauditae minae? Vt enim exempli gratia dicitur, ‚aliquem iure iurando alligare‘, sic leno hic non alium nec se sed caput suum alligat i. e. ‚er setzt seinen Kopf dafür ein‘ uel ‚er behauptet‘. Difficilior ad interpretandum alter uersus est: nam quod primo obtuto continere uidetur, simulare inuitum lenonem sibi pecuniam solutam esse pro illa serua, quam Strattippocles nunc adducat, id poetam dicere non potuisse Muellerus monuit, quia nec lenoni nec duobus senibus de ea quidquam constaret. Attamen contra Muellerum, qui hos quoque uersus eiciendos esse praue censet, moneo sic potius interpretandum esse: ‚leno falsa opinione perductus suis uerbis speciem prouocabit, quasi ipse id argentum acceperit, quod re uera danistae solutum erit pro illa, quae tecum adducta nunc est.‘

Perspecta fraude Periphanes Epidicum ut puniat, relictis omnibus rebus se quaesiturum esse adseuerat (us. 590. IV, 2, 35) eaque re occupati senes paulo post describuntur (us. 650—663. V, 2, 1—14); postea uero Apoecides contendit, se cum Periphane Telestidem quaesiuisse (700 sq. V, 2, 52. sq.):

700. Apoec. *'Ain tu te illius inuenisse filiam?* Epid. *Inueni ét domist.*

702. Apoec. *Quámne hodie per úrbem uterque súmus defessi quaérere?*

703. Epid. *'Ego sum defessús reperire, uós defessi quaérere.*

Eam discrepantiam Muellerus Bothi sagacitate dudum sublatam esse iudicat scribentis cum Acidalio *quemne* (us. 702) pro *quamne* et uersus 702. 703. (V, 2, 54. 55) ante us. 698 (V, 2, 50) transponentis, ut hic ordo existeret:

(Epid.) *'Abi modo intro.* Periph. *Hei illúc non temerest! ádserua istum, Apoécides.*

Apoec. *Quémne hodie per úrbem uterque súmus defessi quaérere?*

Epid. *'Ego sum defessús reperíre, uós defessi quaérere.*

Nimis sagaciter excogitatum, ut absurdum fiat! Quid enim sibi uult illa Apoecidis interrogatio? An dubitat, quis adseruandus sit? Hoc si reputaueris, ignoscendum sane est Ladewigio et Weisio, quibus a Bothio scrupuli adempti non sint. Nam textus mutandus non est. Si enim illic Epidicum quaerendum, hic Telestidem quaesitam esse commemoratur, nihil aliud inde colligendum est, quam ambos quaesitos esse nec uestigia desunt, quibus hoc in animo habuisse poetam demonstretur. Velut Philippam, cum se spe filiae inueniendae deceptam esse uideat, Periphanes consolatur pollicitus se eam reperturum esse (us. 587. 588. IV, 2, 32. 33.), et quid pater antiquius habere potuit, quam ut filiam quam Athenas aduectam esse comperit, per totam urbem quaereret? Minime igitur poeta peccauit, qui una seruum et filiam quaerentes senes fecit; quod autem saepius illius quam huius mentio fit, id comico stilo tribuendum est, cui senex seruo iratus magis quam pater filiam desiderans conueniebat.

Hi sunt loci, de quibus post Muellerum, priusquam de Epidici compositione iudicium faceremus, pauca praemittenda esse nobis uisum est; restat, ut eandem, quam uir doctus protulit sententiam, eloquamur: cur hanc fabulam contaminatione ortam esse putemus, non esse causam. Nam, nisi egregie fallor, duae omnino uiae contaminationis probandae patent: aut enim personarum condicionem uel ingenium in diuersis fabulae partibus diuersa esse aut argumentum subito interruptum aliaque ratione, atque qua initio propositum sit, continuatum esse docendum est. Priorem uiam G. Wagnerus[1]) ingressus est, eum Aululariam contaminatam esse contenderet. Ac mea quidem sententia id quod uoluit non probauit; quid enim impedit,

1) De Plauti Aulularia scr. G. Wagner Bonnae 1865.

quominus duplicem Strobili personam posteriorum culpa in unam coaluisse, a Plauto diuersis nominibus insignitam fuisse putemus, cum post poetae mortem personarum nomina saepius mutata esse constet? Quod uero praeterea affert, alteram fabulae partem totam Megadori, alteram Liconidis amore et nuptiis impletam esse, imprudenter iudicauit, nam et in illa bis, non ut ipse uult semel (us. 75. I, 1, 36 sq., 270—277 II, 3, 5—12) Liconidis amor et in hac saepe Megadorus commemoratur.

Alteram quam laudaui uiam persequi libet in Poenulo, in qua duarum fabularum argumenta discernere haud difficile est. [1]) Agorastocles enim amat Adelphasium, quae apud Lycum lenonem seruit; eam ut liberet, Milphione auctore hunc machinatur dolum: Collybiscum uilicum habitu et uestitu Laconico cum trecentis nummis ad lenonem mittit, ut eum diem se cum puellis gaudio dare uelle dicat; tum ipse lenonem interrogare, num seruus suus cum nummis apud eum sit, negantemque in ius trahere sibi proposuit, ut tota familia sibi addicatur. En argumentum, quo magis tenue haud facile excogites, quod tamen ex poetae animo ad lenonem perdendum sufficit (us. 778—786. III, 5, 42—50.) paucisque scaenis additis res ad finem perduci poterat. At sequuntur duo actus, quibus resciscimus, Adelphasium et sororem Anterastilidem ingenuas esse Carthaginienses, eadem patria Agorastoclem natum, utrosque liberos a piratis raptos, quibus denique Hanno pater sororum, patruus Agorastoclis, prodit et filias suas uindicat, alteramque amatori in matrimonium dat. Hoc est alterum argumentum, quod cum illo ne minimo quidem filo cohaeret, immo illud Athenis agitur, ut us. 355 (I, 2, 149.) minime suspectus docet, hoc Calydone (us. 1045 V, 2, 97. 1169 V, 4, 8). Vltima fabulae scaena eo conspicua est, quod Plautus eam ita amplificauit, ut diuersa mala in lenonem irruerent, cum is, quem Plautus secutus est, solos Agorastoclem et Anthemonidem cum lenone agere finxisset. Huic rei tribuas, quod omnia quae ad Hannonem attinent breuiter,

---

1) Teuffel mus. rhenan. VIII. p. 35 sq., repetit. in Studien und Characteristiken zur griech. und röm. Literaturgesch. p. 274 sq.

nonnulla iisdem fere uerbis, quibus modo usus erat, a poeta expressa sunt. Velut cum Agorastocles dixerit: *Leno, eamus in ius* (us. 1327, V, 6, 5.), Hanno addit: *in ius te uoco* (us. 1328. V, 6, 6); cum leno ab Hannone compererit duas sorores filias huius esse, nihil negare conatus est minimeque perturbatus se miratum esse dicit, quod non dudum aliquis cognatus ad eas liberandas uenerit, (1329—1334. V, 6, 7—12); cum uterque poenam minitetur, bis idem respondet: *sume hinc quidlubet* (us. 1336—1337, V, 6, 14—15); cum Anthemonides placatus sit, cum solo Agorastocle agit, quasi Hanno non adsit (us. 1345—1350 V, 6, 24—29). Eo euenit, ut si totas Hannonis partes ex scaena demas, lacunae ne suspicio quidem oriri possit. Demptis igitur uersibus inde a us. 1328 (V, 6, 6.) altera parte usque ad us. 1334 (V, 6, 12) priorem partem, et omissis us. 1337 (V, 6, 15.) et us. 1340—1342 (V, 6, 19—21) scaena existit, qualis fere a Graeco poeta scripta fuisse uidetur. Haec si recte disputata sunt, necesse est in prologo, ubi nomen fabulae et Graecus poeta nominatur, de contaminatione quoque uerba facta esse, sed locus ita corruptus est, ut omni careat sensu (prol. us. 53. 54.):

Carchédonius uocátur haec comoédia
Latine Plautus Pátruus Pultiphagónides

Ritschelius [1]) hos uersus sic restituere conatus est:

Carchédonius uocátur haec comoédia
Graecé, Latine Pátruus Pultiphagónides

et Patruum Pultiphagonidem, quo si non ingeniose tamen recte Hannonem significari putat, nomen fabulae post Plautum inditum esse uult; sed nec credibile est, Hannonem eo nomine significari, qui Muthumballis, non Pultiphagonis filius sit (us. 984 et 986 V, 2, 35 et 37) nec ex argumento fabulae hoc nomen trahere nec patriae eius deridendae causa ita appellari potuerit, cum Romanorum uictus magna parte e pulte constaret; et si hoc Ritschelio concedas, tamen aliquos uersus hic intercidisse inde

1) Parerg. Plaut. Terent. p. 205.

colligendum est, quod Plauti nomen hic omitti non debuit, ubi de nomine fabulae et poeta agatur. [1])

Hanc igitur fabulam contaminatam esse iudico, quamquam summatim legentibus multo minor quam in Epidico offensio inesse uidebitur. Quodsi uitia, quae insunt in Epidico fabula, partim uirorum doctorum sagacitate dudum cognita partim etiam nunc occulta, contaminatione explicari nequeunt, iam restat, ut hanc quoque fabulam post poetae mortem doctam eamque ad rem retractatam esse censeamus et uestigia indagemus, quibus haec sententia comprobetur et quaeramus, quatenus posterioris poetastri opera pertinuerit. Sed haec alii tempori reseruanda sunt.

1) Ceterum in textu pro argumento uti nolui personarum nominibus, quarum cur una Anterastilis uocata sit, nisi in fabula, quam Graecus poeta finxerit, mutuo amauerit amore, non uideo.

)E SYNTAXI INTERROGATIONVM OBLIQVARVM

APVD PRISCOS SCRIPTORES LATINOS

SCRIPSIT

EDVARDVS BECKER

Plerique eorum, qui nuper institutiones grammaticas composuerunt, cum scholarum rationem haberent, eorum inprimis scriptorum, quos classicos appellare consueuimus, loquendi usum ita respiciebant, ut quidquid cum illo non conueniret, in exceptionum numero haberent. Atque haec ratio, quam cum in formarum doctrina tum in syntaxis descriptione secuti sunt, scholarum usui satisfecit, linguarum scientiae sufficere nequit, quippe cuius sit plenam totius linguae cognitionem repetere, quam non consequemur, nisi ad uetustiores quoque scriptores, apud quos nascentis linguae primordia et successus apparent, tamquam ad fontes posterioris usus redibimus. Quare nonnulli uiri docti in formarum doctrina pertractanda aliam atque ut ita dicam historicam uiam secuti sunt. Apparet autem ut in formarum doctrina ita in syntaxi quoque hac ratione utendum esse neque sufficere eum dicendi usum exemplis illustrare, quem Cicero quique eum secuti sint excoluerint, sed ita potius uersandum esse in syntaxis legibus eruendis, ut qualis quaeque structura per singulas fuerit linguae aetates, perscrutemur et uarias eius formas inter se conferamus. Atque cum in ceteris syntaxis partibus pertractandis hac ratione feliciter utemur, tum inprimis ubi earum legum, quae in adhibendis modis ualuerint aliae aliis temporibus, plenam scientiam repetituri sumus; nam in his ipsis legibus uariandi studio multa commutata sunt, donec ad absolutam illam et certam loquendi rationem peruentum est, quam Ciceronis aetate ualere constat. Atque equidem nunc eas mihi leges eruendas proposui, quas in interrogationibus obliquis secuti aut indicatiuum aut coniunctiuum posuerint prisci

scriptores. Certas enim leges in his modis adhibendis omnino non secutos esse priscos scriptores fere omnes sibi persuaserunt grammatici, qui hucusque hanc quaestionem tetigerunt; cui rei id praecipuo argumento est, quod non singula interrogationum genera distinxerunt, quae certis legibus aut indicatiuum aut coniunctiuum praeberent, sed in singulis exemplis indicatiuum excusabant, ut e. g. ad Plauti Bacch. IIII, 7, 32 *Dic, quo in periclost meus Mnesilochus filius?* Holtze adscripsit: *'est interrogatio recta'*; idem ad Poen. V, 2, 26 *nam qui scire potui, dic mihi: 'quae tamen etiam statui potest interrogatio recta'*, quorum tamen exemplorum eadem ratio est atque e. g. Aul. IIII, 9, 9 *Dic igitur, quis habet* aliorumque plurimorum.

Non multo aliter cogitauit de his enuntiatis Reisig, [1]) cuius ipsa uerba repetere liceat: *'Hier* (in interrogationibus obliquis) *den indicativ zu setzen, widerstreitet dem herrschenden sprachgebrauch der Roemer, doch ist er von ihnen in einzelnen redensarten und in gewissen vortragsarten aufgenommen worden, ohne zweifel nach griechischem beispiele. Es sind also die redensarten zu verzeihen, wo dieses vorkommt.'*

Ceteri quoque grammatici de hac re certum iudicium ferre supersederunt. Atque Madvig hanc quaestionem obiter his uerbis absoluit: [2]) *'Bei den aeltesten dichtern Plautus und Terenz steht bisweilen ein abhaengiger fragesatz im indicativ.'* Paulo uberius rem explicat Weissenborn, qui *'Es zeigt,* inquit [3]), *sowohl der deutsche als der griechische sprachgebrauch, dass der coniunctiv in manchen indirekten fragesaetzen nicht nothwendig sei, dass der obiectsatz als bestimmter gewisser gedanke dargestellt werden koenne, z. b. Sage mir ob er gekommen ist. So werden auch im lateinischen nicht nur von den komikern, sondern auch von den spaeteren dichtern, nicht selten solche nebensaetze als gewisse im indicativ dargestellt.'*

Contra Hand comicis quoque hanc liberiorem structuram

1) in schol. lat. §. 329.
2) in gramm. lat. §. 356 adn. 3.
3) in synt. lat. p. 327.

abiudicat his uerbis: [1]) *'In obliqua interrogatione, ubi uerbum cohaereat cum antecedente aliquo uerbo, coniunctiuum requiri in promptu est. Fuerunt tamen, qui indicatiuo quoque hanc sedem concederent, nullo argumento, sed decepti falsa interpunctione uerborum. — Plaut. Merc. I, 2, 34: Dic mihi, an boni quid usquam est, interpunctio post mihi ponenda erit, ut indicetur, interrogationem rectam per se stare nec pendere a uerbo dic.'* Sed quamquam in nonnullis sane exemplis interpunctione rem excusari et interrogationem rectam effici posse concedendum est, tamen in satis magno exemplorum numero enuntiatum primarium et secundarium artius inter se cohaerent, quam quae interpunctione discerpere liceat, ut Pseud. 696: *Commemini omnia: id tu modo, me quid uis facere, fac sciam*, Cas. III, 5, 36 *Istuc expeto scire, quid dixit* etc. Deinde hac ratione minime explicatur, unde factum sit, ut apud priscos quidem scriptores duo enuntiata tam leui conexu cohaererent, ut tamquam interpungendo dirimi possent, apud posterioris uero aetatis scriptores tam arto uinculo coniungerentur, ut alterum ex altero penderet et in enuntiato interrogatiuo modus coniunctiuus efficeretur.

Fusius denique Holtze de eadem quaestione exposuit haec: [2]) *'Indicatiui usus apud priscos scriptores multo liberior est quam apud posteriores, inprimis in interrogationibus obliquis et enuntiationibus obiectiuis, quae illarum formam induere solent. — Frequentissimus est hic indicatiuus inprimis apud comicos. — Nonnulla tamen per exclamationem explicari possunt, in nonnullis dubium esse potest, utrum pronomen pro interrogatiuo an pro relatiuo sit accipiendum, nonnullae etiam interrogationes recta distinctione facta habendae erunt pro interrogationibus rectis'.* quibus uerbis singula quaestionis capita tetigit. [3])

Apparet igitur ex eis quas modo laudauimus grammaticorum

---

1) Tursell. I, p. 359.

2) Synt. prisc. script. lat. II, p. 101, 1 et p. 110, 3, c.

3) Pseud. I, 2, 75: *Tu autem, Xustulis, face ut animum aduortas, quoius amatores oliui Dynamin domi habent maxumam* Holtze in interrogationum obliquarum numero habere non debebat, quippe quem uersum nemo non pro enuntiato relatiuo habebit.

sententiis uiros doctos de modis in interrogationibus obliquis adhibendis certas leges apud priscos scriptores nondum agnouisse. Atque insuper haec quaestio ideo quoque pertractanda esse uisa est, quod neminem fugere potuit aliquem inde fructum redundaturum esse ad priscorum scriptorum crisin cautius exercendam, quorum contextus, cum dubitarent uiri docti, qua ratione in eiusmodi locis corrigendis uterentur, ne saepius falsis coniecturis magis deprauatus quam emendatus sit, uerendum est.

Vt de ratione, qua indicatiuus in interrogationibus obliquis explicandus sit, ita de origine quoque huius structurae uariae sententiae circumferuntur. Ac primum quidem non desunt, qui non dubitauerint — et ad eorum sententiam etiam Weissenborn l. l. ex parte accedere uidetur — hunc indicatiui usum, cum idem in Graecorum litteris reperiatur, ad illorum imitationem reuocare, quam sententiam Reisig l. l. libere profitetur: '*doch ist er* (indicatiuus) *von ihnen in einzelnen redensarten und in gewissen vortragsarten aufgenommen worden, ohne zweifel nach griechischem beispiele.*' Sed quamuis constet Romanorum litteras ex Graecorum demum cognitione et initium cepisse et ad maiorem effloruisse artem, nec minus concedendum sit Graecarum litterarum cognitione factum esse, ut aliquo modo etiam leges immutarentur, quae in conectendis sententiis olim obseruabantur, tamen haec opinio summam habet cautionem: nam suas quisque populus loquendi sequitur leges. Itaque hanc quoque structuram, dum licet, ex ipsius linguae latinae natura explicandam et Haasii de hac re sententiam probandam esse existimo, cum dicat: [1] '*Dass der sprachgebrauch des indicativ von den komikern, und durch diese vom griechischen ausgegangen sei, ist mir sehr unwahrscheinlich*; *vielmehr haben ihn die komiker wohl schon vorgefunden in der volkssprache. die nichts leichter vernachlaessigt, als die abhaengigkeitsverhaeltnisse der saetze*; *die lebendige anschauung des factischen und die neigung der phantasie sich auch das nicht factische als solches vorzustellen, veranlassen den indicativ, der dann freilich in sorgfaeltiger rede-*

1) ad Reisigium adn. 504.

gattung, wo die grammatischen verbindungen so pedantisch wahrgenommen werden, wie es in der besten zeit der Roemer immer geschah, bedeutend beschraenkt werden musste.' Nam re uera in cotidiani sermonis usu huius structurae originem quaerendam, et reiciendam esse illorum grammaticorum sententiam, qui hanc structuram ad Graecorum imitationem reuocabant, ex hac quoque ratione, nisi fallor, apparet: si haec structura ex Graecorum demum studio fluxit, mirum est eam non amplexos esse scriptores eius aetatis, qua studium graecissandi maxime floruisse constat, sed quamuis apud antiquioris temporis scriptores saepissime inueniatur, apud recentiores eam paulatim euanuisse. Sed etiam ipsa structura suam originem aperte ostendit. Nam cum sermo cotidianus rogitando maxime et respondendo efficiatur, et re uera in diuerbiis plurima huius structurae exempla apud poetas scaenicos inueniantur: quid ueri similius esse potest, quam hanc praecipue structuram in cotidiano sermone sedem habuisse et inde a poetis scaenicis, qui cotidiani sermonis usum imitari diligenter studerent, haustam in eisque fabularum partibus, quae diuerbiis efficiuntur, adhibitam esse?

Postquam igitur singulorum grammaticorum de hac re sententias repetiuimus et de uera huius structurae origine exposuimus, iam ad ipsam quaestionem, quam pertractandam nobis proposuimus, accedamus et quomodo in hac re priores et posteriores scriptores inter se differant, uideamus. Quamquam enim apparebit in uniuersum scriptores priscos easdem leges in adhibendis modis secutos esse atque posteriores, et quamuis saepe difficile sit legum, quas in ponendo aut indicatiuo aut coniunctiuo secuti sint scriptores prisci, certos constituere fines, tamen aliquot sunt interrogationum species, in quibus certas leges in adhibendis his modis secuti esse uidentur. Indicatiuus enim ubi in interrogationibus obliquis occurrit, profectus est aut ex laxo enuntiati primarii et secundarii conexu, aut ex inclinatione quadam pronominis interrogatiui ad uerbum enuntiati primarii, aut denique ex ipsa enuntiati secundarii natura, ubi res de qua agitur ita omni dubitatione uacat, ut contra rationem

grammaticam propter hanc praedicati condicionem indicatiuus positus sit.

Apparet autem in tanta exemplorum multitudine facile nonnulla etiam eum, qui attente priscos scriptores perlegerit, inuitum effugere posse; spero tamen non multos locos ab aliis inuentum iri, qui oculos meos fefellerint. Sane tenendum est de his quoque locis ualere quod olim Cicero dixit: 'difficile est non aliquem, nefas quemquam praeterire.'

Atque ut de prima causa, qua indicatiuus effectus sit, primo loco disseramus, constat antiquissima uniuscuiusque linguae aetate ita inter se conecti singulas sententias, ut aliud enuntiatum iuxta aliud ponatur omniaque enuntiata eiusdem dignitatis esse uideantur: paulatim demum, ubi lingua litteris ad seueriores loquendi rationes promoueri coepta est et intellexerunt homines neque paris omnia enuntiata momenti esse nec aeque sed magis minusue arte inter se cohaerere, altera quoque in conectendis sententiis eualescit ratio, qua id enuntiatum, quod minoris momenti est, enuntiato primario subiungitur. Itaque consentaneum est in antiquioribus litterarum monumentis priorem illam adiungendi rationem nondum plane euanuisse et in eiusmodi sententiis saepius inueniri, ubi posteriores scriptores altera potius subiungendi ratione usi sint. Atque, ut par est, in eis potissimum sententiis diutius seruata est haec structura paratactica, quae sua natura ad retinendam eam aptissimae sunt, interrogationes dico, quas inprimis comparatas esse ad retinendam structuram paratacticam et graeca et germanica lingua satis confirmatur.

CAPVT PRIMVM.

Diutissime seruata est structura paratactica in ea interrogationum classi, quae quamquam cum altero enuntiato primario

coniunctae sunt, tamen naturam enuntiatorum uere interrogatiuorum retinent: eas dico interrogationes, quae pendent ex eiusmodi enuntiatis primariis, quibus aliquo modo nos de aliqua re certiores fieri uelle indicatur, uelut *dic*, *loquere*, *uolo scire*, *rogo*, *uiso*, *cogito* similibus; itaque has interrogationes 'propria s' appellare liceat. Sunt autem interrogationum propriarum genera tria, prout is, qui loquitur,

A. id, quod enuntiato interrogatiuo continetur, scire se ipsum uelle profitetur, (atque in his ipsis interrogationibus uidendum est, utrum
   I alterum quendam, quem interrogo, mihi respondere iubeam, an
   II me aliquid sciscitari ita tantum indicem, ut alterum nullum interrogando appellem.)

B. id refert, quod siue ab alio quodam siue alio tempore a se ipso quaesitum est,

C. alium quendam sciscitari aliquid iubet.

A.

I.

Non omnia interrogationum quas diximus propriarum genera parataeticam illam structuram ostendunt, sed eae tantum interrogationes, quibus generis primi speciem priorem comprehendi uolumus, eas dico interrogationes, quibus alter ad id, quod interrogatur, respondere iubetur, quaeque simili munere funguntur atque interrogationes rectae. Itaque in his inprimis interrogationibus priscorum scriptorum usus a posteriorum scriptorum loquendi ratione differt. Vbi enim apud Ciceronem atque posterioris aetatis scriptores interrogatio ex eiusmodi enuntiato primario pendet, uerbum interrogationis coniunctiuum induere solet, apud priscos uero scriptores in ipsis his interrogationibus obliquis, nisi certis quibusdam, quae deinceps enumerabuntur, condicionibus coniunctiuus flagitabatur, indicatiuum suum locum

obtinere apparebit. Atque indicatiuus in his interrogationibus sine dubio ex eo de quo diximus priscorum studio profectus est, quo sententias ita continuare adamauerunt, ut non tam enuntiatum secundarium primario subiungerent quam singula enuntiata ut pari dignitate praedita inter se coordinarent, praesertim cum hae interrogationes in diuerbiis tantum occurrere possint, in diuerbiis autem praecipue sermonem cotidianum, ut est alacer et uiuidus, maiorem licentiam in conectendis sententiis appetere constet. Itaque nemo mirabitur, quod in his ipsis interrogationibus enuntiatorum conexus tam laxus erat, ut in eis potissimum sero demum enuntiatum primarium et secundarium artioribus uinculis coniungerentur. Neque uero, ut iam diximus, semper indicatiuum posuerunt in his interrogationibus prisci scriptores, sed in adhibendo aut indicatiuo aut coniunctiuo certas leges secuti sunt: nam certis tantum condicionibus structura paratactica suum locum obtinebat.

§. 1.

Atque primum indicatiuo usi sunt, ubi enuntiatum primarium cum secundario tam laxe cohaerêt, ut utrumque enuntiatum fere per se stare uideatur, id quod ea tantum condicione fit, ut enuntiatum primarium ita comparatum sit, ex quo appareat eum qui interroget non dubitare, quin alter interrogatus statim responsurus sit. Itaque cum alter alterum directa fere interrogatione appellare possit, in his interrogationibus uis sententiae posita est in ipso enuntiato secundario, primarium uero enuntiatum, quod si sententiam spectas minoris momenti est, exhortationis fere munere ita fungitur, ut sententia integra etiam omitti et subintellegi possit.

1)

Et cum imperatiui maxime sint idonei, qui fere particulae exhortatiuae uice fungantur, exemplorum maior numerus con-

tinetur eis interrogationibus, quarum enuntiatum primarium efficitur imperatiuo, qui aut praecedit, ut illius, qui interrogatur, animus ad sequentem interrogationem aduertatur, aut subsequitur, ut interrogatus ad propere respondendum impellatur. Imperatiuus igitur in his enuntiatis eandem fere uim habet atque *age, quaeso* uocabula.

f)

Laxissimus autem est enuntiati primarii et secundarii conexus in nonnullis exemplis, ubi aut ad imperatiuum enuntiatum relatiuum accedit, aut inter imperatiuum et interrogationem tertium aliquod enuntiatum interponitur, quo interrogatus interroganti obstrepit, aut utrumque fit:

Plauti Curc. 245 (II, 1, 30)	*Aufer, quaeso, ista atque hoc* responde, quod rogo:
	Potin *coniecturam facere, si narrem tibi* —?
Most. 748 (III, 2, 61)	*Hoc mihi* responde *primum*, quod *ego te* rogo:
	Iam de istis rebus uoster quid sensit *senex?*
Pseud. 340 (I, 3, 104)	Dic mihi, *obsecro hercle, uerum*[1]) *serio hoc*, quod te rogo:
	Non habes *uenalem amicam tu meam Phoenicium?*
Pseud. 1191 (III, 7, 94)	Responde, *obsecro hercle, uero serio hoc*, quod te rogo:
	Quid meres? quantillo *argenti te* conduxit *Pseudolus?*
Men. 914 (V, 5, 16)	*Sed quid ais, Menaechme?* ‖ *Quid uis?* ‖ Dic mihi *hoc*, quod te rogo:
	Album an atrum uinum potas?

1) *uerum* A cum reliquis; Pseud. 1191 *uero* libri Palatini, in A non legitur; Poen. I, 1, 32 *uero* B, in A uersus non traditur; Amph. 855 *uerum* B, *utrum* D; conf. C. F. G. Mueller »nachtr. zur plaut. prosod.« p. 140.

Plauti Stich. 115 (I, 2, 58)	Dic *uicissim nunciam tu* ... ‖ *Quid tibi uis dicam, pater?*
	‖ Vbi *facillume* spectatur *mulier, quae ingeniost bono?*
Truc. IIII, 3, 14 (776)	Loquere tu ...
	‖ *Quid loquar?* ‖ Quid *puero* factumst, *mea quem peperit filia?*
Men. 1130 (V, 9, 70)	... *sed* mi *hoc* responde: ‖ *Roga.*
	‖ Quid erat *nomen nostrae matri?* ‖ *Teuximarchae.* ‖ *Conuenit.*
Merc. 185 (I, 2, 74)	*Hoc*, quod te rogo, responde: ‖ *Quin tu, si quid uis, roga.*
	‖ *Certen* uidit?
Merc. 214 (I, 2, 101)	*Hoc*, quod te rogo, responde, *quaeso*: ‖ *Quaeso, quid rogas?*
	‖ Num *esse amicam suspicari* uisus est?
Asin. 578 (III, 2, 32)	*Iam omitte ista, atque hoc*, quod rogo, responde: ‖ *Rogita quod uis.*
	‖ *Argenti uigenti minas* habesne?
Curc. 708 (V, 3, 30)	*Quando uir bonu's*, responde ⟨*hoc*⟩, quod rogo: ‖ *Roga quod lubet.*
	‖ Promistin, *si liberali quisquam hanc adsereret manu,*
	Te omne argentum redditurum?
Asin. 29 (I, 1, 14)	Dice, *opsecro*, *hercle serio*, quod *te rogem*:
	Caue mihi mendaci quicquam. ‖ *Quin tu ergo rogas?*
	‖ Num *me illuc* ducis, *ubi lapis lapidem terit?*

Similiter *uxor ducendast domum* uerbis Antipho ipse orationis suae tenorem interrumpit:

Ter. Phorm. 692 (IIII, 4, 11)	... cedo *nunc porro*: *Phormio*
	Dotem si accipiet, *uxor ducendast domum*: Quid fiet?

2)

In ceteris eisque pluribus exemplis enuntiatum primarium et secundarium minus laxe cohaerent, cum tertio enuntiato nullo discerpantur. Deinde in omnibus quae huc spectant exemplis enuntiatum primarium hunc sensum praebet: *dic mihi.* Tamen *mihi* pronomen partim tantum apponitur, partim subintellegendum est.

A.)

Imperatiuus uerbo *dic* efficitur atque

a) pronomine *mihi* apposito

α) interrogationem praecedit:

Plauti Poen. I, 1, 32 (158) *Abi dierectus.* ‖ Dic mihi *uero serio,* Vin *dare malum illi.*

Truc. II, 4, 17 (367) ... *sed* dic mihi, *Bene*ne ambulatumst. [1])

Truc. III, 2, 11 (667) *Lepide mecastor nuntias; sed* dic mihi, Haben *paratum.* [2])

Capt. 987 (V, 3, 10) Dic mihi, *isne istic* fuit, *quem uendidisti meo patri.*

Bacch. 838 (IIII, 7, 39) Dic *sodes* mihi, *Bella*n uidetur *specie mulier.*

Most. 551 (III, 1, 24) *Nihil enim. sed* dic mihi, Dixtine, *quaeso.*

Merc. 145 (I, 2, 34) Dic mihi, an *boni quid usquamst, quod quisquam uti possiet.*

Men. 143 (I, 2, 34) Dic mihi, en *umquam tu* uidisti *tabulam pictam in pariete.* [3])

Men. 925 (V, 5, 26) Dic mihi, en *umquam intestina tibi* crepant, *quod sentias.*

---

1) A *DIC*, BCD *dicat*, P *dicas*; A *BENENEAMBULATUMST*, B *Bene nābulasti*, CD *benenam ambulasti.*

2) *Haben paratum?* ⟨ ‖ *Aes*⟩ *te fortasse dicere* Spengel, *Habent parasitum* BCD, *Haben?* ‖ *Penicutum te fortasse dicere* Geppert, *Haben t⟨u⟩?* ‖ *Pretium te fortasse dicere* O. Seyffert in Philol. XXVII p. 465.

3) pro *numquam*, quod libri praebent, *en umquam* scripsit Brix in editione coll. Men. 925. Trin. 589, quibus addi possunt: Phorm. 329, Cist. I, 1, 88, Rud. 987 (IIII, 3, 48), 1117 (IIII, 4, 73).

Plauti Amph. 855 (II, 2, 225)	dic mihi *uerum serio*, Ecquis *alius Sosia intust*, *qui mei similis siet*.
Poen. V, 2, 101 (1049)	dic mihi, Ecquid meministi *tuum parentum nomina*.
Mil. 902 (III, 3, 28)	*Salua sis. sed* dic mihi, ecquid *hic te* Onerauit *praeceptis*.
Bacch. 600 (IIII, 2, 18)	*Quid ais tu?* ‖ *Ego istuc illi dicam*. ‖ Dic mihi, Quis *tu* es.
Aul. II, 1, 48 (168)	Dic mihi, *quaeso*, quis *east*, *quam uis ducere uxorem*. ‖ *Eloquar*.
Capt. 623 (III, 4, 90)	*Eho*, dic mihi, Quis *illic igitur* est.
Trin. 562 (II, 4, 161)	Dic *sodes* mihi, Quid *hic* est *locutus tecum*.
Mil. 440 (II, 5, 30)	Dic mihi, Quid *hic tibi in Ephes*ost *negoti*. [1])
Poen. V, 2, 127, (1075)	*Quid id est?* ‖ *Tua opus est opera*. ‖ Dic mihi, quid lubet.
Rud. 1105 (IIII, 4, 61)	Dic mihi, quid *id ad uidulum* attinet, *seruae sint istae an liberae*.
Curc. 406 (III, 36)	Dic mihi, Quid *eum nunc* quaeris, aut quoiati's.
Rud. 1405 (V, 3, 49)	Dic mihi, quanti *illam* emisti *tuam alteram mulierculam*.
Aul. II, 2, 35 (210)	Dic mihi, quali *me* arbitrare *genere prognatum*. ‖ *Bono*.
Curc. 651 (V, 2, 51)	*sed tu* dic mihi, Vbi *is* est *homo*, *qui te subrupuit*.
Men. 923 (V, 5, 24)	Dic mihi *hoc*, solent *tibi umquam oculi duri fieri*.
Men. 1121 (V, 9, 62)	Dic mihi, *Vno nomine ambo* eratis.
Ter. Eun. 360 (II, 3, 69)	... *ehodum*, dic mihi, Estne *ut fertur forma*.
Eun. 850 (V, 2, 11)	Dic mihi, Aufugistine.

1) Hanc uerborum collocationem libri praebent. Ritschl transposuit: *Quid tibi in Epheso hic est.*

Ter. Heaut. 884 (V, 1, 11) Dic mihi, *Cliniae quae dixi,* nuntiastine.[1] || *Omnia.*

Eun. 100 (I, 2, 20) Dic mihi *hoc primum*, potin es hic tacere.

Andr. 324 (II, 1, 24) *Ehodum* dic mihi, Numquid *nam amplius tibi cum illa* fuit, *Charine.*

Hecyr. 865 (V, 4, 25) Dic mihi, *harum rerum* numquid dixti *meo patri.*

Phorm. 748 (V, 1, 21) *Eho* dic mihi, quid *rei tibist cum familia hac, unde exis.*

Hecyr. 84 (I, 2, 9) Dic mihi, ubi, *Philotis*, *te* oblectasti *tam diu.*

Sext. Turpilius (Ribb. Com. p. 91, 171) *Eho* dic mihi, an *oblita, obsecro*, es *eius crebras mansiones Ad amicam, sumpti largitatem.*

β) uerba *dic mihi* interrogationem secuntur:

Plauti Merc. 653 (III, 4, 68) Quae *patria aut domus tibi stabilis esse* poterit, dic mihi.

Merc. 718 (IIII, 3, 19) Quid *autem urbani* deliquerunt, dic mihi.

Poen. V, 3, 13 (1120) *Apud aedem Veneris.* || Quid *ibi* faciunt, dic mihi.

Rud. 1076 (IIII, 4, 32) *Verbo illo modo ille uicit.* quid *nunc tu* uis, dic mihi.

Poen. V, 3, 24 (1131) Quid *illi locuti* sunt *inter se,* dic mihi.

Poen. V, 5, 27 (1295) Quid *tibi negotist autem cum istac*, dic mihi.[2]

Bacch. 716 (IIII, 4, 65) Quid *nunc* es *facturus*, *id* mihi dic. || *Coctum esto prandium.*[3]

Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.

---

1) A *NUNTIAUISTI.*

2) Libri praebent *negoti autemst* cum hiatu.

3) *id mihi dice. Chr. coctum st* B, *id mihi dice. Chr. coctum* reliqui, *id mihi dic. Chr. coctum esto* Hermann. Collocatio uerborum *mihi dic* in his enuntiatis praeter hunc locum nusquam inuenitur sed semper *dic mihi*. Deinde apud priscos poetas latinos sine uarietate semper formula *dic mihi*

Merc. 161 (I, 2, 49) Quid fers, dic mihi.
Bacch. 705 (IIII, 4, 54) *Sed nunc* quantillum *usust auri tibi, Mnesiloche*, dic mihi.
Poen. III, 5, 14 (750) *Calidum* prandisti *prandium hodie*, **dic** mihi.
Mil. 1428 (V, 1, 35) *Philocomasium iam profectast*, dic mihi.
Ter. Eun. 978 (V, 5, 8) Quid est, *quod trepidas, satine saluae*, dic mihi.
Eun. 349 (II, 3, 58) Nostin, *quae sit*, dic mihi; *aut Vidistin?*
Hecyr. 356 (III, 2, 21) Quid fuit *tumulti*, dic mihi. *an dolor repente inuasit?*
Heaut. 708 (IIII, 3, 30) *Nam* qui *illa* poterit *esse in tuto*, dic mihi.
Hecyr. 825 (V, 3, 27) Quid *exanimatu's obsecro*, aut unde *anulum istum nactu's*, Dic mihi.

γ) Verba *dic mihi* interrogationi inseruntur:

Plauti Men. 1111 (V, 9, 52) Quid *longissume* meministi, dic mihi, *in patria tua*.

b) Pronomen *mihi* subintellegendum est:

α)

Plauti Capt. 570 (III, 4, 38) Dic *modo, Ten* negas *Tyndarum esse*.
Capt. 890 (IIII, 2, 110) Dic, *bonan fide tu mi istaec uerba* dixisti. ‖ *Bona*.
Amph. 743 (II, 2, 111) *Tace tu. tu* dic, *egone aps te* abii *hinc hodie cum diluculo*.

---

recurrit, numquam *dice mihi*, eodem modo atque *fac sciam*, non *face sciam* scripserunt, id quod iam Hermann cognouit, cf. Trin. I, 2, 137. Itaque uix probari potest, quod Ribbeck Trag. p. XXXIX opinatus est Pacuui u. 30 p. 81 septenarium sic expleri posse: *dice* ⟨*mi*⟩, *quid faciam: quod me moneris, effectum dabo*, sed debebat saltem temptare *Dic mihi, quid faciam* etc. Denique *id* pronomen, secundum ea, quae infra disseremus, hoc loco nullo modo poscitur, immo nisi ante nostrum uersum aliquot uersus excidisse statuamus, potius omitti debet. Itaque fortasse scribendum est: *Quid nunc es facturus*, *dic mi.* ‖ *Coctum si erit prandium, Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia*; conf. Cas. IIII, 2, 2 (649). Quamquam totus locus fortasse nondum persanatus est.

Plauti Capt. 1021 (V, 4, 24) *Sed* dic, *oro* ⟨*te*⟩, *pater meus tun* es. ‖ *Ego sum, gnate mi.*

Asin. 894 (V, 2, 50) Dic, *amabo*, an *anima* foetet *uxoris tuae.*

Bacch. 557 (III, 6, 28) . . . . *Tanto magis* Dic, quis est. *nequam hominis* ⟨*pol*⟩ *ego parui pendo gratiam.*

Merc. 620 (III, 4, 35) Dic, quis emit. ‖ *Nescio hercle.*

Aul. IIII, 9, 9 (712) *Em nemo habet horum. occidisti:* dic *igitur,* quis habet. *nescis?* 1)

Merc. 529 (III, 1, 31) Dic *igitur, quaeso,* quoia sum. ‖ *Tuo ero redempta's rursum.*

Men. 397 (II, 3, 46) *Facta quae sunt?* ‖ Dic, quid est *id, quod negem, quom fecerim.*

Men. 605 (IIII, 2, 62) Dic, *mea uxor,* quid *tibi aegrest.* ‖ *Bellus blanditur tibi.*

Asin. 229 (I, 3, 76) *Mane, mane, audi:* dic, quid *me aequom* censes *pro illa tibi dare.*

Capt. 964 (V, 2, 11) *Tandem ista aufer:* ⟨*id*⟩ dic, quid fers, *ut feras hinc, quod petis.* 2)

---

1) Wagner ut octonarium anapaesticum efficeret, ita uersum scripsit: *Em, nemo habet horum. occidisti: dic igitur (si) quis habet. nescis?* Sed Wagnerum fugisse uidetur *igitur, ergo* particulas in eiusmodi enuntiatis non ad imperatiuum (*dic*) trahendas sed ad interrogationem ipsam referendas esse, ut Capt. 623: *Eho, dic mihi, Quis illic igitur est;* Eun. 162: *Quid te ergo aliud sollicitat, cedo.* conf. Pers. 664, Men. 170. Itaque cum hic coniungenda sint: *dic, quis igitur habet* (scil. *cum nemo habeat horum*), *si* ferri non potest. Ceterum in librorum scriptura acquiescendum esse uidetur, cum in eadem scaena plures septenarii cum octonariis misceantur.

2) In libris scriptum est: *dic quid fers*, quod numeris non satisfacit; quare Geppert scripsit: *dic, quid adfers*; cur *id dic* praetulerim, uide infra ad Bacch. 1157. Fleckeisen maluit *dice quid fers,* quam tamen coniecturam ideo non omni dubitatione exemptam esse existimo, quia in eiusmodi interrogationibus prisci poetae latini, ubi uocabulum proxime insequens a consonante incipit, fere semper *dic* formam adhibuerunt (conf. quae de *dic mihi* formula supra pag. 127 adnotauimus); nam ex eis exemplis, quae huic usui obstare uidentur, unum Rud. 1156 (IIII, 4, 112) *Dicedum,*

Bacch. 829 (IIII, 7, 31)	Dic, *scelerum caput*, Dic, quo *in periclost meus Mnesilochus filius.*
Rud. 1272 (IIII, 8, 8)	*Censeo.* ‖ Dic *ergo*, quanti censes. ‖ *Egone? censeo.*
Merc. 900 (V, 2, 60)	Dic *igitur*, ubi *illast.* ‖ *In nostris aedibus.*
Bacch. 203 (II, 2, 25)	Dic, ubi *ea nunc* est, *obsecro.* ‖ *Hic, exeuntem me unde aspexisti modo.*
Rud. 238 (I, 4, 18)	Dic, ubi's. ‖ *Pol ego nunc in malis plurumis.*
Truc. II, 7, 33 (582)	Dic, *amabo te*, ubist *Diniarchus.* ‖ *Domi.*
Merc, 605 (III, 4, 20)	*sed* dic, *obsecro, Si neque hic neque Acherunti sum*, ubi sum.
Truc. I, 2, 28 (132)	Dic, quo *iter* inceptas, quis est, *quem accersis.* ‖ *Archilinem.*
Epid. I, 2, 40 (138)	Dic *modo*, unde *auferre me* uis, *a* quo *trapezita* peto [?].
Aul. IIII, 10, 42 (765)	Dic *bona fide, tu id aurum non* subrupuisti. ‖ *Bona.*
Persa 485 (IIII, 3, 16)	Dic *bona fide, iam liberast.*

In eo ensiculo litterarum quid est, ideo in iudicium uocari nequit, quod haec duo uocabula (*dice* et *dum*) in unam fere uocem coaluerunt, de alterius (Naeui 63 Ribb. Trag. p. 14) lectione, ut deinceps docebimus, non certo constat, et in quattuor, quae praeterea extant, haec forma coniecturae debetur: Capt. 964 (de quo modo exposuimus), Rud. 951, Truc. V, 49, Attius 12 Ribb. Trag. p. 282 coll. p. XXXIX (conf. infra notas ad hos locos adscriptas). Praeterea C. F. G. Mueller »nachtr. zur plaut. prosod.« p. 120 commendat Aul. II, 1, 23: *impera*, *dice quid uis*; sed conf. de metro huius loci Studemund de cant. Plaut. p. 26. Contra in aliusmodi enuntiatis, ubi in ipso imperatiuo maior sententiae uis posita est, praeter *dicito* imperatiuum etiam pleniore forma *dice* usi sunt prisci scriptores insequente consonante: Rud. 124 (I, 2, 36), Poen. V, 4, 63 (1222), Capt. 359 (II, 2, 109), Mil. 256 (II, 2, 101) ubi *haec ei dice monstra praecipe* cum Studemundo ex Ambrosiano scribendum est (conf. Capt. 359).

Ter. Hecyr. 803 (V, 3, 5) *Accedebam: 'adulescens*, dicdum, *quaeso, tu⟨n⟩* es *Myconius'*. [1])

Eun. 707 (IIII, 4, 39) Dicdum *hoc rursum, Chaerea⟨n⟩ tuam uestem* detraxit *tibi*.

Andr. 84 (I, 1, 58) *Heus puer*, Dic *sodes*, quis *heri Chrysidem* habuit.

Heaut. 310 (II, 3, 69) *Agedum uicissim, Syre*, dic, quae *illast altera*.

Andr. 45 (I, 1, 18) *Quin tu uno uerbo* dic, quid est, *quod me uelis*.

Andr. 449 (II, 6, 18) *Quin* dic, quid est.

Heaut. 349 (II, 3, 108) *Concaluit. quid uis?* || *Redi, redi*. || *Adsum*, dic, quid est.

Heaut. 766 (IIII, 5, 18) *Non hercle uero, uerum dico*. || Dic, quid est.

Phorm. 633 (IIII, 3, 28) *'Soli sumus nunc hic' inquam: 'eho* dic, quid uis *dari*.'

Adelph. 643 (IIII, 5, 9) Dic *sodes, pater, Tibi uero* quid *istic* est *rei*.

Titinius (Ribb. Com. p. 126, 93) Dic *istud, quaeso*, quo *te* auortisti, *mein* Fastidis, *meae deliciae?* [2])

β)

Plauti Rud. 243 (I, 4, 23) Viuin, dic *opsecro*.

Asin. 358 (II, 2, 91) Quid *nunc consili captandum* censes, dic. || *Hem istuc ago*.

Rud. 951 (IIII, 3, 14) Quid *negotist*, *modo* dic. || *Dicam, tace*. [3])

Truc. V, 49 (929) Quid *id amabost, quod dem*, dicdum. || *Quicquid tibi superat feram*. [4])

---

1) *tu⟨n⟩ es* Goucanus, *es tu* codd.

2) *Dic istud* Neukirch, *dicis tu* libri Noniani; *quo* Bamb., *quoa* ceteri libri Noniani, conf. infra ad Bacch. 1457.

3) Sic libri, uide Studemund de cant. Plautin. p. 15 coll. p. 67. Fleckeisen, qui tetrametrum creticum acatalectum efficere studuit, scripsit: *Quid negotist, modo dice*. || *Dicám, tace*.

4) Hic uersus grauiter corruptus sic in libris scriptus est: *Quid id alabo est quod idē dictum superferi* B, *Quid id ab auo est, quod idem dictum*

Plauti Pseud. 488 (I, 5, 73) Fatere, dic.[1]
Ter. Andr. 754 (IIII, 4, 15) Vnde est, dic *clare*.
Phorm. 447 (II, 4, 7) Quid ago, dic, *Hegio*. || *Ego? Cratinum censeo...*

γ)

Plauti Amph. 421 (I, 1, 265) *Amphitruonis opsignata signo*. || *Signi* dic quid est.

B)

Loquere uel *eloquere*: *α*)

Truc. IIII, 3, 22 (784) Loquere *tu*, qui *dare te huic puerum* iussit. || *Era maior mea*.
Men. 779 (V, 2, 29) Loquere, uter meruistis *culpam, paucis: non longos logos*.
Merc. 616 (III, 4, 31) Loquere *porro aliam malam rem*, quoist *empta*. || *Nescio*.[2]
Truc. IIII, 3, 25 (787) Loquere *tu*, quid *eo* fecisti *puero*. || *Ad meam eram detuli*.
·Aul. IIII, 10, 47 (770) *Sat habeo, age nunc* loquere, quid uis. || *Si me nouisti minus*.
Amph. 377 (I, 1, 221) Loquere, quid uenisti. || *Vt esset, quem tu pugnis caederes*.
Most. 1117 (V, 1, 68) Loquere, quoiusmodi reliqui, *quom hic abibam, filium*.
Truc. II, 7, 44 (595) Loquere, unde's, quoius es, quor *ausu's mihi inclementer dicere*.
Epid. I, 1, 40 (40) *Desiste percunctarier*. || Loquere, *ipse* ubist *Stratippocles*.

---

superfert CD, unde Spengel uersum, quem supra exscripsi, composuit, nisi quod *dice* scripsit pro *dicdum*. Geppert scripsit: *Quid id, amabo, est, quod dem? dic dum: dona huius si superet, feres.*

1) Fortasse scribendum est *Faterin, dic.* cf. Capt. 317.

2) *cui est* legitur in libris, *quoi east* edidit Ritschl. Coniecturae a Buechelero in Mus. Rhen. XV, 1860 p. 443 propositae *cui sit empta* loquendi usus obstat.

Plauti Truc. IIII, 2, 43 (743) *Vno uerbo* eloquere, mittin *me intro.* ‖ *Mendax es, abi.* [1]

Bacch. 553 (III, 6, 24) *Obsecro hercle* ⟨e⟩loquere, quis *is* est. ‖ *Beneuolens uiuit tibi.*

Truc. I, 2, 33 (137) *Sed tandem* eloquere, quis *is homost, Astaphium.* ‖ *Nouos amator.* [2]

Rud. 948 (IIII, 3, 11) Eloquere, quid *id* est.

Curc. 517 (IIII, 2, 31) Eloquere, quid uis. ‖ *Quaeso, ut hanc cures,* ⟨*ut*⟩ *bene sit isti.*

Trin. 369 (II, 2, 88) *Agedum* eloquere, quid *dare illi nunc* uis. ‖ *Nil quicquam, pater.*

Curc. 166 (I, 3, 9) Eloquere, quid est, *quod Palinurum uocas.*

Trin. 893 (IIII, 2, 51) Eloquere, *isti tibi* quid *homines* debent, *quos tu quaeritas.*

Epid. II, 2, 89 (266) *Quin tu* eloquere, quid faciemus.

Merc. 601 (III, 4, 16) ... *Priusquam recipias anhelitum,*
Vno uerbo eloquere, *ego* ubi sum, *hicine an apud mortuos.*

Curc. 307 (II, 3, 29) Eloquere, *te opsecro* ⟨*hercle*⟩, ubi sunt *meae.*

Cist. IIII, 2, 83 Eloquere, unde *haec* sunt *tibi, cito,* [3] *crepundia.*

Ter. Phorm. 473 (III, 1, 9) Loquere, *obsecro,* quonam *in loco* sunt *res et fortunae meae.*

Ennius (Ribb. Trag. p. 62, 323) Eloquere *propere,* [4] *res Argiuum proelio* ut *se* sustinet.

β)

(Plauti Stich. 334 (II, 2, 10) *Mein* fastidis, *propudiose,* eloquere *propere, Pinacium.*)

---

1) O. Seyffert in Philol. XXVII p. 470 scripsit: *Vni uerbo.* ‖ *Eloquere.* ‖ *Mittin me intro?* ‖ *Mendax es, abi.*

2) *ELOQVERE* A, *loquere* BCD.

3) *loci* (*unde..loci*) pro *cito* scribendum esse dubitanter coniecit Studemund, quia *cito* aduerbium, quod ad *eloquere* uerbum pertineret, uix apte inter *tibi* et *crepundia* insereretur: confidentius hanc coniecturam pronuntiasset, nisi *loci* genetiuus alibi aduerbium (*unde*) proxime sequi soleret.

4) *Eloquere propere* Bergk, *Eloquere eloquere* libri.

Plauti Men. 609 (IIII, 2, 56) Numquis *seruorum* deliquit, num *ancillae aut serui tibi*
Responsant, eloquere.

Trin. 358 (II, 2, 77) Quoi *egestatem tolerare* uis, loquere *audacter patri*.

Amph. 1119 (V, 1, 67) Quid fit *deinde, porro* loquere.

Curc. 306 (II, 3, 28) ubi sunt *spes meae*, Eloquere opsecro *hercle*.

Ter. Phorm. 557 (III, 3, 24) Quantum *opus* est *tibi argenti*, loquere. ‖ *Solae triginta minae*.

Heaut. 649 (IIII, 1, 36) Qua *hoc occeptumst causa*, loquere.

Afranius (Ribb. Com. p. 162, 212) quid *istuc* est, quid fles, quid *lacrumas largitu*'s, Proloquere.

C)

Cedo: α)

Plauti Pseud. 387 (I, 3, 153) Cedo mihi, quid es *facturus*. ‖ *Temperi ego faxo scies*.

Curc. 641 (V, 2, 42) .. cedo, *Si uera memoras*, quae fuit *mater tua*.

Merc. 654 (III, 4, 69) Cedo, *si hac urbe abis, amorem te hic relicturum* putas.

Ter. Phorm. 329 (II, 2, 15) Cedo dum, en *umquam iniuriarum* audisti *mihi scriptam dicam*.

Ad. 688 (IIII, 5, 54) *at postquam id euenit,* cedo,
Numquid circumspexti, aut numquid *tute* prospexti *tibi*.

Andr. 763 (IIII, 4, 24) Cedo, quoium *puerum hic* adposuisti, *dic mihi*.

Phorm. 398 (II, 3, 51) Cedo, quist *cognata*. ‖ *Eu noster, recte: heus tu caue*.

Andr. 389 (II, 3, 15) Cedo, quid iurgabit *tecum*.

Heaut. 333 (II, 3, 92) *Tuam amicam huius esse*. ‖ *Pulchre;* cedo, quid *hic* faciet *sua*.

Heaut. 597 (III, 3, 36) *Dicis? est: inueni nuper quandam*. ‖ *Frugi es,* cedo, quid est.

Heaut. 846 (IIII, 8, 6) Cedo, quid uis *faciam*. ‖ *Inuenisti hodie filiam.*

Phorm. 197 (I, 4, 19) Cedo, quid portas, *obsecro, atque id, si potes, uerbo expedi.*

Phorm. 642 (IIII, 3, 37) *A primo homo insanibat.* ‖ Cedo, quid postulat.

Hecyr. 458 (III, 5, 8) *Aduenis modo?* ‖ *Admodum.* ‖ Cedo, quid reliquit *Phania.*

Naeuius (Ribb. Trag. p. 278, 7) Cedo, qui *uostram rem publicam tantam* amisistis *tam cito*.

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 104, 226) Cedo, quorsum *itiner tetinisse* aiunt.

Attius (Ribb. Trag. p. 147, 92) Cedo, quid *mihi* redhostis, *si Orci ut messem obbitat facilius* . . . [1])

β)

Plauti Poen. IIII, 2, 43 (855) *Meum erum ut perdant, nei mihi metuam, Milphio.* ‖ Quid *id* est, cedo.

Mil. 617 (III, 1, 23) Quid *id* est, *quod cruciat*, cedo.

Most. 478 (II, 2, 47) Quid *istuc* est *sceleris*, aut quis *id* fecit, cedo. [2])

Most. 572 (III, 1, 45) *Quin tu istas mittis tricas?* ‖ *Quin* quid uis, cedo.

Ter. Eun. 162 (I, 2, 82) *Ego id timeo?* ‖ Quid *te ergo aliud* sollicitat, cedo.

Eun. 950 (V, 4, 28) Quid *ita*, aut quid *factumst*, cedo.

Andr. 705 (IIII, 2, 22) Quid facies, cedo.

Phorm. 550 (III, 3, 17) *Contemplamini me.* ‖ Quam *ob rem*, aut quidnam *facturu's*, cedo.

---

1) Huius uersus exitus uix recte restitutus apud Ribbeckium legitur.

2) Libri praebent: *est sceleste*, Dissaldeus: *est scelesti*, Scaliger: *est scelus*, Spengel in Philol. XXV. p. 170 coniecit: *Quid istuc est sceleris, aut quis id fecit, cedo*, quam emendationem C. F. G. Mueller »plaut. prosod.« p. 255 probat. Kretschmer in dissertatione »Quaestiones Plautinae« Vratisl. 1863 p. 13 uersum ita restituit: *Quid istuc scelestist, aut quis id fecit, cedo,* — quam emendationem Spengel quoque l. l. proposuit.

Attius (Ribb. Trag. p. 145, 76) Si *tui* ueretur *progenitoris*, cedo.

γ)

Plauti Cist. I, 1, 55. Quid, cedo, *te obsecro*, *tam* abhorret *hilaritudo*.

D)

Responde: a) pronomine *mihi* apposito

α)

Merc. 1011 (V, 4, 51) responde mihi, *Certon* scis, *non suscensere mihi tuam matrem.* || *Scio.*

Men. 288 (II, 2, 16) Responde mihi, *Adulescens,* quibus *hic pretiis porci* uaeneunt
Sacres sinceri.

Most. 635 (III, 1, 105) *Promitte, age inquam*: *ego iubeo.* || Responde mihi,
Quid *eost argento factum.* || *Saluomst.* || *Soluite.*

Amph. 848 (II, 2, 218) responde mihi,
Quid, *si adduco tuum cognatum huc ab naui Naucratem,*
.... quid *tibi aequomst fieri.*

Pseud. 8 (I, 1, 6) responde mihi, Quid est, *quod tu exanimatus iam hos multos dies*
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lauis
Neque tui participem consili quemquam facis.

Trin. 1074 (IIII, 3, 67) *Sed omitte alia, hoc* mihi responde, *liberi* quid agunt *mei,*
Quos reliqui hic filium atque filiam.

Ter. Eun. 792 (IIII, 7, 22) *Thais*, *primum hoc* mihi responde, *quom tibi do istam uirginem,*
Dixtin *hos dies mihi soli dare te.*

β)

Plauti Merc. 823 (IIII, 5, 8) *Iam mater rure* rediit, responde mihi.

Ter. Phorm. 1042 (V, 9, 53) ... quo *ore illum* obiurgabis, responde mihi.

b) Pronomen *mihi* subintellegendum est:

α)

Plauti Men. 507 (III, 2, 43) Responde, surrupuistin *uxori tuae* *Pallam istanc hodie* atque ⟨*eam*⟩ dedisti *Erotio*.

Bacch. 816 (IIII, 7, 18) Responde, quis *me* uendit.

Merc. 483 (II, 4, 15) Responde, quo *leto* censes *me ut peream potissumum*.

Men. 498 (III, 2, 33) Responde, *adulescens, quaeso,* quid *nomen tibist*.

Cas. V, 4, 9 (817) *Non amas me?* ‖ *Quin* responde, *tuo* quid *factumst pallio*.

Amph. 962 (III, 3, 7) *Sed age*, responde, *iam uos* redistis *in concordiam*.

Poen. I, 2, 42 (249) *Amo te; sed hoc nunc* responde,
Sunt *hic*, *quae ad deum pacem adesse oportet*.

Rud. 1053 (IIII, 4, 9) *Quaeso* responde, *senex, Tuus hic seruost*. [1])

Ter. Andr. 849 (V, 2, 8) *Etiam tu hoc* responde, quid *istic tibi negotist*. [2])

β)

Plauti Mil. 840 (III, 2, 27) *Eho*, an *umquam* prompsit *antehac*, responde, *scelus*.

Rud. 1155 (IIII, 4, 111) *Mane, ne ostenderis*. ‖ Qua *facie* sunt, responde *ex ordine*.

Men. 170 (I, 2, 60) Quid *igitur*, quid olet, responde.

Ter. Ad. 179 (II, 1, 25) Qui *tibi magis* licet *meam habere, pro qua ego argentum dedi*,
Responde.

Ad. 796 (V, 3, 10) .... *dictum hoc inter nos* fuit,
(*Ex te adeost ortum*), *ne tu curares meum*
Neue ego tuom, responde.

---

1) *Tuus* libri, *Tuun* Fleckeisen.

2) De quo uersu uide infra ad Bacch. 1157. coll. §. 2, II, 1, c.

E)

Expedi: α)

Plauti Pers. 215 (II, 2, 33)	*Fatear, si ita sim.* ‖ *Iam abi, uicisti.* ‖ *Abi nunciam* ‖ *Ergo hoc* mi expedi, Quo agis *te.*
Amph. 1081 (V, 1, 29)	*Agedum* expedi, scin *me tuum esse erum Amphitruonem.*
Rud. 1102 (IIII, 4, 58)	*Gripe, aduortc animum. tu paucis* expedi, quid postulas.
Ter. Eun. 694 (IIII, 4, 27)	. . . *Agedum hoc* mi expedi *Primum, istam, quam habes,* unde habes *uestem. taces?*

β)

Plauti Pers. 640 (IIII, 4, 88)	*Set tamen, uirgo,* quae *patriast tua, age* mi *actutum* expedi.
Men. 639 (IIII, 2, 50)	*Ne ego ecastor mulier misera.* ‖ Qui *tu misera's,* mi expedi.
Rud. 650 (III, 2, 36)	Quis *istic* est, *qui deos tam parui pendit, paucis* expedi.
Poen. V, 2, 64 (1013)	Quid ait aut quid orat, expedi.

F)

Interrogatio pendet ex imperatiuis aliorum uerborum dicendi:

Poen. V, 2, 67 (1016)	Narra, quid est, Quid ait.
Men. 889 (V, 4, 1)	Quid *illi esse morbi* dixeras, narra, *senex.*
Mil. 1050 (IIII, 2, 59)	Quid *nunc tibi* uis, *mulier,* memora. ‖ *Vt quae te cupit, eam ne spernas.*
Capt. 983 (V, 3, 6)	Quid erat *ei nomen, si uera dicis,* memoradum mihi.
Aul. II, 4, 42 (319)	*Sed* uter *uostrorumst celerior,* memora mihi.
Poen. IIII, 2, 44 (856)	*Málus es.* ‖ *Málus sum.* ‖ *Mále mihist.* ‖ Memorádum, num *ésse alitér* decét.

Plauti Cist. I, 1, 66 *At mihi cordoliumst.* ‖ *Quid id*, unde est *tibi cor*, commemora, *obsecro*. [1])

(— Cas. III, 5, 10 (528) *Quid, periisti?* ‖ *Perii et tu periisti.* ‖ Aperi, quid *tibi*⟨st⟩.) [2])

Pseud. 866 (III, 2, 77) *Habe modo bonum animum.* ‖ *Quaeso,* qui possum, doce, [3])
Bonum animum habere, qui te ad me adducam domum.

Truc. IIII, 2, 8 (707) Quis *is* est, *Astaphium*, indica, *qui perit.* ‖ *Amabo, hicin tu eras?*

Rud. 852 (III, 6, 14) opta *ocius*, *Rapiu te obtorto collo* mauis *an trahi:*
Vtrumuis opta, dum licet. ‖ *Neutrum uolo.*

Cas. V, 2, 35 (764) Quid fit *denique*, edisserta.

Ter. Phorm. 380 (II, 3, 33) *Quem amicum tuum* ais *fuisse istum*, explana mihi.

Titinius (Ribb. Com. p. 127, 102) Quid *istuc* est, aut quid *istic sibi* uolt *sermo, mater*, delica.

Attius (Ribb. Trag. p. 159, 179) .. itera, *in* Quibus *partibus* (*namque audire uolo*),

---

1) Ita Spengel uersum restituit in libro 'T. Maccius Plautus' pag. 18. Confer praeterea F. G. Rostii opuscula Plautina p. 152, qui Plautum ita scripsisse censet: *At mihi cor dolet.* ‖ *quid id? unde est tibi cor, commemora obsecro.* In libris uersus sic scriptus seruatur: *at mihi Cordolium est.* ‖ *quid id? unde est tibi cordolium, commemora obsecro.*

2) *Aperi quid tibi* praebent libri Palatini. In A teste Studemundo extat: *QVIPERISTI* ‖ *PERUETTVPERIS*[*TI* ‖ *PE*]*RI* ‖ *QVIDITA*. *Aperi* pro *dic* positum neque aliis exemplis confirmatur (nam Mil. 231, quem uersum O. Seyffert in Philol. XXVII. p. 450 sic scribendum esse existimat: *Bene amet. At imperti me* ⟨*et*⟩ *aperi mi*, *quod commentu's. Tace.* et Mil. 1025—conf. infra —*aperi* imperatiui coniecturis debentur uirorum doctorum Casinae u. l. respicientium) neque hoc loco librorum Pall. auctoritate satis subsidii accipit. Fortasse ex A libri reliquiis duo dimetri anapaestici catalectici cum Studemundo restituendi sunt.

3) *QVAESOQVIPOSSVM* (omisso: *doce*) A; *Quaeso qui possim doce* BCD, cuius recensionis auctor coniunctiuum potentialem statuisse uidetur. conf. infra.

Si est, quem expopto, et quo captus modo[1] *Fortunaue* an *forte* repertus⟨t⟩.

Attius (Ribb. Trag. p. 201, 498) *Praesto etiam adsum.* Exprome, quid fers; *nam te longo* ⟨*ab*⟩ *itere cerno Vadere.*

Plauti Truc. III, 2, 8 (664) Dic, impera *mihi*, quid *tibi* et quo uis *modo*.

Pers. 664 (IIII, 4, 112) Quid *id* est *ergo*, eloquere *actutum* atque indica.

Cas. III, 5, 21 (539) *Sed hoc, quidquid est*, eloquere, in pauca confer,

Quid *intus tumulti* fuit.

Naeuius (Ribb. Com. p. 24, 125) An *natast sponsa praegnas*, uel aï uel nega.

G)

In nonnullis quae hoc loco laudanda sunt exemplis, cum eum qui sententiam rogatur, ut respondere et de re proposita iudicium ferre possit, rem de qua agitur uidere siue contemplari opus sit, enuntiatum primarium imperatiuis *uide*, *specta*, *contempla* simil. efficitur. Atque haec exempla omnia ita comparata sint oportet, ut res ipsa oculis obuiam sit. Itaque cum is, qui interrogatur, simul et rem uidere et respondere possit, duae uidendi et respondendi actiones non distinguuntur sed fere una actione comprehenduntur. Itaque *uide*, *specta* similes imperatiui in his enuntiatis idem ualent atque *dic*, *loquere*.

Plauti Rud. 948 (IIII, 3, 11) *Eloquere, quid id est.* ‖ Vide, num *quispiam* consequitur *prope nos.*

Pseud. 935 (IIII, 1, 25) *Sed* uide, *ornatus hic satine me* condecet.

Most. 614 (III, 1, 86) Vide, num moratur.

Most. 1109 (V, 1, 60) *Me emunxisti.* ‖ Vide sis, *satine recte* num *muci* fluont[2].

---

1) An fuit *modost* et *repertus?*

2) Ritschl fortasse rectius interpunxit: *Vide sis, satine recte: num mucci fluont?*

Most. 472 (II, 2, 41) *Eloquere, quid ita.* || Circumspicedum, num *quis* est,
Sermonem nostrum qui aucupet.

Truc. II, 6, 18 (495) Vide, quis loquitur. || *Iam propinque miles, mea Phronesium*[1],
Tibi adest Stratophanes.

Mil. 361 (II, 4, 8) Respicedum *ad laeuam*, *illaec* quis est *mulier*.

Cas. II, 6, 25 (273) . . . *Tene sortem tibi.*
Vide, quid *scriptumst*.

Ter. Andr. 878 (V, 3, 7) Vide, num *eius color pudoris signum usquam* indicat.

Eun. 838 (V, 1, 22) Vide *amabo*, si *non*, *quom aspicias, os impudens* Videtur.

Phorm. 210 (I, 4, 32) *Voltum contemplamini.* em[2]), *satne sic* est.

Semel *uide* imperatiuus tralaticia notione cum re coniunctus quae oculis conspici nequit significat: *entscheide*:

Plauti Rud. 1002 (IIII, 3, 63) Vide sis, quoius *arbitratu nos* uis *facere.* || *Viduli Arbitratu.*

II)

In aliis exemplis enuntiatum primarium, ex quo interrogatio pendet, non imperatiuo efficitur sed aliis locutionibus, quae tamen idem fere ualent ac *dic mihi.*

A)

Rogo, quaero:

Plauti Pseud. 971 (IIII, 2, 15) Ecquem *in angiporto hoc hominem tu* nouisti, te rogo.

Amph. 438 (I, 1, 282) Quis *ego* sum *saltem*, *si non sum Sosia*, te interrogo.[3])

---

1) *Vibet qus* B, *Vibet quis* C, *Vib& quis* D, *Vide quis* Z, *Ibi ecquis* Geppert.

2) *em* omittunt BEFG, exhibent ceteri, *en* Fleckeisen.

3) C. F. G. Müller »plautin. prosodie« pag. 9 suo iure scripsit: *Sosia (id) te interrogo.* Confer praeterea eiusdem »nachtraege zur plautin. prosodie« pag. 2, et quae ad Bacch. 1157 infra exponam.

C. Licin. Macer Caluus (Meyer pag. 476) Rogo *uos, iudices*, num, *si iste disertus est, ideo me damnari* oportet.

Sext. Turpilius (Ribb. Com. p. 87, 129) *Hoc* quaéro, *ignoscere hic* solentne *eás minoris nóxias,*
Erúm si forte, cúm agit alias rés,
⟨*tago*⟩ *uiní cado.* [1])

B)

Volo scire, scire expeto, simil.:

Plauti Stich. 113 (I, 2, 56) Volo scire *ergo*, ut *aequom* censes.

Curc. 543 (IIII, 3, 11) Scire uolo, quoi reddidisti. ‖ *Lusco liberto tuo.*

Truc. II, 2, 6 (260) *Sed* uolo scire, quid debetur *hic tibi in nostra domo.*

Aul. III, 2, 13 (424) *Sed in aedibus* quid *tibi meis* nam erat *negoti*
Me absente, nisi ego iusseram, uolo scire.

Mil. 612 (III, 1, 18) *Sed* uolo scire, *eodem consilio*, *quod intus meditati sumus,*
⟨Num⟩ gerenus *rem* [2]).

Poen. V, 3, 12 (1119) *Noui, sed* ubi sunt *meae gnatae, id* scire expeto.

Cas. III, 5, 36 (560) *Istuc* expeto scire, quid dixit.

Pseud. 1087 (IIII, 6, 25) Quid est, *quod non metuas ab eo, id* audire expeto.

Aul. IIII, 10, 50 (773) L. *Mater est Eunomia.* E. *Noui genus; nunc* quid uis, *id* uolo [3])

---

1) Sic maximam partem secundum Grautoffium hos uersus emendare conatus sum. Ribbeck scripsit: *hoc quaero, ignoscere Istic solentne eas minoris noxias, Erum si forte, quasi alias, uini tago?*

2) *gerimus rem* BCD. *Si gerimus rem* FZ. *num* omittunt libri omnes.

3) Wagner, codices BJg secutus, Liconidi et Euclioni colloquentibus uerba sic distribuit:

L. *Mater est Eunomia.* E. *Noui genus. nunc quid uis?* L. *Id uolo*
Noscere: filiam ex te tu habes? E. *Immo eccillam domi.*

sed intellegi nequit, quomodo Liconides, qui Euclionis filiam stuprauerit,

Noscere. *L. Filiam ex te tu habes?*
E. Immo eccillam domi.

Bacch. 269 (II, 3, 36) Habetin *aurum, id* ⟨*primum*⟩ mihi dici uolo.

Amph. 592 (II, 1, 45) Quo *id, malum,* pacto potest nam (*mecum argumentis puta*)
Fieri, nunc uti tu et hic sis et domi, id dici uolo.

Most. 626 (III, 1, 100) *Id* uolo mi ⟨*actutum*⟩ dici, *id* me scire expeto,
Quod *illuc argentumst* [1]).

---

ex Euclione quaerere possit, num filiam habeat; nam aliter uerba: *Id uolo noscere, filiam ex te tu habes?* interpretari nequeo. Immo Liconides Euclionem omnino nihil interrogare uult, et quomodo uerba: *filiam ex te tu habes* explicanda sint, u. 52 docemur: Liconides enim scelus libere profiteri dubitans senem prius explorare et sensim ad ea, quae deinceps explicantur, praeparare studet. Itaque anxie uerba facere incipit: *Du hast doch eine tochter? E. Gewiss, zu hause. L. Und diese hast du, so viel ich weisz, meinem onkel verlobt. E. Ganz recht.* Atque hunc sensum uerbis subesse iam Bothe intellexisse uidetur, qui codicem Helmstadiensem secutus Euclioni et Liconidi uerba hoc modo tribuit:

L. *Mater est Eunomia.* E. *Noui genus. nunc quid uis, id uolo*
Noscere ex te. L. *Filiam tu habes.* E. *Immo eccillam domi.*

At non solum sensus totius loci hanc personarum discriptionem flagitat, sed etiam sermo Plautinus secundum ea, quae infra disseremus, postulat, ut uerba *Noui genus. nunc quid uis, id uolo Noscere* ab eodem Euclione pronuntientur. Itaque in Bothii lectione acquiescendum esset, nisi Wagner in uocabulo *immo*, quod hic idoneo sensu caret, fortasse recte haesisse uideretur. Idem in commentario proponit *intus eccillam domi.* Possis igitur scribere *Nóscere éx te.* ‖ *Tú habes filiam?* ‖ *Intus éccillám domí,* uel *Noscere ex te.* ‖ *Filiam* ⟨*unam*⟩ *tu habes?* ‖ *Eccillam domi* (conf. prol. 23 *huic filia unast*); quamquam ne sic quidem uersus persanatus esse uidetur. O. Seyfferti emendatio in Philol. XXVII, pag. 439 proposita

Nóscere, filiam éx te tu habes. ‖ *'Immo eccillam meaé domi*

nihil adiuuat, nisi quod hiatum aufert.

1) *argentum est. Tr. est* B, et spatio pro *Tr* relicto CD. C. F. G. Muellero, qui *est* uocabulo his scripto adductus (plaut. prosod. p. 469 adn.) existimat genuinam huius uersus scripturam hanc fuisse: *Quod illuc argentum sit.* ‖ *Huic debet Philolaches.* adstipulari nequeo.

Trin. 173 (I, 2, 136) *Set nunc* rogare ⟨*hoc*⟩ *ego uicissim* te uolo, Quid fuit *officium meum me facere*.

Amph. 707 (II, 2, 75) *Alcumena, unum* rogare te uolo. ‖ *Quiduis roga*. ‖ Num *tibi aut stultitia* accessit *aut* superat *superbia*.

Pomponius Bononiensis (Ribb. Com. p. 203, 102) Volo scire ex te, cur *urbanas res desubito* deseris.

C)

Fac sciam, fac me certum uel *conscium:*

Plauti Trin. 174 (I, 2, 137) fac sciam[1], Vtrum *indicare me ei thensaurum aequom* fuit.

Men. 890 (V, 4, 2) Num *laruatust aut cerritus*, fac sciam.

Curc. 617 (V, 2, 19) Quis *tibi hanc* dedit *mancupio* aut unde emisti, fac sciam.

Pseud. 696 (II, 4, 3) *Commemini omnia, id tu modo, me* quid uis *facere*, fac sciam.

Mil. 277 (II, 3, 6) Quid *iam* aut quid ⟨*hoc*⟩ *negotist*, fac sciam.

Rud. 1023 (IIII, 3, 84) Quo *argumento socius non* sum et *fur* sum, facdum *ex te* sciam.

Curc. 414 (III, 44) *Summane, salue*. qui *Summanu's*, fac sciam.

In *fac sciam* formula *sciam* coniunctiuus, ex quo interrogatio pendet, assimilandi uim amisit, atque *fac sciam* uerba in unam fere notionem coaluisse merique imperatiui locum uidentur obtinuisse.

Pseud. 18 (I, 1, 16) *Idem animus nunc est*. ‖ Fac[2] me certum, quid *tibist*.

Cist. II, 3, 46 Fac me consciam, Quid *nunc* uis *facere me*. ‖ *Intro abi atque animo bono's*.

Quibus exemplis omnibus addas unum hoc:

Cas. II, 4, 10 (186) *Sed* utrum *nunc tu caelibem te esse* mauis *liberum*

1) *Fac* A et Hermann, *Face* ceteri. cf. p. 127 adn. 3.

2) *Fac* libri, *Face* Fleckeisen.

An maritum seruom aetatem degere et gnatos tuos,
Optio haec tuast*: utram harum uis condicionum accipe.*

ubi *Optio haec tuast* uerba idem ualent atque *opta* imperatiuus, conf. supra p. 139. Rud. 852.

In nonnullis uersibus *dic* imperatiuus sequente enuntiato interrogatiuo legitur a uiris doctis in contextum ex coniectura receptus:

1) Pl. Capt. 277 (II, 2, 27) Quo, dic, *genere gnatust illic Philocrates?* ‖ *Polyplusio.*

dic scribendum esse pro *de*, quod BD praebent, coniecit Brix in nota ad hunc uersum adscripta laudato Pers. u. 648; praestabit tamen fortasse *Dic quo genere sq.*

2) Pers. 648 (IIII, 4, 96) Quoiusmodi *is,* ⟨dic,⟩ *in populo habitust?* ‖ *Nemo quisquam acceptior.*

dic inseruit Ritschl, omittunt libri; transposuerunt *est in populo is habitus* uel *in populo est is habitus* Bothe et Kampmann.

3) Mil. 558 (II, 6, 75) *Ratun* es, dic, *me hominem esse omnium minumi preti?*

ita hunc uersum scribendum esse censuit Ribbeck in mus. Rhen. XII. p. 596 adstipulante Lorenzio in editione; sed praeter insolitam *dic* imperatiui collocationem inepta totius loci sententia grauius ulcus latere indicat.

4) Cas. V, 2, 36 (765) *Inquam, uxorcula mea,* ⟨dic mi⟩, cur *uirum tuom sic me* spernis.

dic mi uerba, quae a libris absunt, addidit Geppert, sed totum locum tam audacter refinxit, ut plura de hac coniectura addere opus non sit. Idem

5) Cas. II, 2, 26 (97) ⟨*Solae*⟩ *nos sumus.* ‖ *Itast:* ⟨sed dic⟩, unde *ea tibist.*

uersum in libris mutilum *Solae* et *sed dic* uerbis additis non minus audacter expleuit.

6) Attius (Ribb. Trag. p. 282, 12) Dice, *summa* ubi *perduellum* est, quosum aut quibus *a partibus* Gliscunt.

qui uersus in libris Nonianis leguntur tales: *dis summa tibi perduellum est, quorum aut quibus se a partibus gliscunt*; *dic* pro *dis* coni. Grotius, *dice* Ribbeck, *uis* Vossius et Hermann; *ubi* pro *tibi* Grotius, *ibi* Bothe et Hermann; *perduellium* Hermann, *pol duelli* Bothe 2; *est ubi perduellum* transposuit Vossius; *quorsum* pro *quorum* Bothe 2, *quosum* Ribbeck; *se* eiecit Vossius. Etiamsi hunc uersum a uiris doctis ceterum sic recte emendatum esse concesseris, tamen *dice* formam uocabulo, quod a consonante incipit, proxime insequente in suspicionem uocare non dubito, quomodocumque numeris succurrere uelis; conf. p. 129 not. 2.

7) Ter. Andr. 730 (IIII, 2, 22) Fleckeisen *unde* particula inuitis libris addita eiusdem modi interrogationem ex *cedo* pendentem effecit:

Noua nunc religio unde *istaec* incessit, cedo.

Sed conf. quae Klotz in nota contra Fleckeisenum disputauit.

Denique huc referenda esse uidentur duo exempla haec:

8) Pl. Men. 809. 810, qui uersus in libris sic fere leguntur:

Dic mihi istuc, Menaechme, quod uos discertatis, ut sciam.
Quid tu tristis es? quid illa autem abs te irata destitit?

(nisi quod u. 810 *tutrix es* B, sed *tristis* B mrg., *tutrixes* C, *tu trix es* Da, *tu tristis es* Db; deinde *quod* B; *destitit* Dousa, *destituis* B, *dedistitus* CDa, *dedistitus* Dc). Equidem Ritschelium u. 809 de *quid* pro *quod* corrigendo cogitantem secutus uersus sic scribere uelim:

Dic mi *istuc, Menaechme*, quid *uos* discertatis, *ut sciam;*
Quid *tu tristis* es, quid *illa autem abs te irata* destitit.

nam *quid* et *quod* pronomina sescentiens in libris confundi constat, et *istuc* pronomen hic eadem ratione usurpatum esse uidetur atque e. g. Cas. III, 5, 36: *Istuc expeto scire, quid dixit*, ita scilicet, ut non solum pronomen relatiuum sed totum enuntiatum interrogatiuum ad *istuc* pronomen referendum sit. Conf. infra pag. 148.

In altero exemplo

9) Cist. II, 3, 35: *Vbi élocutast, égo contínuo [anum] intérrogo:*
„Vbi habitat?" inquam. „duc ac demonstra mihi."

haereo in *duc* imperatiuo absolute posito, ad quem obiecti casus accusatiuus male desideratur, praesertim quod cum *demonstra* imperatiuo *mihi* datiuus coniunctus est: nam ad *demonstra* eodem modo atque ad *dic*, *memora*, *indica* imperatiuos *mihi* datiuus facile subintellegitur, *duc* imperatiuum obiecto nullo addito apud Plautum nusquam repperi. Itaque scribere uelim:

‚Vbi habitat', *inquam*, ‚d i c ac demonstra mihi'.

Non dubito quin priscos scriptores in his enuntiatis interrogatiuis sub condicionibus supra laudatis indicatiuum uerbi posuisse hoc exemplorum numero satis confirmetur. Itaque nonnulli uersus, qui aut a uiris doctis contra librorum memoriam minus recte mutati in nostris editionibus leguntur aut a librariis in codicibus praue exarati propter alios quoque errores suspicionem mouent, partim secundum librorum fidem restituendi partim emendandi esse uidentur; atque c u m l i b r i s r e s t i t u e n d i s u n t:

1) Pl. Cas. V, 2, 30 (760) Eloquere ‖ *At pudet.* ‖ Num *radix* fuerit. ‖ *Non fuit.* ‖ *Num cucumis.* ‖ *Hercle* ⟨*nil agis.*⟩

Coniunctiuus *fuerit* ex Gepperti coniectura prodiit, cuius loco libri *fuit* indicatiuum praebent; deinde iidem omittunt hic *hercle*, quod Geppert huc transposuit; ceterum totus locus in B tam male habitus est et tot tantisque lacunis deprauatus, ut de certa medela huic uersui ferenda omnino desperandum sit. Quomodocumque uero numeris succurretur, indicatiuum mutare non licebit.

2) Poen. V, 2, 26 (975) *Nihil edepol. nam* qui *scire potis* sim, dic mihi.

ita hunc uersum scripsit Geppert. Libri autem omnes praebent

potui pro *potis sim*. Itaque uix recte Geppert coniunctiuum supposuit, sed scribere sane potuit *potis sum* uel *possum*.

3) Rud. 1156 (IIII, 2, 112) *Ensiculust aureolus primum litteratus*. || Dicedum,
In eo ensiculo litterarum quid sit. || *Mei nomen patris*.

Libri omnes praebent *est* indicatiuum, quem Fleckeisen praue in coniunctiuum mutauit. Indicatiuus seruandus et uersus sic dimetiendus est:

Dicedum, *'In eo ensiculo litterarum* quid est. || *Mei nomén patris*.

4) Rud. 1160 (IIII, 4, 116) Dic, *in ensiculo* quid *nomen* sit *paternum*. || *Daemones*.

Iterum libri omnes *est* exhibent indicatiuum, cuius in locum coniunctiuum supponere Fleckeisen non debebat. Itaque uersum sic scribamus oportet:

Díc, *in ensiculó* quid *nomen* ést *paternum*. || *Daémones*.

5) Bacch. 1157 (V, 2, 38) *Nihili sum*. || *Istuc iam pridem scio: sed* qui *nihili* sis, memora.

Talem uersum apud Ritschelium legimus. Sed coniunctiuus neque ferri potest neque in libris extat, atque dummodo dicendi usum Plautinum obseruemus, indicatiuus ex ipsorum codicum scriptura restitui potest. Nam hi praebent:

Nihili sum. Istuc iam pridem scio sed quid nihili sit memora B, *nihile sit* CD, *nihil sis* Z, *nihili sis* Angelius; *qui* pro *quid* Guyetus. Apud Plautum et Terentium saepius, ubi cui interroganti non id, quod rogauerat, sed siue plane aliud siue aliquid noui respondetur, fusius dicitur: *non id scire expeto* (= id noui) — *sed id* (quod rogo). In eiusmodi autem enuntiatis numquam *id* uel *hoc* pronomen omittitur, ut Poen. V, 3, 12: *Noui; sed ubi sunt meae gnatae*, *id scire expeto*; Pseud. 696: *Commemini omnia; id tu modo*, *me quid uis facere*, *fac sciam*; Most. 624: *Non ego nunc istuc curo, qui sit, unde sit; Id uolo mi actutum dici, id me scire expeto, Quod illuc argentumst*; Ter. Andr. 848: *Bene sane: id enim uero hinc nunc abest; Etiam tu hoc responde, quid istic tibi negotist*; Trin. 1074:

Sed omitte alia; hoc mihi responde, liberi quid agunt mei; Poen. I, 2, 42: *Amo te; sed hoc nunc responde etc.*; Cist. II, 3, 69: *Teneo istuc satis; Sed ego illud quaero etc.*; conf. Pers. 215; Pseud. 1087; Amph. 593; Stich. 363[1]). His igitur exemplis docemur Bacch. 1157 quoque *id* pronomen omitti non posse; et re uera libri pronomen desideratum seruant, cum praebeant: *nihili sit* B, *nihile sit* CD; nam uerba tantum praue discerpta exhibent. Dirimenda autem ita sunt: *quid nihili 's it; quid* autem, quod hic idoneo sensu caret, pro *qui* peccatum est. Versus igitur ita restituendus est:

Nihili sum. || *Istuc iam pridem scio, sed* qui *nihili 's, id* memora.

6) Ter. Phorm. 840 (V, 5, 12) *Sed ostium concrepuit abs te.* || Vide, qui egrediatur. || *Getast.*

Sic Bentley, Fleckeisen, Weise; A praebet *QVIEGREDITVR*; BCDEP *quis egrediatur*. Neutra scriptura numeris satisfacit, sed dubium non est, quin nos A sequi et cum Vmpfenbachio scribere opus sit:

Sed ostium concrepuit abs te. || Vide, quis egreditur. || *Getast.*

7) Pl. Mil. 809 (III, 1, 214) *Meminero*: *sed quid meminisse id refert, ego nescio tamen.*

Sic Ritschl corruptum uersus exitum sanare studuit; sed errauit uir doctus. Nam interrogationes obliquae omnes, quae pendent ex

1) Idem fit, ubi id, quod scire uolo, non ei oppono, quod scire nolo, sed altero uocabulo apposito indico me hoc praeter alia sciscitari: Eun. 792 *Thais, primum hoc mihi responde*; Amph. 609 *Omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici uolo*; Eun. 694 *Agedum, hoc mi expedi Primum*; Eun. 100 *Dic mihi Hoc primum*; Eun. 707 *Dicdum hoc rursum*; Cas. II, 4, 8 *Quid uelis, modo id uelim me scire*; Heaut. 890 *hoc prius scire expeto*; Bacch. 269 *id primum mihi dici uolo*, quibuscum conferas Cas. III, 5, 35 et Men. 923 coll. u. 914. Qua de causa a Sex. Turpilio 129 Ribb. Com. p. 87 *hoc quaero etc.* et a Titinio 93 Ribb. Com. p. 126 *dic istud* (ut probabiliter coniecit Neukirch pro *dicis tu*, quod libri Noniani praebent) *etc.* scriptum sit, pro certo dici nequit, cum, quae praecesserint, ne diuinari quidem possit.

nescio uerbo, quod ipsum alteri sciendi uerbo (*meminero*) oppositum est, coniunctiuum uerbi praebeant oportet. Libri omnes pro *ego nescio tamen* praebent *ego te tamen*, atque dubium non est quin Haupt [1]), qui sub codicum scriptura uerba *rogo te tamen* latere perspexit, ueram lectionem indagauerit. Non aeque recte fecit, quod totum uersum sic restituens:

Meminero; sed quid *meminisse id* referat, rogo te *tamen.*

propter numeros *refert* indicatiuum, quem libri praebent, in *referat* coniunctiuum mutauit. Indicatiuum enim omni modo seruandum esse apparet. Vnum tamen est, quod nostro iure desideremus, siquidem ualet, quod pag. 148 diximus: *id* pronomen ante uerba *rogo te tamen.* Itaque uix dubium esse potest, quin *id* pronomen, quod libri ante *refert* praebent, ubi tamen eodem sensu optime seruato omitti potest, praue in hunc locum irrepserit, atque hoc cum Luchsio (Herm. VI p. 269) in suum locum restituto uersus sic sanandus sit:

Meminero; sed quid *meminisse* refert, *id* rogo te *tamen.*

8) Cas. V, 2, 22 (752) *Postquam decubuisti, hinc* uolo memorari, quid sit *factum.*

sit coniunctiuus Gepperti est. B hunc uersum grauiter corruptum sic praebet: . . . . *uam debuisti inde uolo memorare quid est factum.* Sed *memorare* actiui infinitiuus, quem libri praebent, suspicionem mouet *te* pronomen excidisse. Quod si uerum est, uersus Gepperto sane *hinc* pronomine probato scribendus erat:

Postquám decubuisti, hinc uolo memoráre te, quid *fáctum*st.

uel, si quis cum Kochio [2]) *ulo* legere malit:

Postquám decubuisti, índe ulo memoráre te, quid *fáctum*st.

Sane constat *est* indicatiuum seruandum esse, quocumque modo claudicantibus numeris succurrere uolueris.

9) Naeuius 39 . . dic, quo *pácto eum potiti* ⟨sitis⟩, *pugnane án dolis.*

Talis uersus legitur apud Ribbeckium in trag. proecdos. p. 9. Libri omittunt *sitis*, et pro *pugnan'*, quod Bothe coniecit, prae-

---

1) Ind. lect. Berol. aest. 1858 p. 7.

2) Conf. quae exposuit uir doctus in Jahn. annal. Cl. p. 65.

bent *pugna*. Nunc Ribbeck in alterius editionis p. 11 (u. 37) scripsit:

Dic, quó pacto eum potiti: pugnane án dolis?

et in adnotatis habet haec: ‚*sitis post potiti qui inseret, septenarium habebit.*' Attamen qui septenarium habere uolet, non *sitis* sed *estis* indicatiuum potius inseret.

Atque ne hoc quidem, quod nunc in contextu exhibuit uir doctus, omni suspicione exemptum est: nam equidem exemplum indagare potui nullum, ubi in interrogatione ex eiusmodi enuntiato primario pendente praedicatum omitteretur, id quod hoc loco fit, ubi aut *estis* uerbum subtantiuum subintellegendum aut, si *potiti* pro participio accipere uolueris, aliud uerbum ex eis, quae olim praecedebant, animo repetendum erit [1]). Itaque scribere possis:

Dic, quo *pacto eúm potiti* ⟨éstis⟩, *pugnane án dolis.*

cum hiatu in diaeresi; nisi fortasse praestabit uersum sic corrigere:

Dic, quó *pacto eum potitu*'s, *pugnane án dolis.*

Restant aliquot uersus, in quibus coniunctiuus codicum quidem auctoritate nititur, qui tamen propter alios errores suspicionem mouent. Itaque non dubito, quin etiam contra librorum memoriam indicatiuus, qui priscorum scriptorum loquendi usu flagitatur, in his exemplis ponendus sit:

1) Pl. Merc. 199 (I, 2, 86) Lóquere *porro,* quíd sit *actum.* ‖ *Póstquam aspexit múlierem* —

ita Ritschl B secutus uersum scripsit. Reliqui codices pro *actum* praebent *actutum,* quae uox ad significandam animi commotionem aptissima est, quia iuuenis, amicae metuens, ut quam celerrime sibi respondeatur, flagitat, cf. uu. 170. 174. 179. Eiusmodi igitur adhortationis uocabulum ad loci condicionem bene

1) Nam aliam prorsus esse condicionem horum uersuum: Eun. 950, Phorm. 550 (conf. pag. 135), Eun. 978 (cf. p. 128), Cist. I, 1, 66 (cf. p. 139, ubi fortasse *Quid ita* pro *Quid id* scribendum est), Mil. 277 (cf. p. 144), Most. 472 (cf. p. 141), accuratius intuenti apparebit; dubia res est de Most. 1109 (cf. p. 140).

quadrare apparet. Deinde Plautus aliquotiens pro *quid actumst* uerbis *quid fit* locutione utitur, ueluti Amph. 1119: *Quid fit deinde, porro loquere*; Cas. V, 2, 35: *Quid fit denique, edisserta*; Amph. 1098: *Quid fit deinde.* Fortasse hoc quoque loco *fit* pro *sit* scribendum est, nam *sit* et *fit* uocabula saepius in libris manuscriptis confundi exemplis confirmare opus non est. Itaque si statuerimus *actutum* uel *actum* pro *agedum*, quod saepius ita occurrit (conf. Amph. 1081: *Agedum expedi*, Trin. 369: *Agedum eloquere*, alibi et inprimis Merc. 149: *Cedo tuam mihi dexteram, agedum, Acanthio*, ubi alterum imperatiuum subsequitur), praue exaratum esse, uersus fortasse ita restitui poterit:

Lóquere *porro,* quíd fit, *agedum.* || *Póstquam aspexit múlierem.*

2) Cist. IIII, 2, 69 *Sine dicat.* || *Si dicát quidem.* || *Age,* loquére *tu,* quid *ibi* infúerit.

Hunc uersum non solum legi a nobis propositae refragari, cum coniunctiuum praebeat, sed ut nunc legitur corruptum esse etiam ex claudicantibus numeris satis elucet. Non dubito, quin *infuerit* coniunctiuus ex fine uersus, qui praecedit: *Mirum, quin grex uenalium in cistella infuerit una* in hunc uersum irrepserit. Itaque et numeris et sermone Plautino cogimur uersum ita scribere:

Sine dicat. || *Si dicát quidém.* || *Age* lóquere *tú*, quid *ibi* inerat.

3) Ter. Adelph. 324 (III, 2, 27)

S. *Animam recipe.* G. *Prorsus* S. *Quid istuc ,prorsus' ergost?* G. *periimus*:

Actumst. S. Eloquere, *obsecro te,* quid sit. G. *Iam* S. *Quid ,iam', Geta?*

Huius quoque uersus scriptura, etiamsi a prauo coniunctiuo recesseris, tamen omni dubitatione nullo modo exempta est: nam ADG praebent *ELOQUEREERGOOBSECROTE.* Sed illud *ergo* facile siue ex praecedente siue ex subsequente uersu in hunc uersum irrepere poterat; si uero *ergo* seruare uoluerimus, scribamus oportet:

Actumst. || Eloquere *obsecro*, quid *ergost.* || *Iam* || *Quid ,iam', Geta?*

Sed uerbis, quae praecedunt et quae secuntur, accuratius respectis apparet Sostratam singula semper Getae uerba excipere: S. *Animam recipe.* G. *Prorsus* S. *Quid istuc ,prorsus' ergost?* G. *Periimus.* et in exitu nostri uersus: G. *Iam* S. *Quid ,iam', Geta?* deinde u. 326 G. *Aeschinus* S. *Quid is ergo?* Fortasse igitur idem olim hoc loco fuit:

Actumst. S. Eloquere, *obsecro*, quid ,*actumst*'. G. *Iam* S. *Quid ,iam', Geta?*

Attamen alia adhuc emendationis uia patet, qua ad codicum scripturam proxime accedamus. Geta enim semper singulas uoces exprimit et ante hunc locum u. 323 *ei mihi!* (quae duo uocabula inter se tam arte cohaerent, ut fere unicam uocem adaequent), u. 324 *prorsus*, et postea u. 325 *iam*, u. 326 *Aeschinus*; hoc tantum loco exclamat: *periimus*, *Actumst*, quare *actumst* non semper hoc loco scriptum fuisse mihi uidetur sed a librario praetermissum et in margine additum, postea ab alio, qui signum appositum non obseruarit, praue in hunc locum transscriptum esse; genuina igitur huius loci forma nescio an haec fere fuerit:

Era. S. *Quid est? quid trepidas?* G. *Ei mi!* Ca. *Quid festinas, mi Geta?*

Animam recipe. G. *Prorsus* S. *Quid istuc ,prorsus' ergost?* G. *Periimus.*

S. Eloquere *ergo, te obsecro*, quid *actumst.* G. *Iam* S. *Quid ,iam', Geta?* [1])

G. *Aeschinus* S. *Quid is ergo?* G. *Alienus est ab nostra familia.* S. *Hem.*

4) Pl. Poen. V, 2, 151 (1099) *Sed earum nutrix qua sit facie,* mi expedi.

Quamuis Nonius 52, 30, qui hunc uersum, et Gellius XIII, 29, 6, qui praeter hunc tres sequentes uersus personarum nota nulla

1) Longius a libris recedat uelut haec lectio: *'Eloquere obsecró te, quid periimus. G. Iam. etc.*, quae tamen propter inelegantes numeros minus placet.

apposita laudant, uterque cum codice Ambrosiano et libris Palatinis *sit* coniunctiuum praebeant, tamen facere non possum quin hunc uersum corruptum esse censeam, cum totus locus grauiore morbo laborare uideatur. Quare plura de huius loci condicione disserere opus est: Syncerastus igitur, Lyci lenonis seruus, Milphioni, seruo Agorastoclis, u. 880 sqq. narrat Adelphasium, Agorastoclis amicam, eiusque sororem Anterastilidem, quae in lenonis potestate sunt, ingenuas et una cum nutrice Giddeneme Carthagine paruulas subreptas esse. Milphio, ut par est, erum suum, quem et ipsum sexennem Carthagine subreptum esse recordatur, huius rei certiorem facit, oratque ut populares suas liberali causa manu adserat; postea uero, ubi Hannonem quendam Carthaginiensem, — cui filias duas subreptas esse ex u. 942 cognoscimus — Agorastoclem sui fratris filium agnouisse u. 1054 comperit, hunc uirum idoneum esse ratus, qui lenonem falleret, his uerbis sui quod commentus est consilii certiorem facit:

1087. *Nunc hoc consilium capio et hanc fabricam adparo,*
Vt te adlegemus: filias dicas tuas
Subreptasque esse paruolas Carthagine,
1090. *Manuque liberali causa eas adseras,*
Quasi filiae tuae sint ambae. intellegis?

Hanno subreptarum filiarum suarum memor et dolore affectus respondet:

Intellego hercle, nam item mihi gnatae duae
Cum nutrice una sunt subreptae paruolae.

Milphio, qui Hannonem iam adsimulare opinatur, contra:

Lepide hercle adsimulas. iam id principium mihi placet. . .

Ad quae Hanno tristi uultu et flens respondet:

1095. *Pol magis, quam uellem. —*

Milphio, qui tristitiam quoque Hannonis simulatam esse opinatur, gauisus tam callidum et doctum simulatorem se inuenisse exclamat:

Eu hercle mortalem catum
Malum uorsutum, callidum atque subdolum!
Vt adflet! quis illum gestum faciat facilius?
Me quoque dolis iam superat architectonem. —

Deinde interrogat Hanno:

Sed earum nutrix qua sit facie, mi expedi.

Primum nullo modo intellegi potest, unde Hanno scire possit, una cum illis duabus puellis, quas Milphio u. 1088 sqq. nominauerat, nutricem quoque subreptam esse, cuius Milphio coram Hannone ne uerbo quidem mentionem fecerat. Immo Hanno una cum suis filiabus nutricem subreptam esse dixerat, id quod Milphionis suspicionem mouere par erat. Deinde pater, qui suas filias se inuenturum esse sperauit (u. 956), prius de filiabus exquisiuisset quam de nutrice, ut u. 1103 docet; nam patrem in hac condicione ratiocinatum esse sibi nutricis faciem quaerendam esse, non filiarum, quippe quae paruulae subreptae faciem ualde mutassent, non ueri simile mihi uidetur. — His causis commotus Hannoni hunc uersum abiudicandum esse censeo. Videamus igitur, cui uerba tribuenda sint. Milphio, qui Hannoni filias subreptas esse ignorans et fallacias lenoni paraturus per iocum, ut docet u. 1140, Hannonem rogauerat, ut adsimularet, quasi filiae duae sibi subreptae essent, primum Hannonem iocari putat sibi quoque duas filias una cum nutrice subreptas esse affirmantem; postea uero nutrix ab Hannone tam necopinanter commemorata in Milphionis memoriam ea, quae Syncerastus prius narrauerat — una cum Adelphasio et Anterastilide nutricem quoque subreptam fuisse — reuocare eumque concitare debuit, ut hanc quoque, quam Hanno nominauerat, nutricem noscere studeret: siue quod animo praesensit Adelphasium et Anterastilidem illas subreptas Hannonis filias esse, siue quod Hannonem suis ipsius uerbis obstringere uoluit. Milphionis igitur erat rogare: Cum tibi filias una cum nutrice subreptas esse tam lepide adsimules, dic igitur, qua facie fuerit ista, quam fingis, nutrix? Milphio enim cum Hannonem cogeret, ut aliquam nutricis faciem indicaret, ipse sperauit se uel inuenturum esse, num uera animo praesensisset, uel Hannoni persuasurum, illam, cuius faciem descripsisset, ipsam eam esse, quacum puellae essent subreptae, neque dubitauit quin ita Hannonem, ut illas manu liberali causa adsereret, adducturus esset. Postquam uero Milphio intellexit nutricem ab Hannone descriptam re uera eandem esse, atque

eam quam una cum puellis in lenonis potestate esse sciuit, iam non dubitans Hannonem interrogare potuit: Vin eam uidere? Hunc sententiarum ordinem expectamus. Itaque mihi persuasum est personarum discriptionem in libris perturbatam esse, atque cum uersibus suae quoque personae tributis aptissimus sententiarum conexus efficiatur, non dubito uersum 1099 Milphioni dare. Ac simul, cum propter hunc quem diximus sensum tempus praeteritum ponere praestet, scribendum erit: *qua erat facie.* Totus igitur locus sic erit restituendus:

Milph. *Eu hercle mortalem catum*
Malum uorsutum, callidum atque subdolum!
Vt adflet! Quis illum gestum faciat facilius?
Me quoque dolis iam superat architectonem. —
Sed earum nutrix, qua erat *facie*, mi expedi.
Hanno. *Statura hau magna, corpore aquilo.* Milph. *Ipsa east.*
Hanno. *Specie uenusta, ore atque oculis pernigris.*
Milph. *Formam quidem hercle uerbis depinxti probe;*
Vin eam uidere? Hanno. *Filias malo meas.*

Quodsi quis tempus praesens seruare uoluerit, scribat:

Sed earum nutrix quad est facie, mi expedi;

neque enim scribere licet:

Sed earum nutrix quoiast facie, mi expedi,

cum Plautus constanter dicat: *qua facie*, ut: Capt. 646, qui locus est huic nostro simillimus. Rud. 565. 1149. 1155. Asin. 353. 399. Pseud. 724. 1217. Poen. III, 2, 15. Trin. 903.

5) Pseud. 951 (IIII, 1, 41) *Sed própera mihi monstráre, ubi ostiúmst lenonis aédium.*

talem octonarium iambicum restituit Ritschl, sed caesura carentem. Libri praebent: *sit sito stenonis* B, *sit ostenonis* CD. Primum *ostium aedium* abhorret a sermone Plautino; nam id quod nos dicimus »*hausthuere*« Plautus sola *ostium* uoce reddere solet, *aedium* genetiuo non addito, etiam tum, ubi *ostium* uocabulo aut pronomen possessiuum (Mil. 399: . . *certa res est Nunc nostrum obseruare ostium*; Cist. IIII, 1, 17: *aut quis deus obiecit hanc ante ostium nostrum*) aut genetiuus apponitur (Pseud. 130: *Ostium lenonis crepuit*). Genetiuus *aedium* igitur pro glossemate

habendus esse uidetur. Deinde coniunctiuus in enuntiato interrogatiuo ferri nequit, cum *propera monstrare* idem ualeat, atque *propere monstra* uel potius *propere monstrando indica*. Attamen alter locus huic similis ansam nobis praebere uidetur, quomodo hic uersus emendandus sit: Nam lenonis aedes in proximo esse et conspici posse u. 952 docemur, ubi Pseudolus dicit: *Tertium hoc est*; atque in eiusdem fabulae u. 595 sqq., ubi eadem condicio occurrit, et Harpax, ut ipso (u. 595) dicit, regionibus quidem cognitis, de ipsis autem aedibus dubitans ita secum loquitur u. 599: *Nimis uelim, certum qui id faciat mihi, ubi Ballio h i c leno habitat*, particula *h i c* addita est idem fere significans atque *in his regionibus*, ut Trin. 871: *Heus, senex, Lesbonicum h i c* (*hinc* Ritschl) *adulescentem quaero, i n h i s r e g i o n i b u s ubi habitet*, quocum uersu praeterea conferas Mil. 1258: *Nescio ubi h i c prope adest, quem expeto uidere*; Rud. 1034: *Vbi tu h i c habitas?* Itaque cum eandem *hic* particulam huic quoque de quo agitur loco aptam esse appareat, rectius fortasse uersus hoc modo restitui poterit:

Sed própera mihi monstráre, *ubist* ⟨*hic*⟩ *óstium lenónis.*

Kiessling in mus. Rhen. XXIII p. 425 *sit os lenonis aedium* scribendum esse proposuit, neque negandum est eum ad CD codicum scripturam *sit ostenonis* proxime accessisse. Cum uero Pseudoli uerba, quae secuntur: *Tertium hoc est* serio dicta sint, non est, cur Simiam iocatum esse arbitremur. Denique scribere saltem debuit: *ubist* ⟨*hic*⟩ *os lenonis aedium* (cf. B^1 scripturam: *ubi sit sito stenonis*).

Restant aliquot uersus, in quibus emendandis n e q u e l i b r o r u m m e m o r i a n e q u e c o r r u p t e l a r u m u e s t i g i i s adiuuamur. Atque primum ad eos uersus accedamus, qui a grammaticis laudantur, in quibus restituendis duplex existit difficultas: primum, quod de singulis enuntiatis ex sententiarum ordine exemptis saepius certum iudicium ferri nequit, deinde, quod grammaticorum testimoniis saepius diffidendum quam confidendum est, cum auctorum, quos laudant, uerba et sermonem pro suo quisque iudicio mutent et inprimis in adhibendis modis nimis suae aetatis usui

inseruiant. Velut Pl. Trin. 194: *Posticulum hoc recepit, quom aedes uendidit*[1]) Nonius, qui p. 384 hunc uersum laudat, coniunctiuum *uenderet* substituit. Idem Epid. I, 2, 35 (133), ubi libri Plautini exhibent *Desipiebam mentis, quom illa scripta mittebam tibi*, coniunctiuum *mitterem* praue substituit. Aul. II, 2, 1 (176) *Praesagibat mi animus frustra me ire, quom exibam domo*, Cicero de diu. I, 31, 65 scripsit *quom exirem domo.*

1) Pacuuius (Ribb. Trag. p. 84, 62)

. . . . *is uestrorum* utér sit, *cui signúm datum* est, Cétte.

in hoc uersu indicatiuo locus esse uidetur; itaque fortasse sic scribendus est:

$\acute{-} \smile - \smile \acute{-}$ *is uéstrorum* úter est, *cui signúm datum*st, Cétte.

2) Idem (Ribb. Trag. p. 113, 292)

Ecfare, quae *cor tuum timiditas* territet;

libri praebent *et fare*. Mercerus scripsit: *ecfare*; quod qui probat, corrigere debet:

Ecfare, quae *cor tuum timiditas* territat;

sed si *et fare* seruandum esse atque ante haec uerba alterum imperatiuum excidisse censebimus, coniunctiuum retinere licebit. Conf. infra § 2, II, a, β.

3) Sextus Turpilius (Ribb. Com. p. 74, 14)

Ab initio ut *res* sit *gesta*, enodá mihi.

Debebat, ut uidetur, saltem esse:

Ab initio ut *res* ést *gesta*, enodá mihi.

Magis tamen placet:

Ab initio uti *res géstast*, enodá mihi,

uel *Ab initio res* ut *géstast*, enodá mihi.

quamquam dubitari potest, num is, qui interrogat, ut continuo sibi responderetur, postulauerit.

Denique apud Plautum quoque aliquot inueniuntur uersus, in quibus indicatiuus contra librorum auctoritatem restituendus

1) Conf. Luebbertum »die syntax von *quom*« p. 151.

sit, quamuis librorum memoria nulla corruptelarum uestigia ostendat:

1) Merc. 503 (III, 1, 5)

Amabo ecastor, mi senex, eloquere. . . ‖ *Exquire quiduis.*
‖ Qur emeris *me.* ‖ *Tene ego? ut, quod imperetur, facias.*

QUREMERIS A; *Cur empris* CD; *Curem prius* B.

Sane facili negotio indicatiuus restitui possit, si antiquam accusatiui formam *med* amplexantes scribere uelimus:

Quor *med* emisti? ‖ *Tene ego? ut, quod imperetur, facias.*

Cum uero in sequenti *Tene ego* pronomina inter se opponantur, fortasse scribendum est:

Quor *tu me* emisti? ‖ *Tene ego? ut, quod imperetur, facias.*

2) Most. 166 (I, 3, 10) Contempla, *amabo, mea Scapha, satin haec me uestis* deceat.

ita libri omnes uersum exhibent; tamen non dubito, quin indicatiuo, quem sermo Plautinus postulat, restituto uersus ita scribendus sit:

Contempla, *amabo, mea Scapha, satin haec* decet *me uestis.*

3) Aul. III, 2, 17 (428) Volo scire, sinas *an non* sinas *nos coquere hic cenam.*

Cum coniunctiuus, quem libri praebent, defendi nequeat, immo cocus flagitet, ut sibi actutum respondeatur, in hoc quoque uersu indicatiuus contra librorum auctoritatem restituendus et scribendum erit uel:

Volo scire, sinis *an non* sinis *nos coquere hic cenam.*

uel, quia magis Plautinum est particulam *ne* (*n*) alteri uerbo affigere (ut Capt. 846: *Iuben an non iubes?* Mil. 449: *Mittin me an non mittis?* Pseud. 254: *Licetne, obsecro, bitere an non licet?* Truc. IIII, 2, 42: *Redin an non redis?* Pers. 533: *Tacen an non taces?* Merc. 150: *Vin tu te mi esse obsequentem an neuis?* Pseud. 616: *Esne tu an non es?* Epid. IIII, 1, 12: *Estne ea an non* ⟨*ea*⟩ *est?* Trin. 1071 *estne ipsus an non est?* (Capt. 74: *Estne inuocatum an non* ⟨*est*⟩?) Merc. 452: *uaenirene eam uelit an non uelit*, Most. 681: *utrum eae uelintne an non uelint*, Pseud. 451: *Sintne illa necne sint*; conf. Capt. 283. 713. Bacch. 400. Epid. III, 1, 3. Cas. I, 1, 7. III, 3, 9. et uerbo

semel tantum posito: Aul. IIII, 4, 33 *abin an non?* Truc. IIII, 3, 51: *Dicin an non?* Rud. 1399: *Tacen an non?* Pseud. 1246: *pedes, statin an non?* Aul. IIII, 4, 16: *Facisne iniuriam mihi an non?* conf. Phorm. 445[1])), cum Studemundo emendandum erit:

Volo scire, sinin *an non* sinis *nos coquere hic cenam,* uel *sinen an non sines.*

Haec quam exposuimus lex satis magno exemplorum numero euerti uidetur, in quibus quamuis ipsa enuntiatorum condicio eadem sit, nihilo minus uerbum interrogationis coniunctiuum praebet. Sed hos coniunctiuos non tam eo effici, quod interrogatio ex altero enuntiato primario pendeat, quam ex ipsius interrogationis natura proficisci inde perspicere licet, quod, etiamsi obliquam quam dicimus interrogationem rectam esse uelimus, coniunctiuus nihilominus poni uel debeat uel possit. Sunt enim illi coniunctiui, quos dicimus, absoluti et apud priscos inprimis scriptores frequentissimi. Atque

a) *coniunctiui iussiui* habemus haec exempla:

Plauti Pseud. 1305 (V, 2, 11) *Sed* dic *tamen,* Vnde *onustam celocem agere te* praedicem.

Ibid. 709 (II, 4, 19) Dic, utrum *Spemne* an *Salutem te* salutem, *Pseudole.*

Bacch. 745 (IIII, 4, 92) Loquere, quid scribam, *modo.*

Asin. 537 (III, 1, 34) *Sed si hic animus occupatust, mater,* quid faciam, mone.

Ter. Phorm. 223 (I, 4, 45) *Aufer mi ,oportet.' ‖ Quin tu ,* quid faciam, impera.

1) Itaque Trin. 983 (IIII, 2, 141) sic potius scribendum esse existimo: *Properas(ne) an non properas ire actutum ab his regionibus*, ubi in libris extat *Properas an non properas abire* etc. Nam ubi interrogatio imperatiui uice fungitur, particula *ne* numquam abest; contra in enuntiatis uere interrogatiuis, inprimis in eis, quae ex altero enuntiato primario pendent, *ne* particula etiam omitti potest, ut Mil. 1336 (fortasse tamen *spiraretne* scribendum est, cum libri *spirarent* pro *spiraret* praue exhibeant). Heaut. 95. Merc. 457. 592. Mil. 1265 Capt. 455. Cato de r. r. CXI.

Andr. 383 (II, 3, 9) Cedo *igitur*, quid faciam, *Daue*.
Pacuuius (Ribb. Trag. p. 81, 30) ..dic, quid faciam: *quod me moneris, effectum dabo*. Conf. pag. 127 not. 3.

b) *coniunctiui condicionalis:*

Plauti Rud. 1322 (V, 2, 35) Quid *dare* uelis, *qui istaec tibi inuestiget indicetque*, Eloquere *propere celeriter*.

Rud. 1329 (V, 2, 42) Eloquere, quantum postules,
ubi eadem condicio atque in u. 1322 subintellegenda est.

Ter. Andr. 667 (IIII, 1, 43) *Eho*, dic mihi, *si omnes hunc coniectum in nuptias Inimici uellent*, quod *nisi* consilium *hoc* darent.

Cato orat. (Iord. pag. 71, 9) Cedo, *si uos in eo loco essetis*, quid *aliud* fecissetis.

Lucilius 29, 14 (Gerl. p. 65) *At non sunt similes, neque dant. quid, si dare uellent?* Acciperesne, doce.

Plauti Persa 590 (IIII. 4, 41) Indica, *minumo daturus* qui sis, *qui duci queat*.

c) *coniunctiui potentialis:*

Plauti Poen. IIII, 2, 74 (886) Cedo, qui *id* credam. || *Quia illas emit in Anactorio paruolas*.

Ter. Hecyr. 103 (I, 2, 28) *Sed* qui *istuc* credam *ita esse*, dic mihi, *Parmeno*.

Phorm. 855 (V, 6, 15) *Ita uelim: sed* qui *istuc* credam *ita esse*, mihi dici uelim.

Plauti Cist. II, 3, 69 *Teneo istuc satis: Sed ego illud* quaero *confragosum*, quomodo
Prior posterior sit, *posterior* sit *prior*.

(Epid. III, 4, 69 (495) *Eho an libera illast?* quis *eam* liberauerit[1]), Volo scire, *si scis*.)

Aul. 555 (III, 6, 27) Volo *ego* ex te scire, qui sit *agnus curio*.

Amph. 609 (II, 1, 62) *Omnium primum iste* qui sit *Sosia*, *hoc* dici uolo.

Rud. 991 (IIII, 3, 52) *Vel* te mihi monstrare oportet, *piscis* qui sit *uidulus*.

1) *liberauerit* Bb, *LIBERAUIT* A et B a (ut uidetur) teste Studemundo. Praeterea conf. infra p. 180, adn. 2.

Accius (Ribb. Trag. p. 136, 1) Qua *re alia ex crimine inimicorum effugere* possis, delica.,

ubi *delica* significat *explana*, *indica* auctore Nonio 98,6.

d) *coniunctiui optatiui* inuenimus nonnulla exempla, quorum uerbum *uelis*, *uelit* etc. formis efficitur:

Plauti Merc. 389 (II, 3, 44) *Paucula etiam sciscitare prius uolo.* ‖ Dic, quid uelis.

Pseud. 278 (I, 3, 44) *Atque* in pauca, *ut occupatus nunc sum,* confer, quid uelis.

Cas. II, 4, 2 (177) *Me uocare.* ‖ *Ego enim uocari iussi.* ‖ Eloquere, quid uelis.

Curc. 457 (III, 86) *Quid hoc quod ad te uenio?* ‖ Dicas, quid uelis.

Ter. Andr. 537 (III, 3, 5) *Ausculto*: loquere, quid uelis.

Heaut. 622 (IIII, 1, 9) *Ehem mi uir.* ‖ *Ehem mea uxor.* ‖ *Te ipsum quaerò.* ‖ Loquere, quid uelis.

Andr. 34 (I, 1, 7) Expecto, quid uelis.

Plauti Cas. II, 6, 1 (249) Face, *Chaline*, certiorem me, quid *meus uir me* uelit.

Cist. I, 1, 58 . . . Eloquere *utrumque* nobis,
Et quid tibist, *et* quid uelis *nostram óperam, ut nos sciámus.*

Capt. 270 (II, 2, 20) *Quid tu? seruus*ne *esse* an *liber* mauelis, memora mihi.

Iam nemo in his formis optatiuam quandam notionem inesse negabit, aut coniunctiuum inde ortum esse contendet, quod interrogatio enuntiato alteri primario subiuncta sit; nam saepius in enuntiatis absolutis *uelis* pro *uis* dicitur, et illis exemplis collatis cum Rud. 1076, Epid. 138, Phorm. 633, Aul. 770, Curc. 517, Trin. 369, Most. 572, Heaut. 846, Pseud. 696, Cist. II, 3, 46, Mil. 1050 nemo non concedet *uis* et *uelis* formas sine ullo discrimine adhibitas esse. Atque ex sola re metrica hoc uariandi studium explicandum esse inde elucet, quod *uelis* forma fere semper aut in fine uersus aut (Cist. I, 1, 58) ante diaeresin a poetis usurpata est, *uis* forma in reliquis uersuum sedibus.

Quod quam ob rem fecerint poetae, nemo ignorat. Sed ex contrario *uis* forma ibi quoque legitur, ubi *uelis* coniunctiuum expectes: ueluti Rud. 946, pag. 184, Adelph. 195, pag. 187, Truc. IV, 4, 9. In his exemplis dubites, utrum *uis* optatiuum ex pleniore *uelis* forma ortum statuas an auctore Kochio (conf. Jahn. annal. 1870 pag. 685 sq.) *ulis* pro *uis* substituas.

Eiusmodi coniunctiui absoluti in his quoque exemplis occurrunt, atque

a) *coniunctiuus iussiuus:*

Plaut. Mil. 1025 (IIII, 2, 34) *Adeo ad te. quid me uoluisti?* || Quo pacto *hoc* occipiam, aperi.
|| *Vetus adfero* ⟨*ego*⟩ *ad te consilium,*
hunc quasi depereat. || *Teneo istuc.*

ex coniectura H. A. Kochii in Iahn. annal. CI p. 65 proposita. Conf. tamen Buggium, qui in Philol. XXX p. 648 hanc lectionem commendat: *Quo pacto obsidium occipiam, Velim, sis, feras ad me consilium*; neuter locum persanasse uidetur.

b) *coniunctiuus potentialis:*

Lucilius V, 6 (Gerl. p. 18) – ⏑ ⏑ Dic, quae *me* cogat *uis ire minutim*
Per commissuras rimarum nocti' nigrore.

Sic uersus dubitanter scripsi maximam partem Dousam secutus; libri Noniani (p. 515, 2) praebent *dic quando* ms. Guelf., *dic quam* ceteri; *cogitat* Guelf. et ms. Paris.; *ius ire* ms. Basil., *tus ire* ms. Paris. Gerlach in adnotatione tale uersus monstrum commendat:

dic, quando cogitet uisire minutim etc.

c) *coniunctiuus condicionalis:*

1) Stich. 118 (I, 2, 61) *Hau male istuc. age tu* ⟨dic⟩, utrast *condicio pensior,*
Virginemne an uiduam habere?

Sic Ritschl. Libri uero coniunctiuum praebent: *age tu altera, utra sit. Altera* quidem re uera glossa esse uidetur ad *tu* adscripta, qua

lector doceretur, senem se iam ad alteram filiam conuertere. Propter hoc ipsum, nisi fallor, Ritschl *dic* pro *altera* posuit, id quod et Spengelium fugisse uidetur, qui in Philol. XXVIII p. 240 uersum sic scribendum esse censuit: *Haú male istuc. áltera age tu, utrást condicio pénsior*, et O. Seyffertum, qui in Philol. XXIX p. 405 scripsit: *Haú male istúc. age tu áltera* ⟨*ai*⟩, *utra sit condicio pénsior*. Imperatiuum *dic* repeti non opus est, cum senex iam u. 115 dixerit: *Dic uicissim nunciam tu*; nam saepius, cum qui interrogat ab altero ad alterum se conuertit, *dic*, *loquere* imperatiui non iterum ponuntur sed subintellegendi sunt. Sed *nunc* particula desiderari potest, quam fortasse *altera* glossemate expulsam esse opinabimur. Ita sane coniunctiuus ex condicione »si uxorem duxerim« aliquo modo explicari possit. Hunc igitur in modum uersum restituere uelim:

Haú male istuc. áge ⟨*nunc*⟩ *tú: utra sit condicio pénsior?*

uel si magis placet:

Haú male istuc. áge ⟨*dic*⟩ *tú, utra sit condicio pénsior.*

nam *tu* pronomen ictum habere opus est. Sed cum in similibus interrogationibus, quae praecesserunt, indicatiuus adhibitus sit, scribere praestabit:

Haú male istuc. áge ⟨*nunc*⟩ *tu* ⟨*dic*⟩; *útra condiciost pénsior.*

Fortasse eundem coniunctiuum habemus:

2) Rud. 124 (I, 2, 30) Dic quod te rogo:
Ecquem *tu hic hominem crispum incanum* uideris,
Malum periurum palpatorem. ‖ *Plurumos.*

ubi eodem modo, atque Pers. 590, in enuntiato quod sequitur relatiuo coniunctiuus occurrit: *qui mulierculas Duas secum adduxit quique adornarit* (*adornaret* libri) *sibi Vt rem diuinam faciat.* Nam coniunctiuum *uideris* inde effici, quod interrogatio ex enuntiato *dic quod te rogo* pendeat, eo minus concedi potest, quod in his ipsis exemplis enuntiatum primarium cum secundario uix cohaeret. Indicatiuus nimis audacter e. g. ita restitui possit:

Ecquém tu hic crispum incánum conspicátus es,
Malum periurum palpatorem? ‖ *Plurumos.*

d) *coniunctiuus optatiuus:*

Pl. Cas. II, 4, 8 (183) *Quod uelis, modo id uelim me scire.* Dubium non est, quin *Quid* cum B scribendum sit (conf. Mueller nachtraege zur pl. pr. p. 104): nam *id* pronomen ad totum enuntiatum interrogatiuum referendum est. conf. supra p. 149 adn. 1 et p. 148.

§. 2.

Quoniam demonstrauimus, sub quibus condicionibus in enuntiatis interrogatiuis quae dicuntur obliquis prisci scriptores indicatiuum posuerint, de eis rationibus exponamus, quibus in eisdem interrogationibus proprie dictis indicatiuus sedem suam iam non obtinere potuerit.

Docuimus autem indicatiuum inde explicandum esse, quod duo enuntiata tam laxe cohaererent, ut utrumque enuntiatum fere per se stare uideretur (conf. supra pag. 122). Vbi igitur conexus enuntiati primarii et secundarii artior esse coepit, coniunctiuum requiri par est. Artior uero conexus

I)

artificiosius efficitur ea structura inprimis apud poetas comicos frequentissima, quae anticipatio uel πρόληψις appellari potest, qua subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii mutatur. Attamen non semper, ubi eadem uox et in enuntiato primario obiecti et in secundario subiecti uice fungitur, anticipationis artificium habemus, immo distinguendum est, utrum accusatiuus ille re uera sit subiectum enuntiati secundarii sed in obiectum primarii artificiose mutatum, an non solum re uera subiectum enuntiati secundarii, sed simul etiam re uera obiectum cum enuntiati primarii uerbo necessario coniungendum. Iam Krueger inter haec duo enuntiatorum genera discernendum esse sensit, cum in gramm. lat. p. 160 § 65 doceret: »*Oft bietet die beziehung des verbi auf den blossen accusativ einen vollständigen begriff dar: z. b.* ego te noui; *allein es ist in eben so vielen und ungleich*

mehr faellen gar nicht moeglich, und diese beziehung des verbi auf den ausgehobenen accusativ entbehrt alles sinnes, wie: dic hominem.« Nam ubi aut enuntiatum primarium et secundarium pro se utrumque stare nequeunt et, nisi cum secundario coniunctum est, primarium sensu caret, aut uerbum enuntiati primarii etiam absolute, id est sine obiecto, ponere licet, ibi per artificium subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii mutatum esse apparet[1]); contra ubi uerbum enuntiati primarii obiectum aliquod necessario requirit, et duo enuntiata per se utrumque idoneum sensum praebent, accusatiuus proprie quidem pro obiecto ex uerbo enuntiati primarii pendente habendus, sed ex eodem accusatiuo simul in enuntiato interrogatiuo (i. e. secundario) subiectum supplendum est. Itaque cum in hoc genere artior enuntiatorum conexus nullus efficiatur, secundum legem supra expositam in enuntiato interrogatiuo indicatiuus occurrit:

Plauti Men. 145 (I, 2, 36)	*Age* me aspice: Ecquid adsimulo *similiter?* ‖ *Qui istic ornatus tuust?*
Men. 166 (I, 2, 55)	*Agedum,* odorare *hanc, quam ego habeo,* pallam: quid olet? *apstines?*
Bacch. 986 (IIII, 9, 62)	Nosce signum: estne *eius?* ‖ *Noui, lubet perlegere has.* ‖ *Perlege.*
Pseud. 262 (I, 3, 28)	Nosce *saltem* hunc: quis est?[2])
Pers. 726 (IIII, 7, 16)	*Inimicum ulcisci.* ‖ Ecce me: numquid moror?
Epid. (664) V, 2, 15	. . ecce me: Num *te* fugi, num *ab*

1) Confer »Zeitschrift fuer voelkerpsychologie u. sprachwissenschaft v. Lazarus u. Steinthal« I p. 155, ubi Steinthal contra Kuehnerum disserens contendit anticipatione non artiorem enuntiatorum conexum effici, immo enuntiatorum conexum relaxari et enuntiato primario plenam sententiam contineri neque enuntiatum secundarium desiderari; uereor tamen ne uiri docti sententia eiusmodi exemplis, quale est: *dic hominem quis sit* refellatur, cuius enuntiato primario *dic hominem* plenam sententiam contineri uix cuiquam probabit.

2) *Nosce* imperatiuum apud Plautum non absolute, sed cum obiecto coniunctum poni solere docent uu.: Curc. 423: *Cape, signum nosce*; Bacch. 789: *Nosce signum*; Pseud. 986: *Nosce imaginem*; Most. 199: *Ex factis nosce rem*; Pers. 548: *Sed, ut occepisti, ex tabellis nosce rem.*

domo absum, num *oculis* concessi ⟨*a*⟩ *tuis?*

Ter. Heaut. 332 (II, 3, 91) *Age, age,* cedo istuc *tuum* consilium: quid *id* est? || *Adsimulabimus.* [1])

In his tamen exemplis omnibus dubites, utrum omnino interrogationes obliquae an rectae statuendae sint.

Contra in illo exemplorum genere, ubi re uera prolepsis artificium eo quo supra exposuimus modo adhibitum est, coniunctiuus ponatur oportet. De ordine autem uerborum in enuntiatis primario et secundario hoc notandum est: accusatiuum illum anticipatum fere semper ante interrogationem positum esse.

Plauti Bacch. 555 (III, 6, 26) Dic *modo* hominem, qui sit.

Rud. 1163 (IIII, 4, 119) Loquere *matris* nomen, *hic* quid *in securicula* siet.

Merc. 136 (I, 2, 25) Loquere id *negoti*, quid siet. || *Placide uolo acquiescere.* [2])

Asin. 27 (I, 1, 12) *Proinde actutum* istuc, quid sit *quod scire expetis*, Eloquere.

Ter. Eun. 562 (III, 5, 14) Narra istuc, *quaeso*, quid sit. || *Immo ego te obsecro hercle, ut audias.*

Plauti Most. 282 (I, 3, 125) *Agedum,* contempla aurum et pallam, *satin sic* [3]) *me* deceat, *Scapha.*

---

1) Quem tamen uersum poeta sic quoque scribere potuit: *Age, age, cedo istuc tuum consilium, quid sit.* || *Adsimulabimus.* Cum uero A[i] prima manus praebeat *QUIDQUIDIDEST*, is qui hanc recensionem confecit, talem uersum in animo habuisse uidetur: *'Age age cedo istuc tuúm consilium quídquid est.* || *'Adsimuldbimus.*

2) *quid siet* Ritschl. libri praebent *quidquid est*, quam lectionem O. Seyffert defendit in Philol. XXV p. 458.

3) *sic* pro *haec*, quod libri praebent, coni. Studemund: conf. Phorm. 211: nam *haec* ad pallam solam spectat, atque saltem esse debebat *haec deceant.* Accedit alterum: Vbi enim haec anticipationis structura occurrit, subiectum illud in obiectum artificiose mutatum in enuntiato secundario pronominis demonstratiui nominatiuo repeti non posse uidetur. Caue tamen, ne hanc structuram confundas cum genere quodam attractionis uelut: Capt. prol. 1: *Hos quos uidetis stare hic — hi stant.* Pseud. 528 (I, 5, 114):

Pers. 635 (IIII, 4, 83) *Lepide lusit.* || *At ego* patriam te rogo, quae sit *aut.*

Trin. 872 (IIII, 2, 30) Lesbonicum *hic adulescentem* quaero, *in his regionibus* Vbi habitet.

Plauti Trin. 88 (I, 2, 51) *Sed* istuc *negoti* cupio scire, quid siet.

Cas. (I, 1, 86) 86 *Amo te atque* istuc expeto scire, quid sit.

Rud. 353 (II, 3, 23) *Sed istuc* periclum perlubet, quod fuerit *uobis*, scire.

Huic legi obstare uidentur:

1) Most. 254 (I, 3, 97) *Suo quidque locost?* uide capillum, *satin compositust commode.*

Ita scripsit Ritschl. Id quod libri praebent: *uiden capillus satis compositust commode,* idoneo sensu caret; nam Philematium Scapham non interrogare debet, num uideat, quam commode capillus compositus sit, sed Philematium incerta, utrum capillus bene compositus sit necne, Scapham rogat ut uideat (et sibi dicat), quomodo capillus compositus sit, utrum recte necne. Quare *uide* cum Nonio (qui pag. 198, 20 hunc uersum sic laudat: *uide capillum satin compositum sit commode*) scribendum est. Nonius autem, qui hoc uersu demonstrare studet *capillum* uocem genere neutro a Plauto adhibitam esse, ipse errore eorum librorum deceptus esse uidetur, ex quibus Plautina sumpsit, quippe in quibus *capillum... compositumst* peccatum fuisse uidetur. Quare Ritschl *capillum* accusatiuum duce fere Nonio inuitis libris Plautinis statuendum esse putauit. Cum uero hoc modo anticipationis structura efficeretur, in enuntiato interrogatiuo uerbi coniunctiuus ponendus fuisset; itaque cum libri Plautini indicatiuum exhibeant, nominatiuum generis masculini cum libris Plautinis contra Nonium propter metrum seruare et *uide, capillus satin compositust* scribere debemus. Recte quidem iam Kretschmer [1]) nominatiuum seruandum esse monuit; attamen cum exempla, quibus nominatiuum defendat, laudet: Pseud. 935, Most. 166.

Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, Ea circumducam lepide lenonem, ubi accusatiuus alio casu pronominis demonstratiui saepius repetitur.

1) Quaest. Plautin. dissert. Vratisl. 1863 p. 6.

172, quippe quae omnia nominatiuum praebeant, Most. 282 autem, qui uersus cum accusatiuum exhibeat, sententiae eius repugnat, omittat, causam, cur accusatiuus ferri nequeat, uirum doctum non perspexisse apparet.

2) Lucilius 30, 40 (Gerl. p. 74) *Sed tamen* hoc dicas quid *id* est, *si noenum molestumst.*

Nonii (pag. 143. 144) codex Leidensis *quid est i noenum* (*i* compuncto); *quicquid st* coniecit Mercerius, *quid id est* L. Schneider. Primum *id* pronomen, quod Schneider inseruit, secundum ea, quae pag. 168 not. 2 exposuimus, ferri nequit. Deinde coniunctiuus uerbi requiritur, quod *hoc* per anticipationem ex subiecto enuntiati secundarii in obiectum primarii mutatum est. Itaque hunc hexametrum sic restituendum esse censeo:

Sed tamen hoc dicas, quid sit, *si noenu molestumst.*

3) Pseud. 1184 (IIII, 7, 88) *Quid maneam?* || Chlamydem *hanc* commemora quanti *conductast.* || *Quid est?*

commemora A; *commemores* BCD; *conductast* libri omnes. Indicatiuus nullo modo ferri potest, quia enuntiatum primarium absolutum *Chlamydem hanc commemora* sensu caret. Fortasse *quanti* pro Plautino *qui* in contextum irrepsit; sane *qui* ad pretium significandum alibi quoque apud Plautum occurrit Pers. 661: *Qui datur, tanti indica*, ibid. 590: *Indica, minumo daturus qui sis* (id est *quanti minumo* uel *quo minumo pretio*, conf. Epid. II, 2, 110 *Quanti emi minumo potest?*); cf. etiam Men. 549. 1159. Itaque uersus sic fortasse scribendus est:

Quid maneam? || Chlamydem *hanc* commemora, qui *conducta* sit. || *Quid est?*

Fortasse hac ipsa structura docemur, quomodo duo uersus, de quibus dubitatur, emendandi sint:

1) Ter. Phorm. 1048 (V, 9, 50) *Et praeter spem.* || *Tu tibi* nomen dic, quid est? || *Mihin? Phormio.*

Tu tibi nomen Bentley ex Regio. *TUTUUMNOMEN* A cum reliquis et Donatus in lemmate; *QUIDEST* A; *quod est* BCDP. Fleckeisen uersum sic scripsit:

Et praeter spem. || *Tu tuom* dic nomen quod sit? || *Phormio.* (omisso *Mihin?*). Cum in formula *mihi est nomen* et Terentius in duobus, quae apud eum extant, exemplis[1]) nomen proprium (uel appellatiuum) datiuo casu apponat et Plautus datiuum adhibere soleat[2]) neque in responso datiuum aspernetur[3]), in eo

---

1) Andr. 85: *nam Andriae illi erat nomen*; Hecyr. prol. 1: *Hecyrae huice nomen fabulaest.*

2) Amph. 332: *mihi certo nomen Sosiaest*; Cist. I, 3, 6: *nam mihist Auxilio nomen*; Men. 1068: *Mihist Menaechmo nomen*; Bacch. 704: *Quid mihi refert Chrysalo esse nomen?*; Men. 297: *Est tibi Menaechmo nomen*; ibid. 1107: *Est tibi nomen Menaechmo?*; ibid. 1096: *Huic item Menaechmo nomen est*; Capt. 726: *Sescentoplago nomen indetur tibi*; Men. 263: *Propterea huic urbi nomen Epidamno inditumst*; Capt. 69: *Iuuentus nomen indidit Scorto mihi*; Stich. 174: *Gelasimo nomen mihi indidit paruo pater*; Rud. 934: *ei ego urbi Gripo indam nomen*; Capt. 820: *Qui petroni nomen indunt uerueci sectario*; Men. 1126: *Quomodo igitur post Menaechmo nomen est factum tibi?*; ibid. 77: *Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi*; Bacch. 945: *Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio*; Trin. 842: *Huic ego die nomen Trinummo facio.* Datiuus pronominis *ei* omissus est Curc. 76: *Anus hic solet cubitare custos ianitrix: Nomen Leaenaest*; Trin. 390: *haec sunt aedes. hic habet. Lesbonicost nomen*; Ennius Trag. 23, 65 *Andromachae nomen qui indidit, recte indidit. Ei nomen* omissa sunt Capt. 984: *Paegnium uocitatust; post uos indidistis Tyndaro.* Deinde in prologis: Rud. prol. 5: *Nomen Arcturost mihi*; Poen. prol. 92: *Quid id sit hominis, quoi Lyco nomen siet*; Asin. prol. 10: *huic est nomen Graece Onago fabulae*; Trin. prol. 18: *Huic graece nomen est Thensauro fabulae*; ibid. prol. 8: *Primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit*; Men. prol. 45. *Menaechmo idem quod alteri nomen facit*; Trin. prol. 19: *Plautus uortit barbare, Nomen Trinummo fecit* (scil. *fabulae*). — Dubitari potest de his uersibus: Aul. II, 1, 42: *quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus? quin sit paratum his nomen pueris postumae* praebet cod. Festi p. 238 M., *Postumi* Vrsinus, quod potius *Postumei* fuisse Wagner censet; fortasse *Postumo* corrigendum est. Amph. prol. 19: *nomen Mercuriost mihi*; quamquam B *mercurii est*, D *mercuri. est* praebent, tamen cum editoribus recentioribus datiuum casum retinebimus. — Non apparet datiuus in his uersibus prologorum: Mil. 86: *'Αλαζών graece huic nomen est comoediae*; Rud. prol. 32: *Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas uoluit*; Truc. prol. 12. *Hic habitat mulier, nomen quoist Phronesium*; sed *nomine cui ẽ* B, *nomine cui est* CD, *nomen cui est* Z. *Hic habet mulier, nomine quaest Phronesium* Goeller (male); dubito num *Cyrenis* et *Phronesio* corrigendum sit.

3) Men. 1131: *Quid erat nomen nostrae matri?* || *Teuximarchae*; Merc.

quoque, de quo agitur, uersu si scriberemus *Tu tibi nomen*, datiuus *Phormioni* restituendus esset. Sed satis magnam difficultatem praebet uox *mihin?*, et quamquam Bentley acute ad nostrum uersum adnotauit »Si *tuum nomen* (scripsisset poeta), tum intulisset *meumne* non *mihin?*«, tamen eadem confidentia aliquis contendere possit: si *mihin* scripsisset poeta, certe *Phormioni* datiuum apposuisset. Hanc difficultatem ita fortasse amouere licet, ut ad

---

516: *Quid ais tu? quid* (ita Studemund ex A pro *quod*) *nomen tibi dicam esse?* || *Pasicompsae*; Pseud. 744: *Sed quid nomen esse dicam ego isti seruo?* || *Simiae*, Pers. 623: *Quid nomen tibist?* || *Nunc metuo ne peccet.* || *Lucridei nomen in patria fuit*; Mil. 436: *Quis igitur uocare?* || *Διχαίᾳ nomen est.* — Attamen non sibi constans fuisse uidetur poeta, ubi ipse nomina iocose composuit:

Pseud. 989: — *heus, Polymachaeroplagides Nomen est*; ita BCD. sed A praebet secundum Studemundum aut *POLYMACKAEROPLACIDI*, aut *POLYMACKAEROPLACIDE*, unde *Polymachaeroplagidei* datiuum restituit Studemund in scholis. De ellipsi datiui pronominis *ei* conf. Curc. 77, Trin. prol. 19, Capt. 984, Trin. 390, Enn. Trag. 23, 65.

Capt. 285: *Quid erat ei nomen?* || *Thensaurochrysonicochrysides*; fortasse hic quoque uersus in *-idei* exiit.

Cist. IIII, 2, 106: *Sed quid* (ita recte B teste Studemundo, non
quod) *nomen est tuae Dominae?* || *Melaenis.* || *I prae:*
iam ego te sequar;

Melaenis. || *I i prae* B, fortasse praue exaratum pro: *Melaénidi.* || *I prae etc.*

Pseud. 653: *Sed quid est tibi nomen?* || *Harpax.* || *Apage te, Harpax,*
hau places.
Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax
feceris.

ut uerbo luderet, poeta *Harpax* uocabulum non declinasse uidetur; idem fit

Trin. 889: *Quid est istuc nomen, adulescens?* || *Pax id est nomen mihi,*
Hoc cotidianumst || *Edepol nomen nugatorium:*
Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax periisse ilico.

Pseud. 977: *Quid eist homini nomen?* || *Leno Ballio.* || *Sciuin ego?*, hic uersus notandus est, quod nomini proprio nomen appellatiuum *leno* additum est; atque *Ballio* uocabulum poeta ob eandem causam non declinasse uidetur, quod, ut uerbis quae secuntur *Tun es Ballio?* || *Ego enimuero is sum.* || *Vt uestitu's, perforator parietum* elucet, uocabulis *Ballio* (ballista) et *perforator parietum* (aries) ludit; nisi fortasse scribendum est *Leno Balliost*, ut Pseud. 637 ad interrogationem: *Sed quid est tibi nomen?* respondetur: *Surus sum.*

similitudinem eorum, qui huc referendi sunt, uersuum Plautinorum Terentianum uersum corrigamus. In nonnullis enim uersibus, in quibus interrogatio ita ex altero enuntiato pendet, ut subiectum enuntiati interrogatiui *nomen* προληπτικῶς in obiectum enuntiati primarii mutetur, Plautus nomen appellatiuum non datiuo sed genetiuo casu, deinde nomen proprium nominatiuo addere solet: Rud. 1163: *Loquere matris nomen, hic quid in securicula siet.* || *Daedalis*; Most. 661: *Dicam., sed nomen domini quaero, quid siet.* Semel ubi interrogatio ex imperatiuo *dic* pendet, adiectiuo utitur, quod genetiui munere fungitur: Rud. 1160: *Dic, in ensiculo quid nomen est paternum.* || *Daemones.* Haec si tenemus, iure dubitabimus, num nostro loco, ubi *nomen* uox, ut ex uocabulorum collocatione elucet, ex *dic* imperatiuo pendet, poeta *tibi nomen* pro *tuum nomen* scripserit. Itaque fortasse aut in Fleckeiseni scriptura ita acquiescendum est, ut *quid* pronomen, quod A praebet, seruetur:

Ét praeter spem. || *Tú tuum* dic nómen, quid sit. || *Phórmio.*

aut si quis ad eam uerborum collocationem, quae in libris extat, propius accedere uolet, scribat:

Ét praeter spem. || *Tú tuum* nomen dic ⟨mihi⟩, quid sit. || *Phórmio.*

2) Heaut. 662 (IIII, 1, 19) Nomen *mulieri* cedo quid sit, *ut quaeratur.* || *Philterae.*

sic uersum Bentley scripsit. *MULIERIS* praebet A cum reliquis; *QUID* ABF$_1$P, *qđ* D, *quod* CEF$_2$G; *PKILTERAE* A, *phillere* DEG, *filterae* BCFP. Fleckeisen scripsit:

Nomen *mulieris* cedo quod sit, *ut quaeratur.* || *Philtera.*

Primum *sit* coniunctiuo, quem libri omnes praebent, confirmatur *nomen* accusatiuum esse et ex *cedo* imperatiuo προληπτικῶς pendere; nam aliter indicatiuo soli locus esset. Eadem igitur ratione, qua ut Phorm. 1048 *tuum nomen* scriberemus cogebamur, ne *mulieris* genetiuum in *mulieri* datiuum mutemus prohibemur. Deinde non dubito, quin *Philtera* nominatiuum cum Fleckeiseno corrigere opus sit, quod et Plautus in iis quos laudauimus uersibus (Rud. 1163. 1160) nominatiuum nominis proprii usurpauit neque numeri Terentiani huic leuissimae mutationi

obstant. Itaque Fleckeisenum secuti, sed *quid* pronomine, quod ABF_1P praebent, ut par est, restituto, uersum ita corrigimus:

Nomen *mulieris* cedo, quid sit, *ut quaeratur*. ‖ *Philtera*.

Denique anticipationis artificium in his exemplis partim cum codicibus restituendum partim contra codices inferendum erit:

1) Trin. 877 (IIII, 2, 36) Fac me, *si scis*, certiorem, *hisce homines* ubi habitent, *pater*.

certiore hosce BC, *certior eosce* D; *hisce* cum Camerario Ritschl. Codicum scriptura uestigium eius structurae, quam anticipationem appellauimus, praebere uidetur. Neque hoc Ritschelium fugit, cum diceret in altera editione: »*hosce* si quis seruandum putauerit, non poterit non de transpositione cogitare: *Fac me certiorem, hosce homines si scis ubi habitent, pater.*« Quid Ritschelium commouerit, ut de hac transpositione cogitaret, ex illa quam posuit interpunctione intellegitur: efficere igitur studuit, ut *hosce homines* accusatiui ex *scis* uerbo penderent. Sed etiam sic (conf. infra p. 180 not. 2) *hosce homines* uerba simul et ad *Fac me certiorem* et ad *si scis* cogitando referenda sunt. Equidem non dubito, quin *hosce homines* cum *Fac me certiorem* coniungi possit. Frequentissimae quidem structurae hae sunt: *certiorem facere aliquem alicuius rei* et *de aliqua re*. Attamen primum non dubito, quin eodem iure quo cum *consulere aliquem* Men. IIII, 3, 26 (*Ibo et consulam hanc rem amicos*) et Petron. 88 (*consulere prudentiorem coepi aetates tabularum*), etiam cum *facere aliquem certiorem* alter accusatiuus coniungi possit; conf. etiam Amph. 347 (I, 1, 191) *num quid nunc es certior* (id est *certior factus*) et Sext. Turpilius (Ribb. Com. p. 80, 65) *at enim scibis, quae fuisti inscius*. Deinde accusatiuus ille, qui anticipationis artificio efficitur, liberior casus est et nominatiui ex suo loco expulsi atque tamquam extra structuram positi uice fungitur non multo secus atque in ea structura, quam ‚accusatiuum cum infinitiuo' appellamus. Itaque id, quod libri praebent, fortasse retinendum et uersus sic scribendus est:

Fac me, si scis, certiorem hosce homines, ubi habitent, pater.

2) Merc. 892 (V, 2, 51) '*Obsecro te,* ⟨e⟩lóquere – ⏑ úbi sit, ubi *eam* uíderis.

septenarium mutilum Ritschl uerbis *propere ea* insertis ita sanare studuit:

Obsecro te, ⟨e⟩loquere ⟨*propere*, *ea*⟩ ubi sit, ubi *eam* uideris.,

sed aut indicatiuum uerbi ponere, aut *propere eam* scribere debuit. Sane cum libri coniunctiuum praebeant, lacuna ita potius explenda esse uidetur, ut statuamus longius aliquod subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii artificiose mutatum excidisse, et cum u. 888 amicae mentio facta sit, uersus e. g. sic fortasse scribendus est:

'*Obsecro te*, ⟨e⟩lóquere ⟨amicam⟩, úbi sit, ubi *eam* uíderis.

3) Naeuius (Ribb. Trag. p. 14, 63) *Odi summussos*: *proinde aperte* dice, quid sit, ⟨*quod*⟩ *times*.

Cum coniunctiuus, ut uidetur, aliter defendi nequeat, Studemund e. g. proposuit:

Odi summussos: *proinde aperte* dice ⟨id⟩, quid sit, ⟨*quod*⟩ *times*,

quae coniectura hac quoque re commendatur, quod, ut supra p. 129 sq. exposuimus, prisci poetae latini *dice* formam insequente consonante in eiusmodi enuntiatis interrogatiuis uitasse uidentur.

4) Pomponius Bononiensis (Ribb. Com. p. 204, 109):

Ergo mi Dossenne, *cum istaec memore meministi*, indica,
Qui *illud aurum* abstulerit. ‖ *Non didici hariolari gratiis*.

Libri praebent: *Ergo ni dossedne*. Coniunctiuus *abstulerit* uersum corruptum esse indicat. Fortasse *dossedne* praue exaratum est pro *Dossennum*, et *qui* uocabulum significat *quomodo*, unde talis efficiatur uersus:

Ergo mihi Dossennum, *cum istaec memore meministi*, indica,
Qui *illud aurum* abstulerit. ‖ *Non didici hariolari gratiis*.

II)

Contra in aliis enuntiatis interrogatiuis enuntiatum primarium et secundarium non artificioso illo anticipationis uinculo

inter se cohaerent, sed artior enuntiatorum conexus profectus est ex ipsa enuntiati primarii condicione. Diximus enim in eis, de quibus § 1 exposuimus, exemplis propterea suum locum obtinuisse structuram adiunctiuam, quod enuntiatum primarium minoris momenti esset et ipsa interrogatione fere omnis sententiae uis comprehenderetur, eoque factum esse, ut interrogatio enuntiato primario non subiungeretur. Quod si uerum est, alteram structuram subiunctiuam in illius locum succedere consentaneum est, ubi enuntiatum primarium non solo adhortandi munere fungatur, sed maiorem sententiae grauitatem accipiat. Maioris autem momenti sunt ea enuntiata primaria, quorum condicio talis est, qua aliquo modo ipsa sententia, quae inest in uerbis enuntiati secundarii, afficiatur. Enuntiatum igitur primarium, quod in illis exemplis, cum nihil aliud quam quod ipsa interrogatione exprimitur significaret, facile omitti et subintellegi potuit, in his ideo omitti nequit, quia eius qui loquitur propria quaedam et singularis sententia enuntiato primario exprimitur. Huius condicionis sunt

1)

ea enuntiata primaria, in quibus aliqua dubitationis notio inest, num alter interrogatus interroganti respondere uelit, quae dubitatio eis dictionibus exprimitur, quae et ipsae interrogationis formam indutae insignes sunt

a) particula *quin:*

Plauti Pers. 144 (I, 3, 64) Quin dicis, quid *facturus* sis?
Mil. 1184 (IIII, 4, 48) Quin *tu* dicis, quid *facturus* sim?[1]
Men. 638 (IIII, 2, 75) Quin dicis, quid sit?
Merc. 174 (I, 2, 62) Quin *tu* expedis, Quid siet, *quod me per urbem currens quaerebas modo?*[2]

1) Ambrosianus, quem Ritschl, ut uidetur, iniuria secutus est, *sum* indicatiuum praebet, sed codicum BCD scripturam, qui coniunctiuum exhibent, praeferendam esse apparet etiam propter ea, quae supra pag. 160 exposita sunt.

2) Ceterum moneo in similibus locutionibus apud Terentium *quin* particulam constanter cum imperatiuo (conf. Andr. 45. 449 pag. 131), contra apud Plautum raro cum imperatiuo, multo saepius cum secunda persona indicatiui praesentis coniunctam esse.

b) particula *ne*:

Plauti Pers. 281 (II, 4, 10) Dicisne mi, ubi sit *Toxilus?*

Pseud. 16 (I, 1, 14) Licetne id scire, quid sit?[1])

Ter. Hecyr. 873 (V, 4, 33) *Erē*, licetne scire ex te *hodie*, quid sit, *quod feci boni?*

Similes sunt etiam hi uersus:

Plauti Pers. 221 (II, 2, 39) *Quid ais?* certumnest celare, quo *iter* facias, *pessuma?*

Pers. 222 (II, 2, 40) Offirmastin' occultare, quo *te* inmittas, *pessume?*,

quippe in quorum enuntiatis primariis dubitationis notio insit.

c) particula *etiam*:

Plauti Pers. 278 (II, 4, 7) Etiam dicis, ubi sit, *uenefice?*[2])

nam sensus interrogationis hic est: *Etiam dicis, an non dicis?* Quamquam libri coniunctiuum praebent, tamen Bothe propter numeros scripsit: *Etiam dicis ubist, uenefice?* ‖ *Hauscio, inquam, ulmitriba tu*, eumque secutus est Ritschl. Nec tamen coniunctiuum mutare licet; nam indicatiuus ita tantum ferri posset, si Plautus scripsisset *Etiam dic, ubi est*. Nemo autem negabit, ueri simile esse Plautum, qui cum *quin* particula secundam personam indicatiui praesentis coniungere solitus sit, eandem formam non imperatiuum cum *etiam* particula coniunxisse; quod si conceditur, omni modo coniunctiuus retinendus est, cum sensus idem sit, atque si scriptum esset *quin dicis?* uel *dicisne?*

Qua re considerata diiudicare possumus, utrum in Andr. u. 849 (V, 2, 8) restituendo libros Terentianos an Donatum sequi nos opus sit:

Andr. 849 (V, 2, 8) D. *Vbi uoles, accerse*. Si. *Bene sane: id enim uero hinc nunc abest,*

---

1) *Licet me scire* praebet A teste Studemundo, *Licet me id scire* reliqui. Ceterum *id* simul *προληπτικῶς* positum esse apparet.

2) De numeris totius loci, quales is quidem, qui Ambrosianam recensionem confecit, constituisse uideatur, uide Studemund de canticis Plautinis pag. 72, qui in A hanc uersuum discriptionem latere demonstrauit:

277 S. '*Vbi Toxilus est túus erus?* | P. *Vbi ílli lubét, nec* | *Te cónsulit*. S. *Étiam* |
Dicis, ubi sit, uenéfice? | P. *Néscio, inquam, ulmítriba tu.* |

Etiam *tu hoc* respondes, quid *istic tibi negotist*? D. *Mihin*? S. *Ita*.

sic uersus legitur apud Fleckeisenum et Vmpfenbachium. *responde* scripserunt Bentley et Klotz; itemque *responde* praebent CEGP Seruius, *responde** B (cum rasura), *hoc iam responde mihi* D; contra Donatus: »Etiam tu hoc respondes] deest *an non*«[1]; et deinde »Etiam tu hoc respondes] *Etiam* aut hortatio est, aut coniunctio.« Idem in Adelph. IIII, 2, 11 »Etiam taces] antique pro *tace*; Sic in Andria *etiam tu hoc respondes*? pro *responde*. Est ergo correptionis significatio.« Sane *etiam* particula cum secunda persona praesentis indicatiui tum coniungi solet, ubi aliquid statim fieri ita uehementer iubetur, ut cum indignatione quaeratur, num res nondum facta sit: Heaut. 235 (II, 2, 6): *Etiam caues, ne uideat forte —?* Phorm. 542 (III, 3, 9): *Etiam tu hinc abis?* Adelph. 550 (IIII, 2, 11): *Etiam taces?* Pers. 152 (I, 3, 72) *Etiam tu taces?* conf. Trin. 514 (II, 4, 13), 790 (III, 3, 60); Pers. 275 (II, 4, 4): *Scelerate, etiam respicis?* Most. 383 (II, 1, 35): *Etiam uigilas?* Pers. 413 (III, 3, 9): *Etiam tu argentum tenes?* 542 (IIII, 3, 72): *etiam tu illam destinas?* Most. 513 (II, 2, 82): *Etiam tu fugis?* Most. 937 (IIII, 2, 28): *etiamne aperis?* cf. 938; Poen. I, 3, 22 (423): *Etiamne abis?* Rud. 467 (II, 5, 10) *Etiamne hanc urnam acceptura's?* conf. 469 (II, 5, 12). Sed praeterquam, quod Terentius ut cum *quin* particula (conf. supra pag. 175 not. 2) imperatiuum coniungere solet, ita eandem rationem in *etiam* particula suo iure secutus esse uidebitur, nostri uersus naturam aliam esse luce clarius est: nam »correptioni« locus omnino non est, immo *hoc* pronomen pronomini *id* eodem modo opponitur, atque e. g. Most. 624: *Non ego nunc istuc curo, qui sit, unde sit: Id uolo mihi actutum dici* etc. uel Bacch. 1157: *Istuc iam pridem scio, sed qui nihili's, id memora*. etc. cf. supra p. 148. Atque hic sensus etiam scripturae D[1] *hoc iam responde mihi* subest. Accedit denique, quod *respondes* lectio in interrogatione obliqua coniunctiuum *negoti sit* flagitaret, qui tamen

1) Conf. Alex. Richter Donati commentarii etc. p. 48 sq. dissert. Bonn. 1854.

propter numeros ne ferri quidem posset. Itaque cum libri omnes indicatiuum *negotist* praebeant, imperatiuus *etiam responde* seruandus est:

Etiam *tu* hoc responde, quid *istic tibi negotist.* ‖ *Mihin?* ‖ *Ita.*

Extat denique uersus Plautinus, qui una uel altera earum, quas sub b), c) laudauimus, structurarum contra librorum auctoritatem restituta fortasse sanabitur:

Truc. 809 (IIII, 3, 47) Loquere, *filiam meam* quis *integram* stuprauerit.,

cuius uersus numeris quidem Spengel feliciter succurrisse uidetur scribendo:

Loquere ⟨*tu*⟩, *meam filiam quis integram stuprauerit,*

grammaticam uero rationem spectantibus altera existit difficultas, quod haec lectio indicatiuum uerbi in enuntiato interrogatiuo postulat. Atque aliquot emendandi uiae patent: nam scribere licet uel

⟨Etiam⟩ loquere, *filiam meam* qui *integram* stuprauerit?

uel, si magis placet,

⟨Quin *tu* e⟩loquere, *filiam meam* qui *integram* stuprauerit?

uel: ⟨Quin⟩ loqueris, *meam filiam* quis *integram* stuprauerit?

d) Denique huc pertinent interrogationes, quarum enuntiatum primarium *possum scire* locutione efficitur, quippe quae et ipsa dubitationem pronuntiet significans *possum scire an non possum?*

Pl. Amph. 346 (I, 1, 90) Possum scire, quo *profectus* (scil. *sis*), quoius sis, aut quid ueneris?

Cas. 545 (III, 5, 25) Possum scire *ego istuc ex te,* quid negotist.

sic Fleckeisen. Bergk in annal. philolog. a. 1872 pag. 124 maluit: *Possum scire ego ex te, quid istuc negotist?* Sed indicatiuus secundum ea, quae supra exposuimus, nullo modo ferri potest. Accedit, quod *istuc* προληπτικῶς ex subiecto enuntiati secundarii in obiectum primarii mutatum est. Nam Geppertum apte de duabus interrogationibus directis cogitasse *Possum scire ego istuc ex te? quid negotist?* haud ueri simile est, cum *istuc quid negotist* uerba una

sententia comprehendi soleant[1]). Codices Palatini ante *possum*

[1]) Cist. IIII, 2, 79 *Quid istuc negotist?* Merc. 825 (IIII, 2, 10) *Quid istuc negotist?* Phorm. 846 (V, 3, 33) *quid istuc negotist?* Mil. 1346 (IIII, 8, 37) *Quid istuc est negoti?* Rud. 627 (III, 2, 13) *Quid istuc est negoti?* Asin. 308 (II, 2, 42) *Quid istuc est negosti?* [ubi Fleckeisen male: *Quid istuc (tibi) negotist?*] Merc. 967 (V, 4, 6) *quid negotist nam, quaeso, istuc?* Amph. 580 (II, 1, 32) *uah! apage te a me.* ‖ *Quid (istuc) est negoti?* Amph. 502 (I, 3, 4) *Quid istuc est, mi uir, negoti, quod tu tam subito domo Abeas?* Trin. 88 (I, 2, 51) *Sed istuc negoti cupio scire, quid siet.* Rud. 638 (III, 2, 24) *Vt mi istuc dicas, negoti quid sit, quor tumultues.* Amph. 825 (II, 2, 192) *Nescio, quid istuc negoti dicam.* Epid. 698 (V, 2, 50) *Quid illuc, Epidice, est negoti?* Men. 644 (IIII, 2, 42) *Quid illuc est, uxor, negoti?* Rud. 559 (II, 7, 1) *Quid illuc opsecro negotist, quod duae mulierculae .... signum .... tenent?* Merc. 128 (I, 2, 19) *Quid illud sit negoti, lubet scire ex hoc.* Adelph. 707 (IIII, 5, 78) *Quid hoc est negoti?* Bacch. 1121 (V, 2, 3) *quid hoc est negoti nam, amabo?* Capt. 659 (III, 5, 2) *Inicite manicas (actutum) huic mastigiae?* ‖ *Quid hoc est negoti?* Asin. 407 (II, 4, 1) *Quid hoc est negoti, neminem meum dictum magni facere?* Men. 997 (V, 7, 8) *Quid hoc est negoti? quid illic homines ad me currunt?* Cist. V, 1: *Quid hoc negotist, quod omnes homines fabulantur per uias Mihi esse filiam inuentam?* Hec. 97 (I, 2, 22) *Sed quid hoc negotist, modo quod narrauit mihi Hic intus Bacchis?* Bacch. 415 (III, 3, 11) *Quid hoc negotist, Pistoclerum Lydus quod erum tam ciet?* Men. 522 (III, 2, 56) *Quid hoc negotist? satin', ut quemque conspicor, Ita me ludificant?* Men. 762 (V, 2, 10) *Quidnam hoc sit negoti, quod filia sic Repente expetit me.* Poen. 1238 (V, 4, 80) *misera timeo, Quid hoc sit negoti.* Cas. 531 (III, 5, 15) *Timeo hoc negoti, quid siet.* Men. 384 (II, 3, 33) *Nimis miror, quid hoc sit negoti.* Capt. 697 (III, 5, 40) *nunc scio, Quid sit hoc negoti.* Merc. 136 (I, 2, 25) *Loquere id negoti, quid siet.* Cas. 710 (IIII, 4, 26) *uaha.* ‖ *Quid id negotist? QUIDID* A, *id* omittunt Palatini. — Atque, ut ex his exemplis apparet, *istuc, hoc* pronomina tum ad *quid negoti* uerba apponi solent, ubi non tam interrogatur, num quid acciderit, quam, quid sit id, quod accidere uei audio uel uideo. Quod si non fit, pronomina illa non adduntur: Curc. 601 (V, 2, 3) *quid negotist?* Cist. II, 3, 54, Men. 432 (II, 3, 78), 1065 (V, 9, 4), Rud. 1058 (IIII, 4, 11), Vid. I, 3, Men. 645 (IIII, 2, 45), 1063 (V, 9, 4), Mil. 173 (II, 2, 17), Pseud. 130 (I, 1, 27), Rud. 644 (III, 2, 27), 951 (IIII, 3, 13), Capt. 669 (III, 5, 11), Mil. 277 (II, 3, 6), Aul. 294 (II, 4, 17), Mil. 317 (II, 3, 46), Epid. 696 (V, 2, 48), Most. 459 (II, 2, 27), 742 (III, 3, 53), Merc. 134 (I, 2, 24), Poen. 1077 (V, 2, 129), Rud. 1228 (IIII, 7, 2), Trin. 908 (IIII, 2, 63), Epid. 98 (I, 1, 91), Merc. 120 (I, 2, 11), Poen. 581 (III, 2, 13), Truc. 773 (IIII, 3, 11), Merc. 789 (IIII, 4, 19). — Andr. 849 (V, 2, 8) *quid .. tibi negotist?* Mil. 441 (II, 5, 31), Amph. 850 (I, 1, 194), Aul. 424 (III, 2, 13), Epid. 488 (III, 4, 63), Mil. 421 (II, 5, 11), Truc. 280 (II, 2, 26), Adelph. 642 (IIII, 5, 8), 638 (IIII,

addunt uerba *Quid est?*, quae ab Ambrosiano absunt; deleuit haec uerba iam Loman. Fuhrmann, cui et ipsi indicatiuus suspectus erat, talem bacchiacum tetrametrum acatalectum constituit:[1]) *Quid est? póssum ego istuc scire ex te quid sit negóti?* Magis placeret talis uersus: *Possúm scire ego éx te, quid hóc* (uel *istuc quid*) *sit negóti?*; sed cum *dicam* uerbum, a quo editores nouum uersum incohabant, in A in huius uersus exitu extare (A praebet *POSSUMSCIREEGOISTUCEX[TE]QU[IDN]EGOEST* ‖ *DICAM*) et uersum sequentem ita cum A scribendum esse

Tua áncilla, quám tu tuó uilicó uis

Studemund me docuerit, *negoti* uocabulo ut glossemate expulso confidentius hanc lectionem commendarem: *Possum scire ego istuc ex te, quid sit?* ‖ *Dicam.*, nisi impurorum bacchiorum frequentia aliquid dubitationis moueret[2]).

5, 4), Trin. 1001 (IIII, 2, 159), Mil. 425 (II, 5, 13), Cas. 9 (I, 1, 9), Cas. 564 (III, 5, 38), Men. 369 (II, 3, 19), Poen. 1295 (V, 5, 27).

1) De particularum comparatiuarum usu Plautino. Gryphiswald. 1869 p. 46 sentent. controu. III.

2) In his exemplis omnibus coniunctiuus in enuntiato secundario propterea requiritur, quod is, qui interrogat, dubitat, num alter interrogatus respondere uelit. Eandem igitur rationem ualere consentaneum est, ubi dubitatur, num is, qui interrogatur, respondere possit, id quod uerbis *si scis* ad eas dictiones, cum quibus indicatiuus coniungi solet, appositis indicatur: nam is, qui interrogat, his uerbis profitetur se alterum ea dumtaxat condicione, si sibi respondere posset, interrogauisse. Attamen de hac re certum iudicium ideo ferri nequit, quia in eis exemplis, quae huc pertinent, coniunctiuus aliunde quoque profectus esse potest: nam

Pl. Epid. III, 4, 69 (495) *Eho, an libera illast? quis eam liberauerit, Volo scire, si scis.*

etiamsi ab ancipiti librorum scriptura recesseris, *liberauerit* coniunctiuum potentialem esse (nos: *wer sollte sie befreit haben?*) uix negari potest, (conf. p. 161) et

Trin. 877 (IIII, 2, 35) *Fac me, si scis, certiorem hosce homines, ubi habitent, pater,*

coniunctiuum anticipationis artificio posse effectum esse pag. 173 docuimus. Attamen tenendum est in his exemplis interrogationes simul et ad enuntiatum primarium et ad enuntiatum condicionale referri posse. Nam sententia integra haec esset: *Si scis, quis eam liberauerit, uolo scire, quis eam liberauerit.* Itaque huc non pertinent ea exempla, quibus enuntiatum condicionale proprio aliquo obiecto addito παρενθέτως inseritur ut Curc. 641:

2)

Similis condicio est eorum exemplorum, in quibus enuntiatum interrogatiuum (id est secundarium) ex enuntiato primario suspensum est, quod et ipsum cum tertio quodam enuntiato cohaeret: nam in eiusmodi exemplis et enuntiatum primarium tam necessarium est, ut omitti nequeat, quia cum altero (tertio illo) enuntiato coniunctum est, et aliqua dubitationis notio inest, quod is, qui interrogat, illam actionem, quae enuntiato primario continetur quaque alter aliquid respondere iubetur, ex altera actione, quae tertio illo enuntiato exprimitur, ita pendentem facit, ut hac actione condicio comprehendatur, qua illa respondendi actio aut fiat aut non fiat. Itaque in enuntiatis interrogatiuis ex eiusmodi enuntiatis primariis pendentibus uerbi coniunctiuus requiritur.

a) Atque primum quidem id enuntiatum, ex quo enuntiatum interrogatiuum pendet, alteri enuntiato a d i u n g i t u r

α) ita, ut alterius enuntiati sententia altero tollatur, id quod fit, ubi duo enuntiata *aut* uel *uel* particulis coniunguntur:

Ter. Hecyr. 698 (IIII, 4, 76) Redduc *uxorem*, aut quam *ob rem non opus* sit, cedo.

Phorm. 305 (II, 1, 75) *hominem* commonstrarier *Mi istum* uolo, aut ubi habitet, demonstrarier[1]).

Lucilius 28, 25 (Gerl. p. 61) Persuade et transi, uel da (id est *dic*), quam *ob rem* transeas.

In his exemplis arbitrio eius, qui interrogatur, permittitur, utrum id, quod priore imperatiuo continetur, facere, an ad interrogationem respondere uelit.

---

cedo, Si uera memoras, quae fuit mater tua. Capt. 983: *Quid erat ei nomen, si uera dicis, memoradum mihi.* Cuius quidem uersus sententia non est: *ea condicione, ut uera dicas* etc., sed: *cum te uera dicere affirmes, memoradum mihi: quid erat ei nomen?*

1) Attamen *habitet* coniunctiuus simul anticipationis artificio effectus esse uidetur, quod integra sententia haec est: *aut* (*hominem*), *ubi habitet, demonstrarier.* In alio quod huc pertinet exemplo: Rud. 991 (IIII, 3, 52) *V e l te m i h i m o n s t r a r e oportet, piscis q u i s i t uidulus, V e l quod in mari non natumst neque habet squamas ne feras, sit* esse coniunctiuum potentialem iam supra p. 162 monuimus.

β) ita, ut posterior imperatiuus ex priore consequatur, et causam indicet, cur id, quod priore continetur, fiat. Vinculum autem, quo eiusmodi enuntiata conectuntur, efficitur particula *et*:

Rud. 628 (III, 2, 14) *Quin tu ergo* omitte *genua*, et quid sit, *mi* expedi, ⟨*Quor*⟩ *tumultues*.

Most. 172 (I, 3, 16) *Quid nunc?* ‖ *Quid est?* ‖ *Quin me* aspice et contempla, ut *haec me* deceat.

me decet praebent libri, quod numeris non satisfacit; *decet me* transposuit Bothe; sed uix dubium est, quin Camerarius suo iure scripserit *me deceat*.

Particula, qua in his exemplis duo illa enuntiata inter se conectuntur, in uno exemplo

Ter. Heaut. 890 (V, 1, 17) *Ita rem esse.* ‖ *Ain tu?* ‖ *Quin tu ausculta.* ‖ Mane⟨*dum*⟩, *hoc prius* scire expeto, Quid perdideris.

subintellegenda est; omnino enim post *mane* imperatiuum *ἀσυνδέτως* pergitur.

His enuntiatis is, qui interrogatur, iubetur statim facere id, quod priore imperatiuo continetur, deinde, si hoc fecerit, respondere.

Noli tamen cum his exemplis confundere ea, ubi item duo imperatiui conexi sunt, ut Pers. 664 *Quid id est ergo*, *e l o q u e r e actutum atque i n d i c a*; Epid. V, 1, 16 *Estne ita*[1]) *ut tibi dixi*, *a s p e c t a et c o n t e m p l a*, *Epidice*; conf. Merc. 718, Andr. 763 p. 134, Phorm. 197 p. 135, Truc. III, 2, 8, Cas. III, 5, 21 p. 140: in his enim exemplis neque alterius imperatiui sententia altero tollitur neque alter ex altero consequitur, sed eiusdem significationis sunt duo imperatiui et ad unum atque idem obiectum referendi. Itaque duo imperatiui pro uno in his exemplis propterea positi sunt, quo magis is qui interrogatur ut propere respondeat impellatur.

Dubito, quo referendus sit

Acci u. 343 (Ribb. Trag. p. 180) *Tu autem quod quaero* enoda et qui sis, explica.

---

1) *ita* scripsi de coniectura C. F. W. Muelleri, *ista* A, omittunt ceteri.

quod quaero enoda cod. Leid., *quod quaero abs te enoda* libri Noniani plerique; *quae sis* Leid. man. pr. Nam in hoc quoque uersu et *enoda* imperatiuus proprio suo obiecto utitur et posterior imperatiuus (*explica*) aliquo modo e priore (*enoda*) pendere uidebitur, si interrogatio *et qui sis, explica* unum tantum ex eis fuit, quae is qui loquitur *quod quaero enoda* uerbis se interrogaturum esse praedicat. Nescio tamen an artificiosiore hac ratiocinatione ne mihi quidem satis persuaserim coniunctiuo suum locum hic esse. Vix enim is, qui quaerit, aliud quidquam enodari sibi iubet quam id est quod explicari (quis sit ille, quocum uerba facit). Itaque indicatiuus fortasse hoc modo restituendus est:

Tu autem quod quaero abs te enoda et quae's (uel *qui's*), explica.

b) Deinde enuntiatum primarium, ex quo interrogatio pendet, tertio cuidam enuntiato structura ita subiungitur, ut

α) duo enuntiata inter se conectantur particula finali *ut:*

Rud. 635 (III, 2, 21) *At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuum,* —
Vt *mihi istuc* dicas, *negoti* quid sit, *quor tumultues.*

Merc. 170 (I, 2, 58) *Obsecro hercle* oroque, ut *istuc* quid sit, *actutum* indices.

Curc. 629 (V, 2, 30) *Miles,* quaeso ⟨*te*⟩, ut *mihi* dicas, unde *illum* habeas *anulum.*

Miles, quaeso, tu mihi dicas edidit Fleckeisen, *Miles quaeso ut mihi dicas* praebet B. De *quaeso te* locutione confer Bacch. 178 (II, 2, 1), Amph. 933 (III, 2, 52), Capt. 432 (II, 3, 72) etc.

β) enuntiatum primarium ex tertio illo enuntiato pendeat per particulas condicionales *si, nisi:*[1])

---

1) Cas. III, 5, 19 (535) *Nam nisi ex te scio, quicquid hoc sit cito* secundum ueteres editiones, *scito* pro *sit cito* B; *ESTCITO* A, teste Studemundo, recte. — Ter. Heaut. 1008 (V, 3, 6) *At•si rogem iam: »quid est, quod peccem aut quam ob rem hoc faciam?« nescias.* uerba *quid est... faciam* oratione recta proferuntur.

Aul. IIII, 10, 31 (754) *ita te amabit Iuppiter, Vt tu nescis.* ‖ Nisi *quidem tu mihi,* quid quaeras, dixeris.

id est *Nescio, nisi quidem . . . . dixeris.*

Truc. II, 2, 12 (266) *Nunc adeo,* nisi *abis actutum aut* dicis, quem quaeras, *cito,*
Iam hercle ego hic te, quasi sus catulos, mulier, pedibus proteram.

Pers. 234 (II, 2, 52) . . . *Molesta 's.* ‖ *Ergo* ⟨*ero*⟩ *quoque,* nisi scio, Quo agas *te.*

Itaque dubium non est, quin

Pseud. 3 (I, 1, 1) *Si ex te tacente* fieri *possem* certior,
Ere, quae *miseriae te tam misere* macerent.

contra librorum Palatinorum memoriam, qui *macerunt* indicatiuum exhibent, cum Gellio et libro Ambrosiano, in quo et ipso *MACERENT* litteras Studemund dispexit, coniunctiuus seruandus sit.

Semel, ubi *Quid hinc abstúleris* expectes, indicatiuus occurrit:

Aul. IIII, 4, 17 (636) *Atque id quoque iam fiet,* nisi fatere... ‖ *Quid fatear tibi?* ‖ Quid abstulisti *hinc?*

Indicatiuus inde fortasse explicandus est, quod, cum inter enuntiatum primarium *nisi fatere* et secundarium *Quid abstulisti hinc* tertium enuntiatum insertum sit, enuntiati primarii et secundarii conexus tam leuis est, ut uerba *Quid abstulisti hinc* pro interrogatione recta stare uideantur; conf. pag. 123, 1).

3)

In omnibus, quae hucusque laudauimus, exemplis is qui interrogabat, ut statim sibi responderetur, postulabat. Contra in aliis aliquis non ita interrogat, ut continuo sibi responderi uelit, sed ita potius:

a) ut studeat tantum animum eius, ex quo comperire aliquid uult, ad id, quod eum postea interrogaturus est, aduertere:

Pl. Rud. 1148 (IIII, 4, 104) *tu, puella, istinc procul*
Dicito, quid insit *et qua facie: memorato omnia.* —

deinde u. 1153 demum interrogatur: *Loquere nunciam, puella* —.

Truc. IIII, 3, 5 (767) *Hic nunc* uolo scire, *eodem pacton sine malo* fateamini.

atque u. 14 demum incipit rogare uerbis: *Loquere tu* —.

Similis condicio est

Rud. 946 (III, 3, 9) *Quin póst* elóquere, quid ulis,

ubi u. 948 interrogatur: *Eloquere, quid id est.* De *ulis* cf. pag. 163, *uis* libri. — Itaque in his exemplis, quamuis in eiusmodi enuntiatis alias indicatiuus occurrat, coniunctiuus propterea positus est, quod enuntiatum primarium, ex quo interrogatio pendet, cum ad tempus futurum spectet, maioris momenti est, quam in eis exemplis, ubi is, qui interrogatur, statim respondere iubetur et enuntiatum primarium particulae tantum exhortatiuae munere fungitur.

b) ita, ut eum, quem interrogat, cum sciat sibi ab eo continuo responderi ideo non posse, quia is quid respondendum sit ignoret, rem de qua agitur prius cognoscere iubeat. In his quoque exemplis duo imperatiui extant, quorum posteriore causa prioris indicetur; atque aliquis rem propositam

α) *inspicere* iubetur:

Ter. Heaut. 618 (IIII, 1, 5) Abi *nunciam intro*, atque *illa* si *iam* lauerit, mihi nuntia.

In aliis exemplis, quae huc pertinent, interrogatio pendet ex imperatiuis *uide*, *uise* simil. Vt pag. 140 exposuimus, indicatiuo in eiusmodi interrogationibus tum utuntur ueteres scriptores, ubi res de qua agitur ipsa oculis obuiam est, ut duae *uidendi* et *respondendi* actiones uno fere temporis puncto comprehendantur. Itaque cum in his interrogationibus, quia res ipsa oculis conspici nequit, *uisendi* et *respondendi* actiones temporis interuallo tamquam discerpantur, atque continuo responderi nequeat, in interrogatione obliqua coniunctiuus ponitur:

Ter. Heaut. 871 (IIII, 8, 30) Abi *intro*, uide, quid postulet.

Phorm. 445 (II, 4, 5) Abi, uise, redieritne *iam an nondum domum.*

Pl. Cas. III, 6, 23 (624) I *tu modo*, perspicito *Prius*, quid *intus* agatur.

Non dissimilis est locus apud

Pacuuium (Ribb. Trag. p. 81, 35) *Quod ego inaudiui* accipite, et quid sit *facto opus*, Decernite.

Haec igitur exempla cum illis congruere uidentur, de quibus supra p. 181 expositum est: ita tamen inter se differunt, ut in illis statim responsum iri expectetur, in his non item.

Saepius alter imperatiuus omittitur:

Pl. Most. 309 (I, 3, 151) Vide, *tali* ubi sint.

Amph. 787 (II, 2, 155) *Certumst aperire atque inspicere.* || Vide *sis, signi* quid siet,
Ne posterius in me culpam conferas. ||
Aperi modo.

Sosia enim Amphitruonem rogat, ut, prius quam aperiat atque inspiciat cistam, quid signi in ea esset diligenter perscrutatus, reuera suum illud signum esse sibi persuadeat. Sed dubitare aliquis possit, quid significent uerba: *Vide sis, signi quid siet.* Nam cum praecesserint u. 774: *Saluom signumst?* || *Inspice.* || *Recte*: *itast ut opsignaui* et u. 784: *Quid ego istam exoluam? opsignatast recte,* facile aliquis opinetur hoc quoque loco de signi integritate disputari et uerba *Vide sis, signi quid siet* significare: *Vide num signum saluum sit;* conf. Naudet ad hunc uersum. Sed haec sententia uix in his uerbis inesse potest, quae sic uertenda sunt: *siehe was fuer ein zeichen darauf ist,* ut u. 420 *Est* (scil. *patera*) *in cistula Amphitruonis opsignata signo.* || *Signi dic quid est?* || *Cum quadrigis sol exoriens.* (Cf. Vid. frgm. VII). Neque talis sententia ab hoc loco aliena est, immo gradatio quaedam inest in his uerbis: Seruus enim, qua est timiditate, bis rogat, ut uideat Amphitruo, num signum saluum sit atque tertium, num Amphitruo id signum, quod insit, suum ipsius signum agnoscat, metuens ne Amphitruo postea dicat signum adulterinum infuisse.

Ter. Eun. 663 (IIII, 3, 21) . . *nisi si domum*
Forte ad nos rediit. || Vise, *amabo,* num sit. || *Iam faxo scies.*

Pl. Cas. V, 1, 15 (726) Spectato *hinc omnia, intus* quid agant.

Ter. Heaut. 619 (IIII, 1, 6) *Te uolt,* uideas, quid uelit.

Andr. 169 (I, 1, 142) . . Obserues *filium*,
Quid agat, quid *cum illo consili* captet.

Huc refero singulare exemplum hoc:

Pl. Rud. 752 (III, 4, 47) Contende *ergo*, uter sit *tergo uerior*.

quia, ut res diiudicetur, alterum alterius tergum inspicere opus est.

β) sciscitari:

Pl. Poen. V, 2, 32 (981) *Adi atque* appella, quid uelit, quid uenerit,
Qui sit, quoiatis, unde sit.

Poen. V, 2, 48 (997) Roga, num *quid opus* sit.

Curc. 601 (V, 2, 3) Rogita, unde *istunc* habeat *anulum*.

Ter. Hec. 558 (IIII, 1, 43) Roga, uelitne *an non uxorem*.

nam in his quoque exemplis alter ita interrogatur, ut rem prius sciscitari, id est tertium quendam prius rogare, atque deinde responsum ferre iubeatur. Itaque *roga* imperatiuus positus est pro *roga et dic mihi*.

γ) considerare:

Hac notione saepius *uide* imperatiuum posuerunt scriptores prisci:

Ter. Phorm. 762 (V, 1, 35) *Nunc* quid *opus facto* sit, uide: *pater adulescentis uenit.*

Pl. Bacch. 1041 (IIII, 9, 118) *Duae condiciones sunt*: utram accipias, uide.

Ter. Heaut. 326 (II, 3, 85) *Harum duarum condicionum nunc* utram malis, uide.

Ad. 195 (II, 1, 41) *Nunc* uide, utrum uelis[1]) *argentum accipere an causam meditari tuam.*
Delibera hoc, dum redeo, leno.

In nonnullis enuntiatis interrogatiuis per *si* particulam ex *uide* enuntiato primario pendentibus, quae ideo huc pertinent, quia alter rem de qua agitur prius uel uidere uel audire iubetur, tamen indicatiuus occurrit; qui quomodo explicandus sit, infra pag. 195 exponetur:

---

1) libri praebent *uis*; possis etiam *ulis* temptare.

Pl. Pers. 824 (V, 2, 43) *Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea*
Faciebat. uide *uero,* si *tibi satis* placet.

Trin. 748 (III, 3, 20) Vide, si *hoc utibile magis atque in rem* deputas:
Ipsum adeas Lesbonicum edoctum, ut res se habet. —

Trin. 763 (III, 3, 33) *Sed* uide *consilium,* si placet: ‖ *Quid consilist?* —
‖ *Homo conducatur aliquis iam quantum potest etc.*

Ter. Adelph. 239 (II, 2, 31) *Labascit. unum hoc habeo:* uide, si *satis* placet.
Potius, quam uenias in periclum, Sannio,
Seruesne an perdas totum, diuiduom face [1]).

II.

In enuntiatis, de quibus hucusque egimus, is, qui de aliqua re certior fieri uult, alterum, quem uel continuo uel post aliquod interuallum sibi respondere iubet, ipsum interrogando appellat. Ab his enuntiatis omnibus diligenter secernenda sunt ea, in quibus is qui loquitur non alterum quendam interrogat, sed aut ex aliquo, quem tamen non adloquitur, postea se aliquid

1) Omisi uersum corruptum Men. 487 (I, 3, 5) *Vter ibi melior bellator erit inuentus cantharo, Tuus est: legito ac iudicato, cum utro(ne) hanc noctem sies* [in quo *Tuus est: legito ac iudicato* incerta Vahleni coniectura est, BCD praebent *Tuest legio adiudicato*; *cum utrone* Fleckeisen proposuit, *cum utrod* Ritschl plaut. excurs. I p. 64, *cum utro* cum hiatu BCD], cum post initium nondum sanatum Plautus *adiúdicato* (*té*), *cum utro hánc noctém sies* scripsisse uideatur; hoc si recte conieci, relatiuum potius quam interrogatiuum enuntiatum et *sies* coniunctiuus optatiuus agnoscendus esse uidebitur.

quaesiturum esse praedicat aut hoc tantum indicat se id agere, quomodo de aliqua re certior fieri possit. Itaque, cum hae interrogationes non ita pronuntientur, ut simul aliquis ad eas respondere iubeatur, atque dubitationem eis uerbis, ex quibus tales interrogationes pendent, subesse appareat, hic constanter coniunctiuum occurrere consentaneum est.

1)

Interrogatio pendet ex uerbis *quaerendi*, *consulendi* aliis eiusdem sententiae locutionibus, atque

a) is qui loquitur eum nominat, quem se postea interrogaturum esse dicit:

Pl. Capt. 951 (V, 1, 31) *Interibi ego ex hac statua uerberea* uolo
Erogitare, *meo minore* quid sit *factum filio*.

Poen. III, 4, 20 (721) *Si exierit leno, quid tunc? hominem* interrogem,
Meus seruos ad eum ueneritne?

Ter. Phorm. 827 (V, 4, 9) *sed ubi nam Getam inuenire possim,*
Vt rogem, quod *tempus conueniundi patris me capere* suadeat?

Pl. Amph. 1015 (IIII, 1, 7) *Nunc domum ibo, atque ex uxore mea hanc rem pergam* exquirere,
Quis fuerit, *quem propter corpus suum stupri compleuerit.*

Capt. 459 (II, 3, 99) *Eadem* percontabor [captiuos], ecqui *hunc adulescentem* nouerit.

Men. 700 (IIII, 3, 26) *Ibo, et* consulam *hanc rem amicos*, quid *faciundum* censeant.

Amph. 1128 (V, 1, 76) *Ego Tiresiam coniectorem aduocabo et* consulam,
Quid *faciundum* censeat.

Poen. III, 5, 49 (785) . . *amicos* consulam, quo *me* modo
Suspendere aequom censeant *potissumum.*

Stich. 503 (III, 2, 47) *Certumst amicos conuocare, ut* consulam,
Qua *lege nunc me⟨d⟩ essurire* oporteat.

Ter. Eun. 613 (III, 5, 65) *et de istac simul,* quo pacto *porro* possim *Potiri*, consilium *uolo capere una tecum.*

Pl. Merc. 127 (I, 2, 18) A. *Domin an foris dicam esse erum Charinum, ego animi pendeo.*

Ch. Quid *illuc* sit *negoti,* lubet scire *ex hoc, ut sim certior*[1]).

Ter. Eun. 726 (IIII, 4, 58) *Ego* scibo *ex hoc,* quid siet.

Hecyr. 246 (II, 2, 4) *Atque eccum Phidippum optume uideo, hinc iam* scibo, *hoc* quid sit.

Adelph. 361 (III, 3, 7) *Sed eccum Syrum ire uideo: iam hinc* scibo, ubi siet.

Pl. Epid. I, 1, 90 (98) . . *Sed ego cesso ire obuiam Adulescenti, ut,* quid *negoti* sit, sciam.

Ter. Phorm. 443 (II, 4, 3) *Neque mi in conspectum prodit, ut saltem* sciam,

Quid *de hac re* dicat, quidue sit *sententiae.*

Andr. 235 (I, 4, 8) *Opperiar, ut* sciam [ex Pamphilo], numquid *nam haec turba tristitiae* adferat.

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 102, 214) *Ibo ad eam,* ut sciscam, quid uelit.

Ter. Hecyr. 508 (III, 5, 58) . . *Deliberet* renuntietque *hodie* mihi, Velitne *an non.*

b) Saepius id tantum indicat se de aliqua re uelle certiorem fieri:

Pl. Stich. 57 (I, 1, 56) *Igitur* quaeramus, *nobis* quid *facto usus* sit.

Ter. Eun. 548 (III, 4, 10) *Nisi, quicquid est, procul hinc* lubet *prius,* quid sit, sciscitari.

---

1) Ch. *Quid illuc sit negoti, lubet scire ex hoc, ut sim certior* coniecit Spengel in Philol. XXIII p. 672; *Quid illud sit negotii lubet scire me ex hoc metuit sim certus* B (*metu ut sim certus* CD); *sim certior* Camerarius; *lubet mi adire huc, ut sim certior* Ritschl in contextu, *lubet mi adire, ut fiam certior* idem in adnotatione, *lubet adire me ut certus siem* Brix in Philol. XII p. 651, qui uterque *Ego animi pendeo* uerba cum libris Charino tribuunt.

Pl. Pseud. 593 (II, 1, 19) Lubet scire, quid *hic* ueniat *cum machaera.*

Curc. 321 (II, 3, 42) Scire *nimis* lubet, Vbi sient, *nam illis conuentis sane opust meis dentibus.*

Epid. III, 1, 2 (314) *Nimis diu maceror.* sitne *quid* necne sit, Scire cupio.

Mil. 345* (II, 3, 74) uolo scire, utrum *egon' id, quod uidi,* uiderim.

Ter. Ad. 555 (IIII, 2, 16) Scire *equidem* uolo, quot *mihi* sint *domini.*

L. Afranius (Ribb. Com. p. 182, 396) *Praefestinamus*, quae sit *causa,* sciscere,
Quod sit necessum scire, praesertim in breui.

Pl. Rud. 1142 (IIII, 4, 98) *Solue uidulum ergo,* ut, quid sit *uerum, quam primum* sciam.

Pseud. 1119 (IIII, 7, 18) *Venio huc ultro,* ut sciam, quid *rei* sit.

Pseud. 1135 (IIII, 7, 32) Vt sciam, Sitne *Ballio domi.*

Aul. IIII, 10, 72 (795) *Ibo intro,* ut, quid *huius rei* sit, sciam.

Men. 386 (II, 3, 35) *iam* scibo, utrum *haec me mage* amet *an marsuppium.*

Cas. III, 1, 1 (411) *Nunc amicine an inimici* sis *imago, Alcesime, Mihi,* sciam.

Persa 575 (IIII, 4, 26) *Modo* sciam, quanti indicet.

Anticipationis artificium habemus in his exemplis:

Pl. Cas. V, 1, 5 (715) Lubet Chalinum, quid agat, scire, *nouom nuptum cum nouo marito.*

Curc. 590 (IIII, 4, 34) *Cupio dare mercedem, qui* illunc, ubi sit, commonstret mihi.

et fortasse

Epid. IIII, 1, 10 (522) *Peruelim mercedem dare,* qui monstret eum mi *hominem aut* ubi habitet.

Etenim si *hominem* accusatiuum in enuntiati relatiui priore tantum membro *qui monstret mi hominem* obiectum esse uis, in posteriore *aut ubi habitet* alterum obiectum uelut *aedes* subintellegendum est, quae tamen structura durior est, quam quae

Plauto imputari possit. Accedit quod in eiusmodi sententia relatiua *habitat* indicatiuum expectes. Contra si eundem *hominem* accusatiuum et in priore membro pro uero obiecto et in posteriore pro obiecto anticipatione effecto habes, alterum uerbum uelut *dicat* in posteriore membro expectes, conf. Ter. Phorm. 306: *hominem commonstrarier Mi istum uolo aut ubi habitet demonstrarier.* Multo faciliorem structuram habemus, ubi *aut* particula, quam codex B exhibet [in A uersus exitus periit] expulsa *hominem* accusatiuum subiectum enuntiati secundarii esse censebimus in obiectum primarii προληπτικῶς mutatum:

Peruelim mercedem dare, qui monstret eum mihi hominem, ubi habitet.

uel adeo potius *aut* in *hic* mutato (cf. exempla supra pag. 157 collecta): *eúm mi hominem, hic ubi hábitet.* Ceterum uerba *eum mihi hominem* contra librorum AB auctoritatem in *mi hominem eum* Geppert transposuit.

Contradicit huic regulae, qua coniunctiuus flagitatur,

Bacch. 663 (IIII, 4, 13) *Séd* lubet scire, quantum *aúrum erús sibi* Démpsit *et* quid *suo* réddidit *patri.*

Vbi si *Dempserit* et *reddiderit* inuitis libris Palatinis scriberetur, impurioribus numeris hic uersus, qui ex dimetro cretico et penthemimere trochaico constat, claudicare uideretur, quam qui in tanta proximorum uersuum elegantia probabiles essent. Neque uero *dempsit* formam pro coniunctiuo habere et *redduit* coniunctiuum restituere ausim. Ingenue igitur profiteor peritioribus me inuitum hunc locum relinquere ad diiudicandum.

2)

Interrogatio pendet ex uerbis *uisendi obseruandi* similibus:

Pl. Bacch. 235 (II, 3, 1) . . . Visam, ecquae aduenerit *In portum ex Epheso nauis mercatoria.*

Stich. 269 (1, 3, 112) *Nisi ut periclum fiat,* uisam, quid uelit.

Men. 704 (IIII, 3, 5) Prouisam, quam mox *uir meus* redeat *domum.*

Aul. II, 7, 1 (361)	*Curate:* *ego* interuisam, quid faciant *coqui.*
Capt. 127 (I, 2, 18)	Visam, ne *nocte hac quipiam* turbauerint.
Pseud. 1063 (IIII, 6, 1)	Viso, quid *rerum meus Vlixes* egerit, *Iam*ne habeat *signum ex arce Ballionia.*
Bacch. 1085 (IIII, 10, 10)	Viso, ecquid *eum mi ad uirtutem....* compulerit.
Truc. II, 6, 17 (494)	Viso, *quam grauidam hic reliqui meo conpressu,* quid *ea* agat.
Ter. Andr. 535 (III, 3, 3)	— *id* uiso, *tun an illi* insaniant.
Pl. Stich. 456 (III, 2, 3)	*Nunc* interuiso, *iamne a portu* aduenerit.
Ter. Andr. 957 (V, 5, 1)	Prouiso, quid agat *Pamphilus.*
Andr. 404 (II, 4, 1)	Reuiso, quid agant, *aut* quid captent *consili.*
Eun. 923 (V, 4, 1)	Reuiso, quidnam *Chaerea hic rerum* gerat.
Heaut. 211 (I, 2, 37)	*Ego ibo hinc intro, ut* uideam, *cenae* quid *nobis* siet.
Pl. Merc. 330 (II, 2, 58)	*hoc nunc mihi* uiso *opust, Huic persuadere* quomodo *potis* sim *etc.*
Ter. Heaut. 557 (III, 2, 46)	. . *De istoc, quom usus uenerit,* Videbimus, quid *opus* sit.
Pl. Most. 681 (III, 1, 151)	Videndumst *primum,* utrum *eae* uelintne an *non* uelint.
Amph. 270 (I, 1, 114)	Obseruabo, quam *rem* agat.
Aul. IIII, 6, 13 (671)	*Indeque* obseruabo, *aurum* ubi abstrudat *senex.*
Truc. IIII, 1, 11 (697)	*procul hinc* obseruabo, *meis* quid *fortunis* fuat.
Men. 898 (V, 4, 10)	Obseruemus, quam *rem* agat.
Pseud. 1102 (IIII, 6, 40)	*Nisi* obseruemus, quo eat *aut* quam *rem* gerat.
Trin. 865 (III, 2, 23)	*Magis lubidost* obseruare, quid agat.
Trin. 1007 (IIII, 2, 165)	*Lubet* obseruare, quid agat.
Truc. II, 6, 68 (545)	*certumst,* quo ferant, Obseruare.

Pl. Pseud. 594 (II, 1, 20)	*Et huic*, quam *rem* agat, *hinc dabo* insidias.
Mil. 303 (II, 3, 32)	*eadem illi* insidias *dabo*, Quam mox *horsum ad stabulum iuuenix* recipiat *se* ⟨*a*⟩ *pabulo*.
Most. 429 (II, 1. 82)	*hinc* speculabor *procul*, Vnde *aduenienti sarcinam* inponam *seni*.
Truc. IIII, 1, 10 (696)	*Nunc* speculabor, quid *ibi* agatur, quis eat *intro*, quis *foras* Veniat.
Curc. 427 (III, 57)	Inspiciam, quid sit *scriptum*.
Bacch. 109 (I, 2, 1)	*Iam dudum*, *Pistoclere*, *tacitus te sequor* ⟨Ex⟩spectans, quas *tu res hoc ornatu* geras.
Poen. IIII, 1, 1 (807)	Expecto, quo pacto *meae tecinae processurae* sient.
Ter. Phorm. 161 (I, 3, 9)	*dum* expecto, quam mox ueniat.
Phorm. 606 (IIII, 3, 1)	expecto, quam mox recipiat *sese Geta*.
Pl. Epid. III, 1, 1 (312)	Expectando *exedor miser atque exenteror*, Quomodo *mi Epidici blanda dicta* euenant.
Asin. 881 (V, 2, 31)	Aucupemus *ex insidiis clanculum*, quam *rem* gerant.
Aul. IIII, 1, 21 (599)	*Hinc ego et huc et illuc potero*, quid agant, arbitrarier.

Anticipationis exempla haec sunt:

Pl. Pers. 77 (I, 2, 25)	Visam hesternas reliquias, Quierintne *recte*, *necne*.
Ter. Ad. 889 (V, 6, 1)	*Era*, *ego huc ad te* hos prouiso, quam *mox uirginem* Arcessant.
Pl. Men. 465 (III, 1, 20)	Obseruabo, quid agat, hominem.

Ex Ritschelii coniectura huic interrogationum generi adnumerandus est

Pl. Stich. 651 (V, 2, 3) *Sed amica mea et conserua* quid agat *Stephanium,*
Curaest ut uideam.

uideam Ritschl, *ualeat* BCD; *Curast* Ritschl, *Curaest* (i. e. *Curae est*) coniecit in scholis Studemund collatis uu. Bacch. 1078, Men. 761, Merc. 120 [ex Ritschelii coniectura], Hecyr. 1078, monens aliam esse condicionem uersuum Aul. II, 7, 2, Truc. II, 5, 5.

Tria exempla huic loquendi usui obstantia indicatiuum exhibent: atque in uno

Pl. Aul. I, 1, 26 (65) *Nunc ibo ut* uisam, sitne *ita aurum ut condidi.*,

iam Pylades pro *estne* indicatiuo, quem libri BDJ praebent, *sitne* coniunctiuum posuit; in altero

Pl. Rud. 592 (II, 7, 34) *Nunc lenonem* quid agit *intus* uisam, *conuiuam meum,*

non dubito, quin inuitis libris BD *quid agat* corrigendum sit, praesertim cum *lenonem* accusatiuus προληπτικῶς in enuntiatum primarium receptus sit.

Difficilius est diiudicatu, quomodo tertium emendandum sit:

Pl. Men. 349 (II, 2, 74) Videamus, qui *hinc* egreditur. || *Hoc ponam interim.*

creditur BaCDa, *egreditur* BbDc. Sane nisi pronomen relatiuum agnoscere audebis, coniunctiuus restituendus erit. Possis exempli gratia *hinc* aduerbio omisso scribere:

Videámus, qui egrediátur. || *Hoc ponam ínterim*;

fortasse tamen aliud quid latet.

Denique moneo *si* particulam, ut uidetur, apud Plautum et Terentium nondum integram interrogatiuae particulae uim nactam esse, sed particulae condicionalis naturam atque notionem ex parte retinuisse. In nonnullis enim exemplis indicatiuus occurrit, in quibus si poeta particula aliqua uere interrogatiua usus esset, coniunctiuus flagitaretur.

Pl. Bacch. 529 (III, 5, 4) *ibo, ut* uisam *huc ad eum,* si *fortest domi.* [1])

---

1) Confer Hecyr. 320 *id si forte est*, *nescio*, Men. 142 *Iam sciam, si quid titubatumst, reliquias ubi uidero*, Merc. 155 *Quin iam, priusquam sum*

Ter. Heaut. 170 (I, 1, 118) *Ad cenam ut ueniat. ibo,* uisam, si domist.

Eun. 544 (III, 4, 6) *Nunc mi hoc negoti celeri dedere, ut illum quaeram,*
Idque adeo uisam, si domist.

Pl. Cas. III, 4, 1 (487) Viso *huc, amator* si *a foro* rediit *domum.* 1)

Semel coniunctiuus positus est

Ter. Adelph. 549 (III, 5, 4) *Nunc redeo,* si *forte frater* redierit, uiso.

3)

Interrogatio pendet ex uerbis *cogitandi, meditandi, experiendi,* similibus:

Pl. Poen. V, 7, 31 (1386) Quid *me in hac re facere* deceat, *egomet mecum* cogito.

Ter. Phorm. 727 (IIII, 5, 15) Vbi *illas nunc ego reperire* possim, cogito.

Adelph. 569 (IIII, 2, 30) Vbi *illam* inueniam, cogito.

Pl. Trin. 841 (IIII, 1, 22) Quam *hic rem* gerat, animum aduortam.

Most. 388 (II, 1, 41) *Taceas: ego* qui *istaec* sedem, meditabor, *tibi.*

Amph. 201 (I, 1, 46) *Sed* quomodo, et *uerbis* quibus *me* deceat *fabularier,*
Prius ipse mecum etiam uolo hic meditari.

Truc. IIII, 2, 22 (724) *Discant, dum mihi* commentari *liceat,* ni *oblitus* siem,
Quod didici.

---

elocutus, scias, si mentiri uolo. (*sum* et *uolo* BCD, *sim* cum F et *uolim* Ritschl). Mihi quidem *si* particula in his enuntiatis fere idem ualere uidetur atque Aul. 174 *Ego conueniam Euclionem, si domist,* Phorm. 899 *Demiphonem, si domist, Visam.* cf. Ad. 154. scilicet, *wenn,* atque inde indicatiuus fortasse explicandus est; Merc 155 tamen propter totius loci sententiam Ritschl coniunctiuos sagaciter restituit. Confer praeterea p. 187.

1) *redierit a foro* P(ex inepta interpolatione), *a foro rediit* AB.

Accius (Ribb. trag. p. 218, 34)	*Atque id ego semper sic mecum* agito et comparo, Quo pacto *magnam molem* minuam.
Pl. Asin. 358 (II, 2, 91)	*Hem istuc* ago, Quomodo *argento* interuortam . . . . *Sauream.*
Men. 761 (V, 2, 9)	*Sed haec res mihi in pectore et corde* curaest, Quidnam *hoc* sit *negoti.*
Merc. 120 (I, 2, 10)	Curaest, *negoti* quid sit *aut* quid nuntiet.
Ter. Hecyr. 193 (I, 2, 118)	*Nisi sane* curaest, quorsum *euenturum hoc* siet.
Pl. Trin. 1000 (IIII, 2, 158)	*Iam dudum meum ille pectus pungit* aculeus, Quid *illi negoti* fuerit *ante aedis meas.*
Capt. 192 (I, 2, 89)	*Ibo intro atque intus subducam* ratiunculam, Quantillum *argenti mi apud tarpessitam* siet.
Mil. 431 (II, 5, 20)	Perscrutari *hoc uolo, Sceledre, nos nostri* an *alieni* simus.
Pseud. 174 (I, 2, 41)	*nunc ego* scibo atque *hodie* experiar, Quae *capiti, quae uentri operam* det, quae *suae rei, quae somno* studeat.
Pseud. 176 (I, 2, 43)	Quam *libertam fore mihi* credam *et quam uenalem, hodie* experiar.
Bacch. 405 (III, 3, 1)	*Nunc* experiar, sitne *aceto tibi cor acre in pectore.*
Stich. 311 (II, 1, 39)	experiar, *fores* an *cubiti ac pedes plus* ualeant.
Ter. Adelph. 877 (V, 4, 23)	*Age, age nunciam* experiamur *contra,* ecquid *ego* possiem.

Pl. Cas. II, 3, 56 (171) *Nunc* experiemur, *uostrum* uter sit *blandior*.

Ennius (Vahlen. p. 32, 203) *Vosne* uelit *an me regnare, era* quidu*e* ferat *Fors*, *Virtute* experiamur.

Pl. Most. 237 (I, 3, 80) *In te hercle certumst principe*, ut sim *parcus*, experiri.

Merc. 935 (V, 2, 94) *Certum exequist, Operam ut sumam ad* peruestigandum, ubi sit *illaec*.

Pseud. 73 (I, 1, 71) *Nunc ego* te experiar, quid ames, quid simules.

Amph. 508 (I, 3, 10) *Ecastor* te experior, quanti facias *uxorem tuam*.

4)

Interrogatio pendet ex uerbo *auscultandi*:

Pl. Poen. IIII, 1, 6 (812) Quid habeat *sermonis*, auscultabo.

Bacch. 404 (III, 2, 20) *hinc* auscultabo, quam *rem* agant.

Curc. 279 (II, 2, 29) *Hinc* auscultemus, quid agat.

Mil. 993 (IIII, 2, 3) *Tace:* subauscultemus, ecqui *de me* fiat *mentio*.

B.

Eodem iure atque in his coniunctiuus in eis interrogationibus flagitatur, ubi alium quendam id, quod enuntiato secundario exprimitur, rogantem uel sciscitantem induco:

1)

Pl. Men. 114 (I, 2, 5) rogitas, Quo *ego* eam, quam *rem* agam, quid *negoti* geram, Quid petam, quid feram, quid *foris* egerim.

Cato de r. r. I, 1 *Praedium* quod *primum* sict, *si me* rogabis, *sic dicam*

Pl. Bacch. 188 (II, 2, 11) Rogabis *me*, ubi sit. *uenit*.

Pl. Curc. 19 (I, 1, 19) *Quid tu ergo, insane,* rogitas, ualeatne *ostium?*

Trin. 70 (I, 2, 32) *Quid tu igitur* rogitas, *tene* obiurigem?

Pomponius Bononiensis (Ribb. Com. p. 203, 98) *Nunc,* rogas, quid fiat? *restis uilis est, uelet gulam.*

Pl. Amph. 1025 (IIII, 2, 5) *Quid nunc uis? || Sceleste, at etiam,* quid uelim, *id tu me* rogas?

Amph. 1028 (IIII, 2, 8) *quid nunc uis tibi, aut quis tu 's homo? || Verbero, etiam,* quis *ego* sim, *me* rogitas, *ulmorum Acheruns?*

Mil. 317 (II, 3, 40) *Quid negotist?* || Quid *negoti* sit, rogas?

Aul. II, 4, 17 (294) *Quid negotist?* || Quid *negoti* sit, rogas?

Stich. 333 (II, 2, 9) *Quid agis?* || Quid agam, rogitas?

Aul. III, 6, 14 (542) *Quid est?* || Quid sit, *me* rogitas?

Mil. 425 (II, 5, 15) *Quis tu homo's, aut mecum quid est negoti? || Me*(ita BCD) rogas, *homo* qui sim?

Merc. 720 (IIII, 3, 21) *Quoia illa mulier intust? || Vidistine eam? || Vidi.* || Quoia *ea* sit, rogitas?

Bacch. 65 (I, 1, 32) *Quid ab hac metuis?* || Quid *ego* metuam, rogitas?

Ter. Heaut. 251 (II, 3, 10) *Quid istuc? quae res te sollicitat autem?* || Rogitas, quid siet?

Heaut. 454 (III, 1, 45) *Estne ea intus?* || Sit, rogas?

Ad. 288 (III, 1, 1) *quid nunc fiet?* || Quid fiat, rogas?

Pl. Men. 299 (II, 2, 25) *Sed ubi nouisti ⟨tu⟩ me?* || Vbi *ego te* nouerim? (scil. *rogas.*)

Most. 556 (III, 1, 29) *Quid nunc faciundum censes? || Egon* quid censeam?

Cas. I, 29 (29) *Quid tu mihi facies? || Egone* quid faciam *tibi?*

Ter. Eun. 191 (I, 2, 111) *numquid uis aliud? || Egone* quid uelim?

Phorm. 685 (IIII, 4, 4) *Quid ergo narras?* || Quid *ego* narrem?

Adelph. 84 (I, 2, 4) *Quid fecit?* || Quid *ille* fecerit?

Phorm. 121 (I, 2, 71) *Quid fit denique?* || Quid fiat?

Ad. 261 (II, 3, 8) *Quid est?* || Quid sit?

Pl. Trin. 1054 (IIII, 3, 47) *Hoc* qui *in mentem* uenerit *mi?* (scil *rogatis?*)

Amph. 816 (II, 2, 184) *Ex me* quaeris, quid deliqueris?

Tria exempla, quorum ratio plane eadem est, nihilo minus indicatiuum praebent; sed cum coniunctiuus facili negotio corrigendo effici possit, uix dubito, quin indicatiuum mutare liceat:

Pl. Most. 906 (III, 3, 3) . . . . *Ecquid placent?*
Ecquid placent, *me* rogas? *immo hercle uero perplacent.*,

ubi iam Camerarius contra libros *placeant* coniunctiuum restituit, quem etiam numeri flagitant.

Pl. Poen. I, 2, 140 (346) *Quor mihi haec iratast?* ‖ Quor *haec irata* est *tibi?*

ita A et B, *haec mihi irata est* in fine CD. Loquendi usus postulat: *Quor mi haec iratast?* ‖ Quor *tibi haec irata* sit?

Pl. Bacch. 561 (III, 6, 32) *Quid istuc est?* ‖ Quid est? *misine ego ad te ex Epheso epistulam?*

qui uersus sic fortasse scribendus est:

Quid istuc est? ‖ Quid sit? *misine ego ad te ex Epheso epistulam?*

Pl. Poen. prol. 108 rogitat *postibi,* Vnde sit, quoiatis, *captane an subrupta* sit.

Ter. Hecyr. 831 (V, 3, 33) Rogat, unde sit.

Pl. Curc. 340 (II, 3, 61) *ibi me* interrogat, Ecquem *in Epidauro Luconem tarpessitam* nouerim.

Curc. 596 (V, 1, 6) Rogat, unde habeam.

Curc. 339 (II, 3, 60) *Praendit dexteram, seducit,* rogat, quid ueniam *Cariam.*

Ter. Eun. 554 (III, 5, 16) *Qui me sequatur, quoquo eam,* rogitando *obtundat, enicet,*
Quid gestiam *aut* quid *laetus* sim.

Pomponius (Ribb. Com. p. 210, 160) *Venit nos* rogatum, quando *nostrae* essent *Seplasiae.*

Ter. Adelph. 527 (III, 1, 11) Rogitabit *me,* ubi fuerim.

Pl. Merc. 221 (I, 2, 108) *Retinebit,* rogitabit, unde *illam* emeris, quanti emeris.

Pl. Men. 341 (II, 2, 66) Rogitant, quoiatis sit, quid *ei nomen* siet.
Mil. 709 (III, 1, 115) Rogitant, *noctu* ut *somnum* ceperim.
Curc. 362 (II, 3, 83) Rogitant *serui*, quo eam.
Aul. I, 2, 35 (117) Rogitant *me*, ut ualeam, quid agam, quid *rerum* geram.

Naeuius bell. pun. (Vahlen. p. 12) *Blande et docte* percontat *Aeneas*, quo *pacto*
Troiam urbem liquerit.

Pl. Asin. 343 (III, 2, 76) *Verum in tonstrina ut sedebam, me infit* percontarier,
Ecquem *filium Stratonis* nouerim *Demaenetum.*

Cato de r. r. LXI, 2 *Si quis* quaerat, quod *tempus oleae serendae* siet.
Pl. Stich. 202 (I, 3, 48) perquirunt, quid siet *causae*, ilico *etc.*[1])
Men. 575 (IIII, 2, 6) *Res magis* quaeritur, *quam cluentum fides*
Quo usmodi clueat.

Ter. Eun. 519 (III, 3, 13) *Rus Sunii* ecquod habeam *et quam longe a mari*. (scil. *rogat.*)

Pl. Cist. II, 3, 12 *Age, perge, quaeso*: *animus* audire expetit,
Vt *res* sit *gesta.*

Cato de r. r. CXI *Si* uoles scire, *in uinum aqua addita* sit, necne —
(Pl. Aul. IIII, 1, 19 (597) *Is speculatum huc misit*, ut, quae fierent, fieret particeps.)
Bacch. 575 (IIII, 1, 3) *Nunc me ire iussit ad eam et* percontarier,
Vtrum *aurum* reddat anne eat *secum simul.*
Persa 634 (IIII, 4, 52) *Tactust leno, qui* rogarat, ubi *nata* esset, diceret.

Ter. Phorm. 174 (I, 3, 22) *Quoi de integrost potestas etiam* consulendi, quid uelis.

Non dissimiles sunt duo uersus, quibus is qui loquitur se id ipsum, quod enuntiato secundario continetur, quaerentem inducit:

---

1) *quid* A, *quicquid* Pall.

Pl. Trin. 929 (IIII, 2, 84) *Qui homost me' insipientior, qui ipse egomet,* ubi sim, quaeritem?
Trin. 936 (IIII, 2, 94) *sed ego sum insipientior, Qui, egomet* unde redeam, *hunc* rogitem.

2)

Ribb. Com. p. 26, 1 *Lena delenita argento nutum* obseruabit *meum,* Quid uelim, quid studeam.
Pl. Cist. I, 3, 20 *Ille clam* obseruauit *seruos* . . ., Quo aut quas *in aedes haec puellam* deferat.
Ter. Hec. 345 (III, 2, 10) *Tum filius tuus intro iit* uidere, *ut uenit,* quid agat.
Pl. Mil. 708 (III, 1, 114) uisent, quid agam, quid uelim.[1]
Ennius (Vahlen p. 15, 86) Expectant, *ueluti, consul cum mittere signum*
Volt, omnes auidi spectant *ad carceris oras,*
Quam *mox* emittat *pictis e faucibus currus,*
Sic expectabat *populus, atque ora tenebat*
Rebus, utri *magni uictoria* sit *data regni.*
Cato orig. IIII, 7 (Jord. p. 18, 21) quorsum *ire* pergant, *in* expectando *sunt.*
Pl. Mil. 995 (IIII, 2, 5) *Qui* aucupet me, quid agam.
Spengelii coniecturae debetur
Pl. Truc. II, 7, 39 (589) . . . óbseruauit, quám rem agas.
obseruabi Quem pernā BCD. Bugge in Philol. XXX. p. 260 coniecit *óbseruauit quó feras.*

3)

Pl. Truc. II, 4, 44 (397) *Sese* experturum, quanti *sese* penderem.
Amph. 662 (II, 2, 30) *Atque id se uolt* experiri, *suum abitum* ut desiderem.
Amph. 688 (II, 2, 56) *an* periclitamini, Quid *animi* habeam?
Poen. III, 1, 54 (548) *Itane* temptas, an sciamus?

---

1) Ita scribo cum Studemundo.

Pl. Truc. I, 1, 13 (34) Temptat, *benignusne an bonae frugi* sies.

Mil. 260 (II, 2, 105) *Atque homini* inuestigando *operam huic dissimulabiliter dabo,* Qui fuerit *conseruos.*

Ennius (Vahlen p. 15, 86) *Omnibus* cura *uiris*, uter esset *induperator.*

Pl. Bacch. 399 (III, 2, 15) *Nunc*, *Mnesiloche*, *specimen* specitur, *nunc certamen* cernitur,
Sisne *necne ut esse oportet.*

Most. 132 (I, 2, 51) *Igitur tum specimen* cernitur, quo eueniat *aedificatio.*

Atque eadem condicio est illarum interrogationum, ubi quis se alio tempore id, quod enuntiato secundario continetur, interrogasse uel scire uoluisse profitetur.

1) Pl. Capt. 511 (III, 2, 14) Rogo, *Philocratem ex Alide* ecquis *hominum* nouerit.

Truc. III, 1, 6 (639) interrogo, Quid *eum* uelit.

Merc. 941 (V, 2, 100) Rogito, quis *eam* auexerit [1]), quis habeat, *si indaudiuerit.*

Ter. Andr. 123 (I, 1, 96) *accedo ad pedisequos,* Quae sit, rogo.

Phorm. 863 (V, 6, 23) *respicio*, rogo, Quam ob rem retineat *me.*

Andr. 341 (II, 3, 50) rogo, numquid uelit.

Adelph. 619 (IIII, 4, 11) *Accedo*, rogito, *Pamphila* quid agat, *iam partus* adsiet.

Phorm. 93 (I, 2, 43) Rogamus, quid sit.

Pl. Stich. 366 (II, 2, 42) *Dum* percontor *portitores,* ecquae *nauis* uenerit.

Amph. 715 (II, 2, 103) *Et salutaui et* ualuissesne *usque,* exquisiui *semul.*

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 79, 17) *Sed cum animum attendi ad* quaerendum, quid siet.

2) Pl. Stich. 328 (II, 2, 3) *ego*, quid *me* uelles, uisebam.

---

1) *auexerit* O. Seyffert Philol. XXVII p. 434, *uexerit* libri.

Pl. Aul. prol. 16 *Coepi* obseruare, ecqui *maiorem filius Mihi honorem* haberet.

Poen. VI, 21 (1376) *Et* expectabam, si *quis* adsereret *manu*.

Ter. Eun. 602 (III, 5, 54) *simul* alia circumspecto, *Sati*ne *explorata* sint.

Pl. Bacch. 287 (II, 3, 53) *Occepi ego* obseruare eos, quam *rem* gerant.

3) Pl. Curc. 371 (III, 1) *subduxi* ratiunculam, Quantum *aeris mihi* sit, quantumque *alieni* siet.

Mil. 1336 (IIII, 8, 26) Temptabam, spiraretne *an non*.

Cato orat. I, 13 (Iord. p. 35, 1) *Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem* temptabam, quid *facere* possent; *proeliis leuibus* spectabam, cuius modi *quisque* esset.

C.

Interrogatio pendet ex imperatiuis uel locutionibus, quae illorum locum obtinent, quibus aliquis sciscitari aliquid uel considerare iubetur uel admonetur, attamen non ita, ut is qui loquitur rem, de qua agitur, ipse comperire studeat; atque eo differunt hae interrogationes ab eis, de quibus pag. 185 sq. egimus.

1)

Pl. Poen. 179 (I, 1, 53) Rogato, *seruos* ueneritne *ad eum tuus*.

Ter. Heaut. 943 (V, 1, 70) *illum hoc* rogitato *simul*, Quam ob rem *id* faciam.

Pl. Aul. IIII, 10, 70 (793) *I intro*, exquaere, sitne *ita ut ego praedico*.

Men. 918 (V, 5, 18) *Quin tu* rogas, *Purpureum panem an puniceum* soleam *ego esse an luteum?*

Ter. Heaut. 658 (IIII, 1, 45) *Nescio, nisi ex ipsa* quaeras, unde *hunc* habuerit.

Cato de r. r. XXXIX, 12 *Per imbrem in uillam.* quaerito, quid *fieri* possit.

Pl. Cist. II, 1, 35 *Alibi* quaere, ubi *tuo iurando iuri satis* sit *subsidi.* [1])

Pseud. 449 (I, 5, 34) *quanto satius est Adire blandis uerbis atque* exquaerere,
Sintne *illa necne, quae tibi renuntiant.*

Pers. 592 (IIII, 4, 43) *Quid ita?* ‖ *Quia enim te ex puella prius* percontari *uolo,* —
Quo genere aut qua *in patria nata* sit, *aut quibus parentibus.*

Merc. 634 (III, 4, 49) Rogitares, quis esset, aut unde esset, *qua prosapia.*

Merc. 622 (III, 4, 37) *quin* percontatu's, *hominis* quae *facies* foret?

Cas. III, 3, 8 (467) Rogitare (scil. *eum*) *oportet prius* et percontarier,
Adsitne *ei animus*, necne adsit, *quem aduocet.*

Cato de r. r. II, 1 *postridie eius diei uilicum uocet*, roget, quid *operis* siet *factum*, quid restet, *satisne tempori opera* sient *confecta*, possitne, *quae reliqua sient*, *conficere*, ecquid *factum uini frumenti aliarumque rerum omnium.*

Pl. Curc. 632 (V, 2, 33) Quaeratis chlamydem et machaeram hanc, unde *ad me* peruenerit.[2])

2)

Pl. Mil. 536 (II, 6, 55) — uide, sitne *istaec uostra intus.*

Cato de r. r. I, 4. *Ad uillam cum uenies*, uideto, *uasa torcula et dolia multa*ne sient.

Semel coniunctiuus contra librorum auctoritatem restituendus est:

---

1) Confer Studemundum in Cistellaria (ind. lect. Gryphiswald. 1871/72 p. 11).

2) An *peruenerint* scribendum est?

Pl. Bacch. 900 (IIII, 8, 59) *Illa autem in arcem abiit aedem uisere Mineruae. nunc apertast: i,* uise, estne *ibi.*

Dubium non est, quin pro indicatiuo coniunctiuus ponendus et uel cum Fuhrmanno (l. l. sentent. controu. IIII) scribendum sit

Mineruae. nunc apertast: i, uide, sitne *ibi.*

uel *i* imperatiuo omisso

Mineruae. nunc apertast: uise, sitne *ibi.*

3)

Accius (Ribb. Trag. p. 177, 309) *Proin tu id,* cui fiat, non qui facias, compara. [1])

Pl. Trin. 674 (III, 2, 48) *Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut* reputes, quid *facere expetas.*

Cato de r. r. II, 5 rationes putare *argentariam, frumentariam, pabuli causa quae parata sunt;* rationem *uinariam, oleariam*, quid uenierit, quid *exactum* siet, quid *reliquum* siet, quid siet *quod ueneat.*

Pl. Cas. I, 1, 6 (6) *Dehinc* conicito *ceterum*, Possisne *necne clam me sutelis tuis Praeripere Casinam uxorem.*

Ter. Phorm. 166 (I, 3, 14) . . . . *tu* conicito *ceterum,* Quid *ego ex hac inopia nunc* capiam *et quid tu ex istac copia.*

Pl. Poen. prol. 91 *Vosmet nunc* facite coniecturam *ceterum,* Quid *id* sit *hominis, quoi Lyco nomen siet.*

Ter. Ad. prol. 12, pernoscite, *Furtum*ne *factum* existumetis *an locum Reprehensum, qui praeteritus neglegentiast.*

Eun. prol. 45 *Vt* pernoscatis, quid *sibi Eunuchus* uelit.

Andr. prol. 25 *Vt* pernoscatis, ecquid *spei* sit *relicuom,* *Posthac quas faciet de integro comoedias, Spectandae an exigendae* sint *uobis prius.*

Ad. prol. 4 *uos* iudices, *Laudin an uitio duci id factum* oporteat.

---

1) Nonius p. 257, 7 »*comparare* iterum aestimare.«

Heaut. prol. 46 experimini, *In utramque partem ingenium* quid possit *meum*.

Hecyr. 766 (V, 1, 40) *Verum hoc te moneo unum*, *amicus* qualis sim *aut* quid possiem
Potius quam inimicus, periclum facias.

Heaut. 221 (II, 1, 9) *Nunc ait:* »periclum *ex aliis* facito, *tibi* quid [1]) *ex usu* siet.«

Heaut. 210 (I, 2, 36) *Scitumst* periclum *ex aliis* facere, *tibi* quid *ex usu* siet. [2])

Pl. Pseud. 1007 (IIII, 2, 50) *perge opera* experirier, Quid *epistula ista* narret.

Ter. Heaut. 971 (V, 2, 18) *Prius, quaeso*, disce, quid sit *uiuere.*

Cato de r. r. CLVII, 1 *Principium te* cognoscere *oportet*, quae *genera brassicae* sint et cuiusmodi *naturam* habeant *omnia*.

Accedit ex Buecheleri coniectura exemplum hoc:

Ribb. Trag. 81, 32 ⟨*Illud* num⟩ *et aecum et rectum* sit, *quod postulas*,
Iurati cernant.

Vide saepius idem ualet atque *considera*:

Ter. Andr. 385 (II, 3, 11) *Ex ea re* quid fiat, uide.

Andr. 399 (II, 3, 25) Vide, quo *me* inducas.

Pl. Capt. 292 (II, 2, 42) *proinde aliis* ut credat, uide.

Attius (Ribb. Trag. 217, 628) *Nunc tu in re crepera tua* quid capias *consili*, Vide.

Ter. Hecyr. 664 (IIII, 4, 42) *Vosmet* uidete *iam*, *Laches et tu Pamphile*,
Remissan opus sit *uobis redductan domum*.

Cato de r. r. II, 3 *Cum tempestates pluuiae fuerint*, uideto, quot *dies* quaeue *opera per imbrem fieri* potuerint.

Indicatiuus in libris praue exaratus extat

1) *quid* BCD, *quod* reliqui.
2) *quid* CEF, *quod* reliqui.

Pl. Stich. 632 (IIII, 2, 51) *Iamne abis tu? ⟨abit profecto⟩. nunc consilio sano opust.*
⟨Ambo abi⟩erunt: uide, *Gelasime,* quid *capturu's consili.*

Ita scripsit Ritschl; pro quibus duobus uersibus singuli extant in libris, atque in A teste Ritschelio . . . *ERUNTGELASIMEUIDENUNCCONSILI·SANOOPUST*, sed ut Studemund me docuit, A potius hunc uersum tradit: *IAMNEABIERUNTGELASIMEUIDENUNCCONSILIOCAROOPUST.* talis autem in BCD: *Iamne abisti gelasime uide quid es capturus consilii.* In A igitur altera extat recensio; ea autem uerborum collocatio, quae in BCD occurrit, fortasse hanc lectionem commendat:

Iamne abiit? Gelasime, uide, quid sis *capturus consili.*

In nonnullis, quae huc pertinent, exemplis coniunctiuus, quem dicimus, absolutus occurrit, atque

1) coniunctiuus deliberatiuus:

Ter. Eun. 224 (II, 1, 18) uide, quid agas.
Phorm. 346 (II, 2, 32) *Senex adest,* uide, quid agas: *prima coitiost acerruma.*
Pl. Epid. 156 (I, 2, 58) *Epidice,* uide, quid agas.
Ter. Eun. 964 (V, 4, 42) Vide, *Parmeno,* Quid agas.
Pl. Pseud. 48 (I, 1, 46) uide *sis,* quam *tu rem* geras.
Ter. Adelph. 343 (III, 2, 45) *Hem, mea Sostrata,* uide, quam *rem* agas.
Pl. Most. 1068 (V, I, 20) *Res palamst. nunc te* uidere *meliust,* quid agas, *Tranio.*
Pseud. 379 (I, 3, 45) *at tu hinc porro,* quid agas, consulas.
Most. 381 (II, 1, 34) *Sicut ego aduentu patris nunc* quaero, quid faciam, *miser.*
Ter. Ad. 516 (III, 5, 6) *Respondeat mi, ut,* quid agam, *quam primum* sciam.
Pl. Poen. III, 2, 18 (586) *Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,*
Vt sciamus, quid dicamus *mox pro testimonio.*

Pl. Pseud. 1290 (V, 2, 4)	Cogito, *saeuiter blanditer*ne adloquar.
Merc. 857 (V, 2, 16)	Cogito, quonam *ego illum* curram *quaeritatum*.
Men. 887 (V, 3, 11)	*nunc* cogito, Vtrum *me* dicam *medicum ducere an fabrum*.
Merc. 645 (III, 4, 60)	*Sed* quam capiam *ciuitatem*, cogito, *potissumum*.
Ter. Andr. 358 (II, 2, 21)	Quid agam, cogito.
Pl. Stich. 75 (I, 2, 17)	*Principium ego* quo pacto *cum illis* occipiam, *id* ratiocinor.
Ter. Heaut. 674 (IIII, 2, 7)	Quid agam, *aut* quid comminiscar, ratio *de integro ineundast mihi*.
Pl. Mil. 198 (II, 2, 43)	*dum* consulo, Quid agam, quem *dolum doloso contra conseruo* parem.
Amph. 197 (I, 1, 42)	*Ea, nunc* meditabor, quomodo *illi* dicam.
Epid. 304 (II, 3, 7)	*Sed me una turbat res* ratioque, *Apoecidi* Quam ostendam *fidicinam*.
Most. 689 (III, 1, 59)	*Igitur tum accedam hunc, quando*, quid agam, inuenero.
Most. 85 (I, 2, 1)	*Recordatus multum ct diu* cogitaui, — *Hominem* quoius *rei similem esse* arbitrarer.
Merc. 247 (II, 1, 23)	*Quo magis*, quid facerem, cura *cruciabar miser*.
Ter. Heaut. 978 (V, 2, 25)	*Abiit? uah* rogasse *uellem*, ‖ *Quid?* ‖ unde peterem *mihi cibum*.
Pl. Cas. 396 (II, 8, 64)	Consulere, quid emam, *oportet*.
Bacch. 1195 (V, 2, 79)	Quid agas, rogitas *etiam?*
Most. 368 (II, 1, 21)	*Quid ego ago?* ‖ *Nam quid tu malum me* rogitas, quid agas?
Mil. 1097 (IIII, 3, 4)	*Quid me* consultas, quid agas?
Ter. Eun. 837 (V, 1, 21)	Quid facias, rogas?
Pl. Rud. 379 (II, 3, 48)	*Quid faceret?* ‖ *Si amabat*, rogas, quid faceret?
Merc. 633 (III, 4, 48)	*Quid ego facerem?* ‖ Quid *tu* faceres, *men* [1]) rogas?

1) An *me* scribendum est?

Pl. Epid. 676 (V, 2, 82) *Quid ago?* ‖ Quid agas? (scil. *rogas*) *mos geratur.*

Ribb. Trag. ex inc. inc. fab. p. 236, 11 *Vt se* edoceret *obsecrans Apollinem,*
Quo *sese* uertant *tantae sortes somnium.*

Ter. Andr. 877 (V, 3, 6) *Num* cogitat, quid dicat?

Ennius (Ribb. Trag. p. 58, 297) *Ibi* quid agat, *secum* cogitat, parat, putat. [1])

2) coniunctiuus potentialis:

Pl. Capt. prol. 35. *Hisce autem inter sese hunc* confinxerunt *dolum,*
Quo pacto *hic seruos suum erum hinc* amittat *domum.*

Ter. Heaut. 476 (III, 1, 67) *Non nunc pecunia* agitur, *sed illud,* quomodo
Minumo periclo id demus *adulescentulo.*

Heaut. 492 (III, 1, 83) *Dum id* quaero, *tibi* qui *filium restituerem.*

Pl. Pers. 325 (II, 5, 24) *Nam iam omnis sycophantias* instruxi et comparaui,
Quo pacto *ab lenone* auferam *hoc argentum.*

Rud. 917 (IIII, 2, 12) *Tempestate saeua* experiri *expetiui,*
Paupertatem eri qui *et meam seruitutem*
Tolerarem.

Ter. Andr. 307 (II, 1, 7) *Quanto satiust, te id* dare operam, qui *istum amorem ex animo* amoueas.

Pl. Trin. 119 (I, 2, 83) *Ei rei* operam dare *te fuerat aliquanto aequius,*
Si *qui probiorem facere* posses.

3) coniunctiuus condicionalis:

Ter. Andr. 258 (I, 5, 23) *Quod si ego rescissem id prius,* quid facerem, *si quis* [*nunc*] *me* roget.

Ennius (Vahlen p. 52, 347) *Aspectabat uirtutem legionis suai*
Expectans, si mussaret, quae *denique pausa*
Pugnandi fieret *aut duri finis laboris.*

---

1) *uorsat* uel *curat* pro *parat* probabiliter coniecit Luchs supra p. 70.

Pl. Amph. 914 (III, 2, 33) *Verum* periclitatus sum *animum tuum*,
Quid faceres et quo pacto *id ferre* induceres.

Ter. Phorm. 241 (II, 1, 11) *Quam ob rem omnis, quom secundae res sunt maxume*,
Meditari *secum oportet*, quo pacto *aduorsam aerumnam* ferant. [1])

CAPVT ALTERVM.

Interrogationes, de quibus capite primo egimus, omnes propterea »interrogationes proprias« appellamus, quod pendent ex eiusmodi enuntiatis primariis, quibus indicetur id quaeri, quod enuntiato secundario exprimitur. Nunc transeamus ad id genus interrogationum obliquarum, quae re uera sunt enuntiata obiectiua interrogationum formam induta, quippe quae non eo consilio

---

1) Postquam huius dissertationis caput primum typis iam expressum est, uideo T. Hewittium Key in grammat. lat. (Londinii 1866) § 1198 p. 278 simili modo illum indicatiui usum, de quo pag 121. sqq. exposuimus, explicasse. Dicit enim uir doctus l. l.: »An interrogative clause sometimes accompanies the phrase *quid ais*, or the imperatives *dic*, *cedo*, or the indicative *quaeso*, but without being dependent on them: as,

Quid ais, ubi intellexeras Id consilium capere, cur non dixti extemplo Pamphilo? (Ter. And. III, 2, 37) (et infra adnotat: »The phrase *quid ais* is also used in expressing surprise at something heard: as, 'What do you say? surely I misunderstand you', or 'You don't say so'«.)

Dic mihi, placetne tibi edere iniussu meo? (Cic. ad Att. XIII, 21, 4) (adnotans: »This *dic mihi*, like the conjunction *eho*, is merely a mode of inviting a person's special attention to some coming question. The French in the same way use *dis-moi.*«)

Cedo, quid iurgabit tecum? (Ter. And. II, 3, 15)

Quaeso, quoliens dicendumst tibi? (Pl. Most. IV, 2, 32)«.

adhibeantur, ut ipsam rem, quae enuntiati secundarii uerbis continetur, aut re uera comperiat aliquis aut uelle se comperire indicet, sed ita, ut aliquid, quod ad rem, quae enuntiato secundario exprimitur, pertinet, aut praedicemus aut edoceamur aut alium quendam facere iubeamus, prout enuntiatum secundarium aut ex pronuntiatione aut ex interrogatione aut ex imperatiuo pendet. Itaque eum haec enuntiata speciem quidem interrogationum praebeant, munere non fungantur, interrogationes »non propriae« appellari possunt. Atque propter hanc ipsam causam etiam Weissenborn his enuntiatis interrogationum obliquarum nomen abiudicandum esse contendit uerbis his: »*Man hat auch diese obiektssaetze indirekte fragen genannt, aber sie koennen nur uneigentlich diesen namen haben, da in denselben gar nicht ausgesagt wird, dass man etwas wissen, sondern dass man etwas, was man wahrnehme oder rede, zweifelnd darstellen wolle*«. Nec non haec duo interrogationum genera distinxit Grotefend, cum doceret[1]: »*Ein indirekter fragsatz kann stehen nach den verbis, welche sehen, hoeren, fuehlen, vermuthen, denken, einsehen, wissen, lernen, sagen, lehren bedeuten; ferner auch nach den redensarten: es ist gewiss, ungewiss, bedenklich, bekannt, unbegreiflich, wunderbar, wichtig und ähnlichen. Eine eigentliche indirekte frage steht jedoch nur nach den verbis, welche fragen bedeuten.*« Idemque[2]: »*Ein sogenannter indirekter fragsatz enthaelt einen gedanken, in welchem irgend eine vorstellung unbestimmt gelassen und daher durch ein pronomen indefinitum oder ein unbestimmtes pronominaladverb angedeutet ist. Ein eigentlicher indirekter fragsatz ist ein solcher satz erst dann, wenn nach der unbestimmten vorstellung wirklich gefragt wird*«. Id tamen tenendum est, quamuis haec duo interrogationum genera discernenda esse appareat, etiam in interrogationibus obliquis, quae dicuntur, »non propriis« ueram interrogationem aut subesse aut loquentis animo

1) in libri »Ausfuehrliche grammatik der lat. sprache« Hannov. 1830 part. II pag. 220.

2) l. l. pag. 453.

obuersari: nam enuntiato *Vbi illas reperire possim, nescio* respondetur aut ad interrogationem *Vbi illas reperire potes?*, quam alius quidam pronuntiauit, aut ad quaestionem *Vbi illas reperire possum?*, quam is, qui loquitur, ipse sibi proposuit.

§ 1.

Interrogatio pendet ex pronuntiatione atque

A)

ex negatiuo enuntiato primario.

In his interrogationibus priscos scriptores non secus ac posteriores coniunctiuum posuisse mirum non est: nam in his exemplis enuntiato primario exprimitur uel dubitari uel nesciri, utrum id, quod enuntiato secundario continetur, sit, fiat necne; quod cum in lingua latina coniunctiuo indicari soleat, hunc modum secundum suam naturam in his exemplis constanter etiam in antiquissimis litterarum monumentis occurrere consentaneum est. Hae autem interrogationes negatiuo enuntiato primario ita subiunctae sint oportet, ut totum enuntiatum interrogatiuum cum ipsa actione, quae eius uerbo exprimitur, pendeat ex illa dubitatione, quae in enuntiato primario inest. Atque

1)

interrogatio pendet ex uerbo *nesciendi:*

Pl. Pseud. 1038 (IIII, 4, 1) Nescis, ut *res* sit, *Phoenicium* [1]).
Merc. 789 (IIII, 4, 49) Nescis, *negoti* quid sit, *uxor.*
Most. 1101 (V, 1, 52) Nescis, quam *meticulosa res* sit *ire ad iudicem.*
Bach. 722 (IIII, 4, 71) Nescis, *quid ego acturus* sim neque *facinus* quantum exordiar.
Ter. Eun. 799 (IIII, 7, 29) nescis, quoi *male* dicas *nunc uiro.*

1) *res sit* libri, *sit res* Bothe.

Ter. Eun. 1061 (V, 8, 31) *Tu fortasse*, quae *facta hic* sient, Nescis[1].
Eun. 966 (V, 6, 2) Nescis, quid *mihi* obtigerit.
Heaut. 934 (V, 1, 61) *Ah* nescis, quid doleam.
Phorm. 57 (I, 2, 7) nescis, quo *in metu*[2], Quanto *in periclo* simus.
Hecyr. 418 (III, 4, 4) *O fortunate*, nescis, quid *mali* Praeterieris.
Hecyr. 875 (V, 4, 35) Nescis, *Parmeno*, Quantum *hodie* profueris *mihi* et *ex* quanta *aerumna* extraxeris.
Adelph. 723 (IIII, 7, 5) Nescis, qui *uir* sit. ‖ *Scio*.
Ennius (Ribb. Trag. p. 40, 187) *Otioso in otio animus* nescit, quid uelit.
Pl. Rud. 385 (II, 3, 54) *Fur facile, quem obseruat, uidet: custos*, qui *fur* sit, nescit.
Ter. Phorm. 993 (V, 9, 4) *Qui hercle*, ubi sit, nescit.
(Publ. Syrus 348 *Magis* ⟨*is*⟩ *ualet, qui* nescit, quid sit *calamitas*.[3])
Ter. Hecyr. 571 (IIII, 1, 56) *Si puerum ut tollam cogit, quoius nos* qui sit, nescimus, *pater*.
Eun. 155 (I, 2, 75) *At ego* nescibam, quorsum *tu* ires.
Sextus Turpilius (Ribb. Com. p. 75, 16) *Ineptus*, quid *mihi* uellem, *ex insolentia* Nescibam.
Ter. Phorm. 117 (I, 2, 67) *Noster*, quid ageret, nescire.
Hecyr. 215 (II, 1, 18) *An, quia ruri esse crebro soleo*, nescire *arbitramini*,
Quo *quisque* pacto *hic uitam uostrarum* exigat?
Eun. 690 (IIII, 4, 23) *Eo rediges me, ut*, quid egerim, *egomet* nesciam?
Eun. 881 (V, 2, 42) *Neque ita imperita, ut*, quid *amor* ualeat, nesciam.

---

1) *sunt* Seruius et E, *sint* Donat. cum ACP, *sient* reliqui.

2) *quo in metu et Quanto* libri.

3) Ita scripsi de coniectura; F praebet: *Magis ualet qui nescit quod ualet calamitas*. Aliorum aut magis aut minus probabiles coniecturas uide apud Woelfflinum; ceterum cf. Luchs supra pag. 9.

Pl. Poen. V, 7, 45 (1400)	Nescias, utrum *ei maiores buccaene an mammae* sient.
Cas. II, 5, 25 (229)	*quasi tu* nescias, *Repente* ut emoriantur *humani Ioues.*
Most. 278 (I, 3, 121)	Quid olant, nescias, *nisi id unum, male ut olere intellegas.*
Ter. Heaut. 345 (II, 3, 104)	*Datur, fruare, dum licet: nam* nescias, ‖ *Syre, inquam.* ‖ *Perge porro, tamen istuc ago.* ‖ *Eius* sit *potestas posthac an numquam tibi.*
Pl. Aul. III, 2, 12 (423)	*Pol ego* hauscio, quid *post* fuat.
Ter. Andr. 525 (III, 2, 45)	*Atqui* hauscio, an *quae dixit* sint *uera omnia.*
Pl. Bacch. 1133 (V, 2, 14)	Hauscio, quid *eo opus* sit.
Ter. Heaut. 999 (V, 2, 46)	*Etiam* hauscio, anne *uxorem ducat.*
Phorm. 774 (V, 2, 9)	Hauscio *hercle, ut homost*, an mutet *animum.*
Pl. Pseud. 683 (II, 3, 17)	*Stulti* hauscimus, *frustra* ut simus, *quom quid cupienter dari Petimus nobis.*
Ter. Heaut. 222 (II, 1, 10)	*ne ille* hauscit, quam *mihi nunc surdo* narret *fabulam.*
Heaut. 747 (IIII, 4, 25)	*Ne ille* hauscit, *hoc paullum lucri* quantum *eï damnum* apportet.
Pl. Amph. 336 (I, 1, 180)	Non *edepol nunc* ubi *terrarum* sim, scio, *si quis roget.*
Asin. 465 (II, 4, 59)	Sit, *non* sit, non *edepol* scio.
Ter. Hecyr. 192 (I, 2, 117)	Quid egerint *inter se,* nondum *etiam* scio.
Pl. Pseud. 567 (I, 5, 154)	Quo *id* sim *facturus* pacto, nil *etiam* scio.
Stich. 356 (II, 2, 32)	Quid sit, nil *etiam* scio.
Pseud. 962 (IIII, 2, 7)	Quotumas *aedis* dixerit, *id ego admodum* incerte [1] scio.

1) ita A teste Studemundo, *incerto* BCD »ex alia recensione«, ut me docuit Studemund in scholis collatis Epid. III 4, 69 et IIII 1, 18 ubi prorsus simili modo in A *incerte*, in B *incerto* scriptum esse ostendit; nec se

Pl. Epid. III, 4, 69 (494) Vbi habitet, dicere *admodum* incerte scio.[1]

Merc. 476 (II, 4, 7) Non tu scis, quantum *malarum rerum* sustineam.

Asin. 353 (II, 2, 86) *Ego pol Sauream non noui*, neque, qua *facie* sit, scio.

Trin. 850 (IIII, 2, 8) *Neque noui*, neque, *natus* necne fuerit, *id solide* scio.

Aul. IIII, 10, 35 (758) ... *nam neque ego aurum* neque *istaec aula* quae siet, Scio nec noui.

Epid. IIII, 1, 5 (518) neque *ea nunc* ubi sit, scio.[2]

Ter. Hecyr. 851 (V, 4, 11) *Nam neque in nuntio*, neque *in me ipso tibi boni* quid sit, scio.

Pl. Merc. 346 (II, 3, 12) Nec, quid *corde nunc consili capere* possim, Scio.

Rud. 208 (I, 3, 25) Nec *cibo nec loco tecta* quo sim, scio.

Ter. Hecyr. 279 (II, 3, 6) *Habui illam ac si ex me esset nata*, nec qui *hoc mi* eueniat, scio.

Hecyr. 569 (IIII, 1, 54) Nec qua *uia sententia eius* possit *mutari*, scio.

Pl. Asin. 182 (I, 3, 30) Neque *ille* scit, quid det, quid *damni* faciat.

Poen. prol. 97 neque scit, quae siet.

Ter. Eun. 374 (II, 3, 83) *Quandoquidem illarum neque te quisquam nouit* neque scit, qui sies.

Pl. Capt. 560 (III, 4, 28) *Quin suum ipse interdum ignorat nomen*, neque scit, qui siet.

Asin. 730 (III, 3, 140) Nec quid dicatis, scire, nec *me* quor ludatis, *possum*.

Capt. 969 (V, 3, 16) non *me censes* scire, quid *dignus* siem?

Anticipationis exempla haec sunt:

Pl. Cist. I, 3, 16 *Quoniam reum eius facti* nescit, qui siet.

---

dubitare addidit uir doctissimus, quin Asin. II 4, 60, ubi BD *incerto scio* praebent, in A *incerte scio* extiterit (notum est Asinariam fabulam in A totam periisse).

1) ita hic uersus duce A ex Studemundi recensione supplendus est.

2) *SCIO* A teste Studemundo, *nescio* B.

Pl. Poen. III, 3, 36 (640)	Nescimus *nos quidem istum*, qui siet.
Amph. 844 (II, 2, 214)	*Delenitus sum profecto ita, ut me,* qui sim, nesciam.
Pseud. 1212 (IIII, 7, 114)	Neque *istum Pseudolum*, *mortalis* qui sit, noui neque scio.
Men. 301 (II, 2, 27)	*Neque hercle ego habeo* neque *te*, qui *homo* sis, scio. [1])
Mil. 452 (II, 5, 42)	. . . neque *uos*, qui sitis *homines*, noui neque scio.
Epid. IIII, 2, 6 (561)	*Quia ego hanc*, quae siet, Neque scio neque noui.
Ter. Phorm. 355 (II, 3, 8)	Neque *eius patrem se* scire, qui fuerit? ‖ *Negat*.
	[‖ Nec *Stilponem ipsum* scire, qui fuerit? ‖ *Negat*.]
Trin. 1141 (V, 2, 17)	*Quem ego* nec, quis esset, noram *neque usquam conspexi prius*.
Ter. Andr. 503 (III, 2, 23)	Non *satis me* pernosti *etiam*, qualis sim, *Simo*.
Pl. Aul. 770 (IIII, 10, 47)	*Si me* nouisti minus, *Genere* qui sim *gnatus*.
Epid. 565 (IIII, 2, 10)	Nego *eam me* nouisse, quae sit.
Asin. 347 (II, 2, 80)	*Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae,*
	Viginti minas: sed se eum non nouisse *hominem*, qui siet.

Quodsi apparet priscos scriptores in his interrogationibus ex nesciendi uerbo pendentibus coniunctiuum ponere solitos esse, in nonnullis exemplis aut coniunctiuus restituendus aut indicatiuus aliter excusandus est:

Atque coniunctiuus cum libris restituendus erit in his exemplis:

1) Pl. Rud. 1040 (IIII, 3, 101) *Ne iste* hau scit, quam *condicionem* tetulit: *ibo ad arbitrum.*,

1) *QVI* A, *quis* reliqui.

tetulit indicatiuum editiones pleraeque, libri praebent *tetulerit* coniunctiuum; nisi *tetulerit* plenior forma retinenda est, et in eis quae secuntur corruptela latet, cum Luca Olchinensi *tulerit* breuior forma supponenda est:

Ne iste hau scit, quam *condicionem* tulerit: *ibo ad arbitrum.*

2) Epid. 449 (III, 4, 24) *Volo te uerbis pauculis,*
Si tibi molestum non est. || *Non edepol scio.*
Molestum non est, nil si dicis, quod uelis.

sic Geppert; Mueller, qui (Nachtraege zur plautin. prosodie p. 126) hanc lectionem commendat:

Non *edepol* scio, *Molestum*ne *an non* est, *nisi dicis, quid uelis.*,

cum hoc modo interrogationem ex *Non edepol scio* enuntiato primario pendere appareat, *sit* coniunctiuum scribere debebat. In B sic legitur hic uersus *Molestum non est nisi dicis quid uelis*; sed cum A teste Studemundo praebeat *MOLESTUMNECNE SITNIKILDICISQUODUELIS*, cum Studemundo scribendum erit:

Non *edepol* scio,
Molestum necne sit, *nisi dicis, quid uelis.*

3) Mil. 514 (II, 6, 34) *Ita sum coactus, Periplecomene, ut* nesciam,
Vtrum *me ⟨ex⟩postulare tecum aequom*st *prius,*
An, *si istaec non est haec, neque haec uisast mihi,*
Me expurigare haec tibi uidetur *aequius.*

515 *aequo sit* Ba, *aequom sit* Bb, *aequumst* CD, *aequom siet* Camerarius; *prius*, quod in libris ante *tecum* scriptum est, delebat Reiz, in fine uersus posuit Pylades. 517 *uidetur* libri, *uideatur* Camerarius. Cum B *aequom sit* (uel *aequom siet*) lectionem commendet, uix dubium est, quin Ritschelio saltem, qui uersus 516. 517 (qui in libris sic fere traduntur *Nisi istaec* (*ista hec* Ba, *istae* D) *non est haec neque istast mihi Me* (*Mea* Ba) *expurgare haec tibi uidetur aequius*) ex *nesciam* enuntiato primario pendere uellet, totus locus sic fere emendandus fuerit:

Ita sum coactus, Periplecomene, ut nesciam,
Vtrum *me expostulare tecum aequom* siet,
An, *si istaec non est haec, neque haec* [an *quae prius?*] *uisast mihi,*
Tibi expurigare me haec uideatur *aequius.*

sed totus locus liberius a Ritschelio temptatus necdum persanatus esse uidetur.

Praeterea in duobus exemplis coniunctiuus *inuitis libris* restituendus erit:

1) Pl. Merc. 431 (II, 3, 95) *At ego.* ‖ *Quin ego, inquam,* ‖ *Ah* nescis, quid *dicturus* sum:

sum praebent BCD; *sim* F recte, ut uidetur.

2) Mil. 1074 (IIII, 2, 87) Non *edepol tu* scis, *mulier,*
Quantum *ego honorem nunc illi* habeo.

item nescio an *habeam* coniunctiuus contra BCD librorum memoriam restituendus sit.

Inprimis denique notandi sunt aliquot uersus, ubi duo enuntiata secundaria ex eodem enuntiato primario pendent, in quorum posteriore indicatiuus extat, quamuis praecedat coniunctiuus in priore:

1) Ter. Andr. 649 (IIII, 1, 25) *Habeas.* ‖ *Habeam? ah* nescis, quantis *in malis* uorser *miser,*
Quantasque *hic suis consiliis mihi* conflauit *sollicitudines!*

(*confecit* BCDEGP; Donatus: »*confecit*] *Legitur et conflauit;*« et idem: »*Et cum uerser protulerit, conficiat debuit inferre. Est ergo* ἀνακόλουθον, *ut est illud* (IIII, 3, 38 sq.) *Principio amico filium restitueris, tibi generum firmum et filiae inuenies uirum*«).

Itaque in hoc exemplo *conflauit* (uel *confecit*) indicatiuum tamquam anacolutho quodam modorum erunt qui excusare conentur. Sane in posteriore enuntiato secundario iusta et propria structura fortasse eo facilius neglegi poterat, cum id ad retinendum indicatiuum ideo propensius esse uideretur, quia ad exclamationem prope accederet. Nam quominus confidentius *confexit* uel *conflarit* formam commendem, id me impedit, quod etiam in libris,

ex quibus Donatus Terentiana hausit, indicatiuus exaratus fuisse uidetur. In altero exemplo

2) Pl. Pers. 514 (IIII, 3, 45) *Tace, stultiloque*: nescis, quid *te* instet boni,
Neque quam *tibi Fortuna faculam lucrifica adlucere* uolt.

(*te instet* AB, *instet* CD; *NEQ·QUAM* A, *Nequiquam* BCD) praeterquam quod octonarius iambicus *Nequiquam tibi Fortúna faculam lúcrifica adlucére uolt*, quem Ritschl statuit, hoc loco displiceat, cum totius loci sententia *Neque quam* magis conuenire quam *Nequiquam* Haupt existimat[1]). Quod si recte perspexit uir doctissimus, alia existit difficultas, quod in priore enuntiatorum secundariorum, quae ex eodem enuntiato primario pendent, *instet* coniunctiuus, in posteriore *uolt* indicatiuus legitur. Sane hic quoque de modorum anacolutho aliquis cogitare possit, cum posterius enuntiatum secundarium enuntiati relatiui similitudinem quandam praebere uideatur. Huic tamen ex *nesciendi* uerbo, quod praecedit, *neque nouisti* locutio animo supplenda esset; id quod nimis artificiose statui uidetur. Atque Haupt quidem hunc indicatiuum Terentiano illo exemplo excusare studet; sed in eo exemplo fortasse *confexit* uel *conflarit* restituendum esse monui et duo similia, quae praeterea aliquo iure afferri posse uidebuntur, exempla ad hanc rem explicandam nihil faciunt: Alterum enim Most. 199, de quo infra dicetur, alius condicionis est; in altero Hec. 873

Ere, licetne scire ex te hodie, quid s i t, *quod feci boni,*
Aut quid istuc e s t, *quod uos agitis?* || *Non licet.*,

ubi editores difficultatem, quae exstat propter modos, ita euitare studuerunt, ut ante *Aut* particulam interrogationis signum ponerent, *sit* coniunctiuus restituendus erit, quia uerbis, quibus respondetur *Non licet* docemur, duo enuntiata secundaria eodem modo ex *Licetne scire* enuntiato primario pendere. Quam ob rem in Persae quoque u. 515 coniunctium restituendum esse existimo.

1) in Herm. III, p. 337. conf. Buechelerum in Jahn. annal. LXXXVII p. 783.

Atque coniunctiuus hunc solum in modum restitui poterit, ut *ulit* formam a Kochio alibi restitutam pro *uolt* substituamus:

Néque quam tibi Fortúna faculam lúcrifica adlucére ulit.

Nam audacius uerba e. g. sic transponere

Néque quam tibi adlucére fáculam uélit Fortúna lúcrificá,

nemo audebit.

2)

Interrogatio pendet ex aliusmodi enuntiatis negatiuis:

Ter. Andr. 737 (IIII, 3, 22) *Ego*, quid agas, nil intellego.

Ad. 308 (III, 2, 10) Non intellego *Satis*, quae loquatur.[1])

Hec. 614 (III, 3, 8) *Quia de uxore* incertus sum *etiam*, quid sim *facturus*. (*sum facturus* F, *sim acturus* A, *sim facturus* reliqui).

Pl. Truc. IIII, 3, 11 (773) *Etiam nunc*, quid sit *negoti*, falsus incertusque sum.

Ter. Hec. 675 (IIII, 4, 53) Ignarum *censes tuarum lacrumarum esse me,*
Aut quid sit *id, quod sollicitere ad hunc modum?*

Pl. Asin. 495 (II, 4, 88) *quom*, qualis sit, non nouit.

Publ. Syrus 67 *Bene dormit, qui* non sentit, quam *male* dormiat.

Pl. Trin. 227 (II, 1, 4) *Sed hoc* non liquet, nec *satis* cogitatumst, —
Amorin me an rei opsequi potius par sit:
Vtra *in parte plus* sit *uoluptatis uitae Ad aetatem agundam.*

Mil. 881 (III, 3, 8) *Meretricem commoneri* Quam *sane magni* referat, *mihi* clamst.[2])

Ter. Heaut. 95 (I, 1, 43) *Nunc* habeam necne, incertumst.

Heaut. 188 (I, 2, 14) *Quia enim* incertumst *etiam*, quid *se* faciat.

1) *LOQUITUR* A, *loquatur* BCDEFGP; uterque modus stare poterit, prout enuntiatum pro relatiuo aut pro interrogatiuo habebimus, conf. tamen infra (pag. 224) Epid. II, 2, 55; Merc. 707.

2) *mihi clamst* Lambinus, *nihil clamst* libri et Lorenz.

Pl. Asin. 35 (I, 1, 21)	Quid *istuc* aut ubi sit *istuc*, nequeo noscere.[1])
Trin. 92 (I, 2, 55)	*Sunt*, *quorum ingenia atque animos* nequeo noscere, *Ad amici partem* an *ad inimici* peruenant.
Merc. 839 (V, 1, 10)	*Vbi* qui *amici*, qui *infideles* sint, nequeas pernoscere.
Lucilius IIII, 1 (ed. Mueller)	*O lapathe, ut iactare* nec *es sati'* cognitu', qui sis.
Pacuuius (Ribb. Trag. 95, 151)	Nil coniectura *quiui* interpretarier, Quorsum *flexiuia dictio* contenderet.
Accius (Ribb. Trag. 217, 625)	*Qui* nequę, cuiatis esset, *umquam potuimus* *Multa erogitantes* sciscere.
Pl. Stich. 604 (IIII, 2, 24)	*Nisi me* non perspicere *censes*, quid agas.
Aul. I, 1, 15 (54)	Ne *me* obseruare possis, quid *rerum* geram.
Poen. III, 1, 54, 548)	non meminisse *nos ratu's*, Quomodo *trecentos Philippos Collybisco uilico* Dederis.
Aul. IIII, 9, 2 (706)	*equidem*, quo eam aut ubi sim aut qui sim, Nequeo *cum animo certum* inuestigare.
Most. 624 (III, 1, 99)	Non *ego nunc istuc* curo, qui sit, unde sit.
Mil. 168 (II, 2, 13)	..nihili facio, quid *illis* faciat *ceteris*.
Trin. 994 (IIII, 2, 152)	*Ceterum* qui sis, qui *non* sis, floccum non interduim.
Trin. 210 (I, 2, 173)	*Falson an uero* laudent, culpent, *quem uelint*, Non flocci faciunt.

Merc. prol. 15 *Quos edepol ego credo humanas querimonias*
Non tanti facere, quid uelint, quid non uelint.

Ennius (Ribb. Trag. p. 54, 271) *Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,*

---

1) BD praue exhibent: *Quid istuc est aut ubi istuc sit, nequeo noscere,* nisi quod *istud* priore loco B; ceterum uersus nondum recte constitutus esse uidetur.

	Sed eos non curare *opinor,* quid agat *humanum genus.*
Ter. Andr. 826 (V, 1, 7)	neque, quid *me* ores, cogitas.
Pl. Amph. 173 (I, 1, 19)	Nec, *aequom* anne *iniquom* imperet, cogitabit.
Ter. Heaut. 485 (III, 1, 76)	Neque *id* putabit, *prauom* an *rectum* sit: *petet.*
Publ. Syrus 15 *Amans, quid*	*cupiat, scit,* quid sapiat, non uidet.
Ter. Heaut. 643 (IIII, 1, 30)	*Melius peius,* prosit obsit, nil uident, *nisi quod lubet.*
Heaut. 1039 (V, 4, 16)	*quod abest* non quaeris, *patri* Quomodo obsequare et ut serues, *quod labore inuenerit.*
Pl. Men. 574 (IIII, 2, 5)	*Bonine an mali* sint, *id* hau quaeritant.
Amph. prol. 130	Hau *quisquam,* qui sim, quaeret, aut quid uenerim.
Truc. II, 7, 4 (550)	*Nam hoc* qui sciam, ne *quis id* quaerat *ex me.*
Corp. inscr. lat. I, 34	Ne quairatis, *honore* quei *minus* sit *mandatus.*
Pl. Men. 763 (V, 2, 11)	Nec quid *id* sit, *mihi* certius facit.
Stich. 32 (I, 1, 32)	*Quom ipsi interea,* uiuant, ualeant, Vbi sint, quid agant, ecquid agant, Neque participant *nos, neque redeunt.*
Ter. Hec. 618 (IIII, 3, 12)	. . *uerum tua* re fert nihil, utrum *illaec* fecerint.
Pl. Mil. 740 (III, 1, 145)	*Nil me* paenitet *iam,* quanto *sumptui* fuerim *tibi.*
Ter. Hec. 667 (IIII, 4, 44)	*Vxor* quid faciat, in manu non est *mea.*
Pl. Truc. I, 1, 3 (24)	Neque *eam* rationem *eapse umquam educet*[1]) Venus, — Quot *amans exemplis* ludificetur, quot *modis*

1) *educet* BCD, conf. Luchs supra p. 34.

Pereat, quotque exoretur *exorabulis*.

Epid. II, 2, 55 (231) Nec *satis* exaudibam, *nec sermonis fallebar tamen,* Quae loquerentur.

Merc. 707 (IIII, 3, 8) *Sed* quae loquatur, exaudire *hinc* non *queo*.

Ter. Eun. 699 (IIII, 4, 32) nec, quis esset, *umquam audieram* dicier.

Pl. Truc. IIII, 3, 42 (804) Numquam *te facere hodie quiui, ut, is* quis esset, diceres. [1]

Curc. 650 (V, 2, 50) Nec, quo *me* pacto abstulerit, *possum* dicere.

Ter. Eun. 1010 (V, 6, 9) Non *possum satis* narrare, quos *ludos* praebueris *intus*.

Eun. 659 (IIII, 4, 17) neque, *quom rogites*, quid sit, *audet* dicere.

Heaut. 155 (I, 1, 103) *Tu illum,* numquam ostendisti, quanti penderes.

Cato orig. IIII, 1 (Iord. p. 16, 16) Non *lubet* scribere, *quod in tabula apud pontificem maximum est,* quotiens *annona cara*, quotiens *lunae aut solis lumine caligo aut quid* obstiterit.

Coniunctiuus cum libris restituendus erit:

Pl. Amph. 172 (I, 1, 18) *Aequom ésse ⟨id⟩ putát,* non reputát, quid *labórist*.

libri praebent *Aequum esse putat non reputat laboris quid sit;* itaque coniunctiuus restituendus, uersus autem cum Studemundo (de cant. Plautin. p. 27) in dimetrum anap. cat. et penthemimeres iamb. dissoluendus erit:

Aequom ésse putat, non réputat, *Labóris* quíd sit. [2]

---

1) *quiui ut is* Camerarius, *ut quiuis* BCD.

2) Ad hanc quaestionem non pertinet, quod Fuhrmann (l. l. sentent. controu. II) hunc uersum interpolatum et totum locum sic scribendum esse causa nulla addita opinatur:

Dominus diues operis et expers laboris
Quodquomque accidit lubitu te posse retur . . .
Numquam aequom anne iniquom imperet, cogitabit.

Mil. 1262 (IIII, 6, 47) uulgo interpungitur: *Non uideo, ubist?* qua interpunctione cum *ubi sit* coniunctiuus flagitetur, sic potius interpungendum erit: *Non uideo. ubist?*

3)

Interrogatio pendet ex enuntiato primario, quod enuntiati negatiui locum obtinet, atque

a) ex uerbo *mirandi:*

Pl. Men. 337 (II, 2, 62)	*Sed* miror, qui *ille* nouerit *nomen meum.*
Stich. 268 (I, 3, 111)	miror, quid siet.
Ter. Phorm. 806 (V, 3, 23)	Miror, quid siet.[1]
Pl. Rud. 897 (IIII, 1, 6)	*Sed Gripus seruos noster* quid *rerum* gerat, Miror.
Ter. Eun. 290 (II, 2, 59)	Miror, qui *ex Piraeo* abierit.
Eun. 738 (IIII, 5, 12)	miror, ubi *ego huic* anteuorterim.
Heaut. 1004 (V, 3, 2)	*Idque adeo* miror, quomodo *Tam ineptum quicquam tibi uenire in mentem, mi uir,* potuerit.
Andr. 750 (IIII, 4, 11)	Miror, unde sit.
Pl. Amph. 765 (II, 2, 133)	*nimis* demiror, *Sosia*, Qui *illaec illi me donatum esse aurea patera* sciat.
Men. 706 (V, 1, 6)	Demiror, ubi *nunc* ambulet *Messenio.*
Stich. 266 (I, 3, 109)	Demiror, quid *illaec me ad se arcessi iusserit.*
Ter. Heaut. 362 (II, 3, 121)	*At hoc* demiror, qui *tam facile* potueris *Persuadere illi, quae solet quos spernere!*
Hec. 529 (IIII, 1, 14)	*sed* demiror, Quid sit, *quam ob rem tanto opere omnis nos celare uolueris.*
Pl. Asin. 51 (I, 1, 36)	Demiror, quid sit.
Ter. Ad. 642 (IIII, 5, 8)	*Ita: nam* mirabar, quid *hic negoti* esset *tibi.*

Pl. Aul. prol. 1 *Ne quis* miretur, qui sim, *paucis eloquar.*

Cato de r. r. CLVI, 23 *ut ipse* miretur, unde *tantum* siet.

---

1) Ita Fleckeisen, *quid hoc siet* ADF, *quid hoc est* BCEP.

Ter. Eun. 661 (IIII, 3, 19) *Nequeo* mirari *satis*, Quo *ille* ⟨*hinc*⟩ *abire ignauos* possit *longius*.

Pl. Amph. prol. 86 Mirari *nolim uos*, quapropter *Iuppiter Nunc histriones* curet.

Ter. Hec. 732 (V, 1, 6) *Credo edepol te non nihil* mirari, Bacchis, Quid sit, *quapropter te huc foras puerum euocare iussi*.

Pl. Men. 1046 (V, 7, 57) quid sit, mira sunt.

[ceterum dubito, num Plautus haec scripserit].

Amph. 858 (II, 2, 228) *Nimis ecastor facinus* mirumst, qui *illi conlubitum* siet *Meo uiro sic me insimulare etc.*

Amph. 954 (III, 2, 73) Mirum, quid *solus secum secreto ille* agat.

Ter. Heaut. 826 (IIII, 6, 22) *Sed pater egreditur. caue quicquam* admiratus *sis*, Qua causa *id* fiat.

Heaut. prol. 1 *Ne quoi sit uostrum* mirum, quor *partis seni Poeta* dederit, *quae sunt adulescentium*.

Pl. Stich. 674 (V, 3, 1) Mirum *uideri nemini uostrum uolo, spectatores*, Quid *ego hinc* . . . exeam.

Aul. IIII, 7, 17 (689) *Strobilum* miror, ubi sit. [1])

b) ex uerbo *timendi:*

Pl. Merc. 110 (I, 1, 109) timeo, quid siet.

Mil. 397 (II, 4, 44) Timeo, quid *rerum* gesserim.

Poen. V, 4, 79 (1238) *Misera* timeo, Quid *hoc* sit *negoti, mea soror*.

---

1) In duobus exemplis:

Ter. Phorm. 234 (II, 1, 4) *Quid mihi dicent aut quam causam reperient? Demiror* et

Pl. Rud. 613 (III, 1, 21) *Sed quid hoc in Veneris fano m(eae uiciniae)*
Clamoris oritur? animus mirat(ur meus),

indicatiui propterea excusandi uidentur, quod interrogatio, quae mera exclamatio est, per se utraque stat, neque ex eo quod sequitur enuntiato pendet.

Pl. Truc. IIII, 3, 46 (808) timeo, quam *mox* nominer.
Ter. Andr. 127 (I, 1, 100) *Quam* timeo, quorsum euadas!
Andr. 419 (II, 5, 8) *Nunc nostrae* timeo *parti*, quid *hic* respondeat.
Heaut. 620 (IIII, 1, 7) timeo, quid sit.
Phorm. 178 (I, 3, 26) *Is est ipsus: ei*, timeo *miser*, quam *hic nunc mihi* nuntiet *rem.*
Phorm. 607 (IIII, 3, 2) *ei mihi, Quam* timeo, *aduentus huius* quo inpellat *patrem.*
Pl. Truc. IIII, 3, 35 (797) *Iam* metuo, *patres* quot fuerint.
Ter. Eun. 758 (IIII, 6, 20) *Ah*, metuo, qualem *tu me esse hominem* existumes.
Heaut. 569 (III, 3, 8) *Vt equidem, ita me di ament*, metui, quid *futurum denique* esset!
Pl. Most. 395 (II, 1, 48) *Ei mihi, quam, istacc blanda dicta* quo euenant, *madeo* metu.
Trin. 1002 (IIII, 2, 160) *Nam epistulae illae mihi concenturiant* metum
In corde et illud mille nummum, quam rem aga⟨n⟩t.
Ter. Andr. 234 (I, 4, 7) uereor, quid siet.
Eun. 644 (IIII, 3, 2) *hoc* quid sit, uereor.
Andr. 176 (I, 2, 5) Verebar, quorsum euaderet.
Pl. Asin. 51 (I, 1, 36) quo euadat, *sum in* metu.
Ter. Heaut. 189 (I, 2, 15) Timet *omnia: patris iram et a n i m u m amicae, se erga* ut sit, *suae.*

c) ex aliis uerbis, in quibus sententia negatiua inest:

Pl. Mil. 793 (III, 1, 198) Erro, quam insistas *uiam.*
Publ. Syrus 152 *Etiam* obliuisci, quid sis, *interdum expedit.*
Pl. Trin. 321 (II, 2, 39) *Is probust, quem* paenitet, quam *probus* sit *et frugi bonae.*
Poen. I, 2, 71 (278) paenitet, *Exornatae* ut simus.
Ter. Heaut. 72 (I, 1, 20) »*Enim*« *dices* »quantum *hic operis* fiat, paenitet.«

Notandi sunt duo uersus, in quibus Palatini indicatiuos

prauos exhibent, solus codex Ambrosianus coniunctiuos seruauit, qui loquendi usu postulantur:

Pl. Bacch. 528 (III, 5, 3) *Nam illud animus meus* miratur, *si a me tetigit nuntius*, Quid remoretur.

REMORETUR A, *remoratur* Pall.

Pl. Cas. III, 6, 15 (531) *Face uentum, amabo, pallio.* || Timeo *hoc negoti* quid siet.

NEGOTIQUIDSIET A, *negotium quid est* B.

Coniunctiuus igitur reddendus erit et cum libris

Plauto Men. 384 (II, 3, 33) *Nimis* miror, quid *hoc* sit *negoti.* || *'Oboluit marsúppium.*

(Ritschl scripsit *quid hoc est negoti*, Bothe *quid hoc negoti est* proposuit, sed *sit negoti* praebent libri.)

et contra librorum auctoritatem fortasse

Accio (Ribb. Trag. 160, 191) *Ah*, dubito, quid agis: *caue, ne in turbam te inplices.*

ah dubito Nonii ed. 1526, *an dubito ha* libri, *haut dubito* Bothe 1, *at dubito* Bothe 2; *at dubita, quid agis* scribendum esse existimauit Maehly in annal. philol. LXV, p. 287, 1857 adnotans: »*dubitare*=*bedenken, ueberlegen*«; *ah, uide tu, quid agis* coniecit Vsener, quod ita correxerim, ut *ah, uide tu, quid agas* scribam; nam haec sententia *agas* coniunctiuum in enuntiato secundario non minus flagitat quam id, quod Ribbeck edidit et id, quod Maehly commendat (conf. supra pag. 206). Alias emendandi uias patere non nescio.

4)

Ex his interrogationibus eximendae et separatim percensendae sunt eae, quae ex *nescio* enuntiato primario pendent: in quibus quamuis et indicatiuus et coniunctiuus occurrant, certis tamen legibus constitutum est, uter quoque loco modus adhibendus sit. Atque

a)

indicatiuus in his interrogationibus quotiens occurrit, effectus est altera earum causarum, quibus indicatiuum in interrogationibus obliquis effici supra p. 119 monuimus: in his enim inter-

rogationibus pronomen interrogatiuum, quod est in enuntiato secundario, tam arte cum *nescio* enuntiato primario cohaeret, ut cum illo in unam fere uocem coalescat et *nescio quis, nescio quid etc.* locutiones cum pronominis indefiniti notionem acceperint, siue pro subiecto siue pro obiecto mediis enuntiatis inserantur. Atque interior ille sententiarum conexus et in ipsa enuntiatorum specie ac forma apparet: cum in uerborum collocatione, siquidem pronomen interrogatiuum et *nescio* enuntiatum primarium tertio uocabulo interposito (nisi sola *pol* interiectione) discerpi nequeunt, tum in ipsa *nescio quis, nescio quid etc.* locutionum prosodia, quod, ut A. Luchs docuit[1]), locutiones illae uocabulorum choriambicorum in modum adhibentur. Haec tamen structura nisi duabus condicionibus stare nequit, quibus solis artus illo *nescio quis, nescio quid etc.* uocabulorum conexus efficiatur. Ita enim hae interrogationes comparatae sint oportet, ut *nescio* enuntiatum primarium, siue grammaticam siue logicam spectes rationem, neque cum tertio quodam enuntiato cohaereat, neque maiore ui efferatur, immo enuntiati secundarii uerbis summa sententiae contineatur; deinde ut de actione, quae enuntiati secundarii uerbo exprimitur, iam non quaeratur sed constet et in solo pronomine interrogatiuo quaestio uertatur: Veluti cum dico *nescio quis hic loquitur*, loquentem aliquem audio, neque amplius de actione loquendi dubito, sed de persona loquentis adhuc incertus sum; nescio igitur, quis sit is, qui loquitur. Itaque in his interrogationibus neque totum enuntiatum secundarium in dubium uocatur, neque totum ex *nescio* enuntiato primario pendet, sed pars eius: nam *nescio* cum pronomine interrogatiuo solo ita coniungendum est, ut ad uerbum ipsum, quod a quaestione exemptum est, non pertineat. Atque eam ob causam in eiusmodi interrogationum enuntiato secundario indicatiuo suus locus est. Krueger[2]) hanc

---

1) in Herm. VI pag. 264 sqq. Conf. quae Key l. l. p. 279 § 1199 protulit: »The phrase *nesciō-qui-* is to be looked upon as a trisyllabic word partaking of the nature of an adjective. Hence there is no irregularity in the construction with an indicative«.

2) in gramm. lat. § 611, adn. 5.

structuram explicat uerbis his: »*In den saetzen mit* *nescio quis, nescio qui, nescio quid cet. mit folgendem indicativ, z. b. Prope me uescio quis loquitur Plaut. Pers. I, 3, 19, beruhet der indicativ eigentlich auf einer abkuerzung und zusammenziehung zweier saelze=prope me loquitur (aliquis), nescio quis (ille sit)*.« Confer praeterea Weissenborn in synt. lat. § 215 adn. 2.

α) Verbum *nescio* in capite sententiae positum est:

Pl. Merc. 369 (II, 3, 35) *Numquid tibi dolet?* || Nescio quid *meo animost aegre, pater.*

Rud. 848 (III, 6, 10) *Quis illas nunc illic seruat?* || Nescio quis *senex,*
Vicinus Veneris, is dedit *operam optumam.*

Truc. II, 3, 14 (333) *Sed quid haec hic autem tam diu ante aedis stetit?*
Nescio quem *praestolatast*: *credo militem.*

Epid. V, 2, 25 (673) *Tragulam in te inicere adornat:* nescio quam *fabricam* facit.

Aul. II, 1, 55 (175) *Sed eccum* ⟨*uideo*⟩. nescio unde[1]) *sese homo* recipit *domum.*

Mil. 166 (II, 2, 11) Nescio quid *malefactum a nostra hic familiast, quantum audio.*

Amph. 830 (II, 2, 200) Nescio quis *praestrigiator hanc* frustratur *mulierem.*

Amph. 424 (I, 1, 268) Nescio unde[1]) *haec hic* spectauit.

Pomponius (Ribb. Trag. 203, 99) Nescio quis, *molam quasi asinus,* urget *uxorem tuam.*[2])

Pl. Mil. 1281 (IIII, 6, 66) Nescio quis *eccum* incedit *Ornatu quidem thalassico.*

Men. 407 (II, 3, 55) Nescio quem ⟨*tu*⟩, *mulier, alium hominem, non me* quaeritas.[3])

---

1) *nescio⟨c⟩unde* dubitanter coniecit Studemund in scholis, conf. quae infra pag. 233 ad Epid. IIII, 1, 11 adnotaui.

2) conf. A. Luchs l. l. p. 268.

3) *Nescio quem* ⟨*tu*⟩ coniecit Studemund in scholis, ⟨*Nam*⟩ *nescio quem* Ritschl.

Ter. Ad. 79 (I, 1, 54)	Nescio quid *tristem* uideo.
Heaut. 620 (IIII, 1, 7)	Nescio quid *tristis* est.
Afranius (Ribb. Com. 185, 419)	Nescio qui *nostri miseritus⟨t⟩ tandem deus*.
Ter. Eun. 298 (II, 3, 7)	Nescio quid *de amore* loquitur.
Eun. 649 (IIII, 3, 7)	Nescio quid *profecto absente nobis turbatumst domi*.
Heaut. 625 (IIII, 1, 12)	Nescio quid *peccati* portat [1]) *haec purgatio*.
Pl. Men. 777 (V, 2, 27)	*Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit?*
	Nescio quid *uos uelitati* estis *inter uos duo*.
Trin. 622 (III, 1, 21)	*Sed generum nostrum ire eccillum uideo cum adfini suo.*
	Nescio quid *non satis inter eos* conuenit.
Merc. 684 (IIII, 1, 18)	Nescio quaest *mulier intus hic in aedibus*.
Ter. Andr. 855 (V, 2, 14)	Nescio qui *senex modo* uenit.
Pl. Capt. 837 (IIII, 2, 57)	Nescio quem *ad portum nanctus* es, *ubi cenes: eo fastidis*.[2])
Ter. Eun. 291 (II, 2, 60)	nescio quid circumspectat.
Pl. Stich. 477 (III, 2, 23)	Nescio quid *uer⟨b⟩o⟨rum⟩* habeo *in mundo*.
Ter. Phorm. 193 (I, 4, 16)	Nescio quod *magnum hoc nuntio* expecto *malum*.
Pl. Mil. 330 (II, 3, 59)	nescio quae *te, Sceledre, scelera* suscitant.
Merc. 864 (V, 2, 22)	Nescio quoia *uox ad auris mi* aduolauit.
Mil. 1258 (IIII, 6, 43)	Nescio ubi *hic prope* adest, *quem expeto uidere: olet profecto*.
Ter. Hecyr. 336 (III, 2, 1)	Nescio quid *iam dudum* audio *hic tumultuari misera*.

1) *portet* Eugraphius.

2) De numeris totius loci uide Studemundum, Herm. VI, p. 268.

Ter. Hecyr. 319 (III, 1, 39) Nescio quod *magnum malum Profecto, Parmeno, me* celas.

(Publ. Syrus 400 Nescio quid agitat, *cum bonum imitatur malus.*)?

In duobus exemplis uerba *nescio quae, nescio quid* interiectione *pol* inserta diuelluntur:

Pl. Aul. I, 1, 32 (71) Nescio *pol* quae *illunc hominem intemperiae* tenent.

Epid. I, 1, 59 (60) Nescio *pol*[1]) quid *tu timidu's: trepidas, Epidice.*

β) Verba *nescio quis, nescio quid* cett. tamquam pronomina indefinita siue obiecti siue subiecti loco mediis enuntiatis inseruntur:

Pl. Merc. 641 (III, 4, 56) *Non hominem mihi sed thensaurum* nescio quem memoras *mali.*

Asin. 285 (II, 2, 19) *Vinctos* nescio quos ait.

Merc. 122 (I, 2, 12) *Mali* nescio quid nuntiat.

Ter. Andr. 340 (II, 2, 3) *Laetus* est nescio quid.

Hecyr. 320 (III, 1, 40) *Vxorem Philumenam Pauitare* nescio quid dixerunt.

Pl. Pers. 844 (V, 2, 64) *Certo illi homines mihi* nescio quid *mali* consulunt, *quod faciant.*

Ter. Andr. 841 (V, 1, 22) *Et* nescio quid *tibi* sum *oblitus hodie, ac uolui, dicere.*

Pl. Amph. 331 (I, 1, 175) *Certe enim hic* nescio quis loquitur. ‖ *Saluos sum, non me uidet:*
»Nescio quem« *loqui autumat: mihi certo nomen Sosiaest.*

Pers. 99 (I, 3, 19) *Prope me hic* nescio quis loquitur.

Rud. 97 (I, 2, 9) *Prope me hic* nescio quis loquitur.

Bacch. 1104 (V, 1, 18) *Certo hic prope me mihi* nescio quis *loqui* uisust.

Amph. 1063 (V, 1, 11) *ibi* nescio quis *maxuma Voce* exclamat:

Mil. 174 (II, 2, 18) *Modo* nescio quis inspectauit *uostrum familiarium.*

---

1) *edepol* libri, *pol* Luchs l. l. p. 273.

Ter. Heaut. 510 (III, 1, 101) *A me* nescio quis exit.
Pl. Merc. 374 (II, 3, 40) *Verum in portum huc ut sum aduectus,* nescio qui *animus mihi* dolet.
Cas. III, 3, 18 (477) *Verum hic sodalis tuus, amicus optumus,* Nescio quid *se* sufflauit *uxori suae.*
Merc. 258 (II, 1, 34) *Conlubitumst illuc mihi* nescio qui *uisere.*
Merc. 365 (II, 3, 30) *Sollicitus mihi* nescio qua ⟨*de*⟩ *re*[1]) uidetur.
(Rud. 560 (II, 7, 2) *Hic in fano Veneris signum flentes amplexae tenent,* Nescio quem *metuentes miserae.*)
Most. 760 (III, 2, 73) *Nam sibi laudauisse hasce* ait *architectonem* Nescio quem, *esse aedificatas has sane bene.*[2])
Epid. II, 2, 7 (183) *Nam égo illum* audiui *in amórem haerére ápud* nescio quam *fidicinam.*
Men. 1002 (V, 7, 13) *Erum meum indignissume* nescio qui *sublimem* ferunt.
Epid. IIII, 1, 11 (523) *Noscito ego hanc, nam* uideor nescio ubi[3]) *uidisse me prius.*
Pseud. 693 (II, 3, 27) ducit nescio quem *secum semul.*
Pers. 227 (II, 2, 45) Habes nescio quid.
Pseud. 408 (I, 4, 15) *Verum is* nescio quo *pacto* praesensit *prius.*

---

1) *qua* ⟨*de*⟩ *re* Luchs l. l. p. 268, *qua re* ⟨*nunc*⟩ Ritschl.

2) Ita scripsi Palatinos secutus; alio ducere Ambrosianum dixit Studemund in scholis.

3) *nescio*⟨*c*⟩*ubi* dubitanter coniecit Studemund in scholis, simul monens in Probi appendice, in qua non paucas uulgares uerborum formas improbari constaret quae ex prisca latinitate per ora uulgi magis minusue fideliter propagatae essent, pag. 199, 16 (ed. Keil) legi »*nescio ubi non nesciocube*«: et cum Aul. II, 1, 55 et Amph. 424 (conf. de his uersibus supra pag. 230) *nesciocunde* formae numeri non obstarent, se non dubitaturum fuisse Plauto *nesciocubi* et *nesciocunde* formas uindicare, nisi grauiter obstaret septenarius iambicus Mil. 1258 *Nescio ubi hic própe adest, quem éxpetó uidére: olét profecto:* hunc enim uersum ad totius loci indolem iam bene quadrare, ut de corruptela cogitare audaculi esse uideretur.

Rud. 608 (III, 1, 16) *ibi ego* nescio quomodo *Iratus* uideor *mediam arripere simiam.*

Afranius (Ribb. Com. 157, 159) Dat *rustico* nescio cui, *uicino suo Perpauperi, cui dicat dotis paululum.*

Corp. inscr. lat. p. 254. n. 1306: *Quam nei esset, credo,* nescio (quei i)nueidit *deus.*

Pl. Bacch. 107 (I, 1, 74) *Semul hic* nescio qui *turbare* coepit [1]: *decedamus* ⟨*hinc*⟩.

Curc. 618 (V, 2, 48) *tum ibi* nescio quis *me* arripit.

Amph. 605 (II, 1, 58) *Huic homini* nescio quid est *mali mala obiectum manu.*

Rud. 482 (II, 5, 25) *Muliercula hanc* nescio quae *huc ad me* detulit.

Poen. I, 2, 132 (338) Sunt *mihi intus* nescio quot *nummi aurei lymphatici*

Poen. V, 2, 38 (987) *Doni* uolt *tibi Dare hic* nescio quid.

Ter. Heaut. 236 (II, 2, 7) *sed* nescio quid *profecto mi animus* praesagit *mali.*

Heaut. 759 (III, 5. 11) Videre *egisse iam* nescio quid *cum sene.*

Hecyr. 186 (I, 2, 111) Dixere *causam* nescio quam. *tum iterum iubet.* [2]

Hecyr. 304 (III, 1, 24) *Sed magnum* nescio quid *necessest euenisse, Parmeno.*

Hecyr. 383 (III, 3, 23) *Nam uitiumst oblatum uirgini olim ab* nescio quo *improbo.*

Hecyr. 826 (V, 3, 28) *postquam* ⟨*id*⟩ *uideo,* Nescio quid suspicarier, *magis coepi instare ut dicat. Homo se* fatetur *ui in uia* nescio quam *compressisse.*

Ad. 605 (IIII, 3, 14) *Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis* sunt nescio quomodo *Suspiciosi.*

Ad. 210 (II, 2, 2) *Quid istuc, Sannio, est, quod te* audio Nescio quid *concertasse cum ero?*

---

1) Hunc uersum male traditum eiciendum esse censuit Schneidewin in Philol. V p. 375 sq.

2) Conf. Luchs in Herm. VI p. 273.

Ter. Ad. 635 (IIII, 4, 27) Prodit nescio quis: *concedam huc.*
Afranius (Ribb. Com. p. 160, 190) *is cum filio* Coicerat nescio quid *de ratiuncula.*
Pacuuius (Ribb. Trag. p. 113, 294) *Sed* nescio quidnamst: *animi horrescit, gliscit gaudium.*

horrescit gliscit edd.; *horrescit et gliscit* libri Noniani; *horresco, gliscit* Bothius; *sed nescio quidnam est: animi horrescit, et ⟨tamen⟩ gliscit gaudium* Ribb. Trag. p. XLVI; *sed nescio quidnam est: animi gliscit gaudium* Buecheler: quae tamen emendationes omnes hoc uno euertuntur, quod si *quid* pronomen interrogatiuum cum *nam* particula coniungitur, *est* indicatiuus ferri nequit. Praeterea in hoc uersu prosodiam *nescio* uocabuli offensioni esse docuit Luchs [1]). Certa medela huic uersui afferri nequit, cum, quomodo haec sententia cum ceteris uersibus cohaeserit, nesciamus. *Nam est* uerba se non recte habere uidentur; fortasse praue exarata sunt pro *actumst* uel *factumst*:

Séd nescio quid *áctumst*: *ánimi horréscit*, *gliscit gaúdium*,

conf. Eun. 649. Hec. 304, uel corrupta sunt ex uocatiuo casu nominis alicuius:

Séd nescio quid, $\acute{-}$ ⏑, *ánimi* horréscit, gliscit *gaúdium*;

sane mihi quidem eiusmodi structurae hic locus esse uidetur, utpote quae ad depingendos animi affectus, quos unde proficiscantur ignorantes tamen sentimus, saepius adhibeatur ut Merc. 369. 374, Heaut. 236, Hec. 304 cett. Sed in sequentibus quoque uerbis uiri docti suo iure haesisse uidentur. Possit aliquis hanc fere huic uersui sententiam infuisse existimare:

Sed néscio quí *semul ánimi* horrescit *átque* gliscit *gaúdium*.

(de *qui* uide Afran. apud Ribb. Com. 185, 419, Pl. Merc. 374, 258 etc.) uel:

Séd nescio qui *meo éx animo horror* éxit, gliscit *gaúdium*.

Simili modo atque *nescio quis etc.* etiam *incredibile quantum* uerba fere in unam notionem coaluisse ideoque cum indicatiuo coniuncta esse uidentur:

---

1) Herm. VI p. 270.

Ter. Phorm. 247 (II, 1, 17) *O Phaedria,* incredibile quantum *erum* ante eo *sapientia.*

conf. Bentley ad h. l.; libri praebent *incredibilest*; Donatus haec adnotat: »*ante eo*] Legitur et *ante eo* (*ante eam*? Vmpfenbach), sed pronuntiatiuum *anteeo* pro *anteeam.*«

b)

Indicatiuum in eis, quas supra congessimus, interrogationibus eo effici apparet, quod *nescio* uerbum genuina notione debilitata cum pronomine interrogatiuo tam arte cohaeret et in unum fere uocabulum ita concrescit, ut enuntiati secundarii structuram afficere nequeat. Quod si recte monuimus, ubi *nescio* uerbum genuinam atque integram uerbi notionem prae se fert, id est: ubi non ita debilitatur, ut cum pronomine interrogatiuo in unam quasi notionem coeat, sed non sine ui effertur, neque cum solo pronomine interrogatiuo ita coniungendum est, ut ad uerbum omnino non pertineat, sed ad ipsum uerbum enuntiati secundarii cum pronomine interrogatiuo artissime coniunctum spectat, postremo ubi non pars interrogationis sed tota ex *nescio* enuntiato primario pendet interrogatio, fieri non potest, quin uerbum eadem lege atque in ceteris interrogationibus ex negatiuo enuntiato primario pendentibus modum coniunctiuum induat:

Pl. Most. 708 (III, 2, 19) *Atque pol* nescio, ut *moribus* sient
Vostrae: ⟨*at*⟩ *haec, sat scio, quam me habeat male,*
Peius posthac fore, quam fuit mihi.

Mil. 299 (II, 3, 28) Quid fuat *me,* nescio: *haec me uidisse, ego certo scio.*

Poen. I, 1, 44 (170) *Intellego hercle, sed* quo euadas, nescio.

Ter. Eun. 657 (IIII, 3, 15) *Ego illum* nescio, Qui fuerit:[1] *hoc, quod fecit, res ipsa indicat.*

Pl. Poen. III, 2, 14 (582) *Tum uos animum aduortite igitur: hunc uos lenonem Lycum*
Nouistis. ‖ *Facile.* ‖ *At pol ego eum,* qua sit *facie,* nescio.

---

1) *Qui fuit* Eugraphius in lemm., *ego nescio illum, Qui siet* Donatus in lemm.

Rud. 750 (III, 4, 45) *Nam⟨que⟩ huic alterae* quae *patria* sit, *profecto* nescio:
Nisi scio probiorem hanc esse quam te, inpuratissume.

Cist. IIII, 2, 6 *Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedis cistellam,*
Vbi *ea*[1]) sit, nescio: *Nisi, ut opinor, loca haec circiter excidit mihi.*

Ter. Heaut. 541 (III, 2, 30) *Iocon an serio ille haec* dicat[2]), nescio,
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

Pl. Mil. 518 (II, 6, 38) *Sicut etiam nunc* nescio, quid uiderim.

Bacch. 316 (II, 3, 82) *Immo etiam: uerum* quantum attulerit, nescio.

Bacch. 318 (II, 3, 84) *nec mihi credere Nec quoiquam in naui uoluit: eo ego* nescio,
Quantum *illim* attulerit.

Ter. Hecyr. 205 (II, 1, 8) *Me miseram, quae nunc*, quam ob rem accuser, nescio.

Pl. Amph. 1038 (IIII, 3, 4) *Quid opust me aduocato, qui,* utri sim *aduocatus,* nescio?[3])

Ter. Andr. 477 (III, 1, 19) *Ego,* quid narres, nescio.

Heaut. 944 (V, 1, 71) *Quin ego uero,* quam ob rem *id* facias, nescio.

---

1) In hoc exemplo, de cuius numeris nondum constat, et Truc. II, 6, 16 *Nunc amicam* (*Nunc ad amicam* Non.) *decumo mense post Athenas Atticas Viso, quam grauidam hic reliqui meo conpressu, quid ea agat,* ut uidetur, contra ea, quae supra pag. 107 not. 3 monuimus, accusatiui anticipati in enuntiatis secundariis casu nominatiuo repetuntur; sed coniunguntur in duobus his exemplis enuntiata primaria cum enuntiatis relatiuis: itaque conferenda sunt cum eis enuntiatis, quae ex illa lege eximenda esse ibidem monuimus. — Ceterum constat in hoc loco desperato Ritschelium proll. Trin. pag. 177 *Vbi edst, nescio* male scripsisse.

2) *ille haec* Bentley, *illaec* libri.

3) Ita hunc uersum scribo cum Vmpfenbachio (melet. plautin. p. 11). Fleckeisen Hermannum secutus scripsit: *Quid opus est med aduocato, qui me utri sim, nescio?*, quam emendationem Ritschl probauit (neue plautin. exc. p. 24).

Pl. Merc. 457 (II, 3, 120) Nescio, *inquam*, uelit *ille illam necne abalienarier*.

Most. 996 (IIII, 3, 4) *Sum circumuectus*: *ita*, ubi *nunc* sim, nescio.

Cas. II, 6, 61 (309) *Prae metu*, ubi sim, nescio.

Ter. Heaut. 308 (II, 3, 67) *Prae gaudio, ita me di ament*, ubi sim, nescio.

Pl. Trin. 849 (IIII, 2, 7) *Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego*, qui sit *homo*, nescio Neque noui.

Trin. 960 (IIII, 2, 118) *quem ego*, qui sit *homo*, nescio, *Neque oculis ante hunc diem umquam uidi, eine aurum crederem?*

Stich. 573 (IIII, 1, 67) *Namque edepol aliud quidem illi* quid *amica opus* sit, nescio.

Merc. 592 (III, 4, 5) redeat *an non*, nescio.

Naeuius (Ribb. Com. 22, 115) utrum *scapulae plus an collus calli* ⟨*iam*⟩ habeat, nescio.

Pl. Mil. 1265 (IIII, 6, 50) Nescio, *tu ex me hoc* audiueris *an non. nepos sum Veneris*.

Ter. Andr. 734 (IIII, 3, 19) Nescio, quid narres.

Pl. Amph. 353 (I, 1, 197) *At nunc abi sane, aduenisse familiaris dicito*.

|| Nescio, quam [*tu*] *familiaris* sis: *nisi actutum hinc abis*,

Familiaris accipiere faxo hau familiariter. [1])

Pl. Poen. IIII, 2, 34 (846) M. *Apage*: nescio, quid *uiri* [2]) sis. S. *Malus sum*. M. *Tibi sis. te uolo*. [3])

---

1) Suspicor totius loci naturae, cum minantis uerba sint, magis conuenire talem uersum: *At scin, quam tu familiaris sis? nisi actutum hinc abis*, etc. cf. § 2, A, 3.

2) *Nescio qui uir sis* Luchs in Herm. VI. p. 269.

3) Sic uerba inter Milphionem et Syncerastum colloquentes distribui. uulgo scribitur: M. *Apage*. S. *Nescio, quid uiri sis*. M. *Malus sum*. S. *Tibi sis*. M. *Te uolo*. Sed uerba *Apage: nescio, quid uiri sis* ab una eademque

Contradicit huic regulae uersus, in quo quamquam *nescio* uerbo *noui* opponitur, tamen in enuntiato interrogatiuo quod ex illo pendet indicatiuum libri Palatini tradunt:

---

persona pronuntiari opus est: primum propter ipsam sententiam: Milphio enim, seruus Agorastoclis, ex Syncerasto, lenonis seruo, qui domum properat, aliquid quaesiturus exclamat:

u. 29 M. *Heus, Synceraste!* S. *Syncerastum qui uocat?*
M. *Tuus amicus* S. *Haud amice facis, qui cum onere offers moram.*
M. *At ob hanc remoram tibi reddam operam, ubi uoles, ubi iusseris. Habe rem pactam.*

Syncerastus se auscultando operam daturum esse promittit:

S. *Si futurumst, do tibi operam hanc.*

Haec uorba *si futurumst* sic pronuntiantur, ut ad ea, quae praecedunt, relata significent *si id futurumst* (scil. *ut operam mihi reddas*), et cum eis quae secuntur coniuncta alteram (Syncerasti) condicionem indicent. Atque Milphio, qui alteram hanc sententiam in his uerbis inesse existimat (quasi Syncerastus dixisset *do tibi operam hanc, si futurumst...*), Syncerasti orationem tamquam interrumpens

M. *Quomodo?*

interrogat (i. e. *Quid si futurumst?* uel *Qua condicione?* Nam *Quomodo?* non ad *do tibi operam hanc* uerba sola pertinet, ut Naudeto uidetur, qui adnotat: »*Quomodo*, inquit Milphio, *operam mihi das?*«; id enim Milphio rogare nequit, utpote qui hanc sibi operam dari cupiat, ut Syncerastus maneat atque quid ipse uelit, audiat; immo haec interrogatio simul ad *si futurumst* uerba referenda est). Syncerastus respondet:

S. *Vt enim, mihi ubi uapulandumst* (scil. propter eam, quam mihi paras, remoram), *tute corium sufferas.*

Ad haec Milphio, quasi *ubi* uerbum non de hoc singulari casu dictum esset, sed Syncerasti uerba sic interpretatus, quasi is dixisset: *Vt enim, quotiens mihi uapulandumst, tute corium sufferas*, respondeat oportet:

M. *Apage: nescio, quid uiri sis.* (*itaque timeo, ne malus sis atque saepe tibi uapulandum, mihi corium sufferendum sit*). S. *Malus sum.* (*Itaque tuo iure times*). M. *Tibi sis* respondet, i. e. *ipsi tuo tergo supplicium arcesse*, et, ut iocandi deniquo finem faciat, addit: *Te uolo.* (cf. etiam Gronouium ad h. u.). Accedit quod ad *apage* imperatiuum saepe id additur, quo explicetur, cur aliquis apage dicat; conf.: Amph. 310 *Apage: non placet me hoc noctis esse: cenaui modo*, Most. 846 *Apage: non placet*, Mil. 210 *Apage: non placet profecto mihi illaec aedificatio*, Pseud. 653 *Apage te, Harpax: hau places*, Trin. 257 *Apage te, Amor: non places, nihil te utor*, Capt. 208 *Apage: hau nos id deceat Fugitiuos imitari*, Epid. V, 2, 8 *Apage illum a me: nam ille quidem Volcani iratist filius*, Most. 845 *Apage istum a me perductorem: nihil*

Pl. Men. 744 (V, 1, 44) Quem *tu* ⟨*med*⟩ *hominem* ⟨*esse*⟩ arbitrare, nescio,
Ego te simitu n o u i *cum Parthaone.*

Sed iam Luchs (in Hermae uol. VI pag. 266) *arbitrere* coniunctiuum recte restituit.

B)

Interrogatio pendet ex affirmatiuo enuntiato primario.

Huc pertinent eae interrogationes, quae ex *dicendi*, *sciendi*, *audiendi*, *uidendi aliis* uerbis pendent. In his apud priscos scriptores latinos in uniuersum eaedem leges ualebant, quae a scrip-

moror ductarier, Bacch. 372 *Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem*, Merc. 144 *Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quae aduenit*, Rud. 826 *Apage: controuersiast*, Most. 436 *Apage, apage te a me nunciam post hunc diem: Quod crediturus tibi fui, omne credidi*, Amph. 580 *Apage te a me:* ‖ *Quid (istuc) est negoti?* ‖ *Pestis te tenet, etc.* Cum ne in ceteris quidem locis (Trin. 838, Poen. I, 2, 15, Trin. 266, Eun. 756, Most. 697, Bacch. 73, Eun. 904, Cas. II 8, 23; Trin. 537) *Apage!* nude positum sit, nescio, an is locus, ubi *apage* secundum libros hoc modo usurpatur:

Trin. 523 St. *Primum omnium olim terra quom proscinditur,*
In quincto quoque sulco moriuntur boues.
Ph. *Apage.* St. *Acheruntis ostium in nostrost agro.*
Tum uinum, priusquam coctumst, pendet putidum.

mutandus sit. Sane facili negotio hic uersus sic possit emendari: Ph. *Apage: Accheruntis ostium in uostrost agro.* St. *Tum uinum* cett. Nam sententiam *Acheruntis ostium esse in agro* tamquam in prouerbii usum abiisse atque, sicubi ager esset calamitosus, de *Acheruntis ostio* uel de *Orco* Romanos olim locutos esse ex Varrone colligimus, qui de r. r. I, 4, 3: *Vtilissimus autem*, inquit, *is ager, qui salubrior est, quam alii, quod ibi fructus certus, contra quod in pestilenti calamitas, quamuis in feraci agro, colonum ad fructus peruenire non patitur. Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium uita*, et ex Bacch. u. 196 sqq.: *Egon', ut quod ab illo (me) attigisset nuntius, Non impetratum id aduenienti ei redderem? Regiones colere mauelim Accheruntica s.* Itaque Philto uerbis *Apage: Accheruntis ostium in uostrost agro*, per ironiam et quasi Stasimi uerbis plane confideret, optime respondere poterat ad ea, quae ille uu. 522. 523 narrauit, atque insuper hac ratione Stasimi oratio *primum-tum* particulis aptissime continuatur.

toribus optimae aetatis deinceps obseruabantur. Eodem enim modo atque in illis interrogationibus, quae ex negatiuo enuntiato primario pendent, enuntiato secundario — quod obiecti ad *dico*, *scio etc.* enuntiata primaria supplendi uice fungitur — uera sententia quasi circumscribendo exprimitur, atque ea, quae enuntiato secundario continentur, etsi non nesciuntur, tamen non absolute sed tamquam ex eius qui loquitur cogitatione pendentia pronuntiantur.

1)

Enuntiatum primarium uerbo *dicendi* simil. efficitur:

Ter. Ad. 429 (III, 3, 75) *Inspicere iubeo et* moneo, quid *facto usus* sit.

Pl. Amph. prol. 135 *ibi nunc meus pater* Memorat, *legiones hostium* ut fugauerit,
Quo *pacto donis* sit *donatus plurumis.*

Rud. 478 (II, 5, 21) *Nam haec litteratast: eapse* cantat, quoia sit.

Ter. Hec. 546 (IIII, 1, 31) *Id nunc res* indicium *haec facit*, quo pacto *factum* uolueris.

Pl. Rud. 431 (II, 4, 15) *Sapienti ornatus*, quid uelim, indicium *facit.*

Rud. 432 (II, 4, 16) *Meus quoque hic sapienti ornatus*, quid uelim, indicium *facit.*

Publ. Syrus 42. *Amicum* an *nomen* habeas, aperit *calamitas.*

Accius (Ribb. Trag. 172, 274) *Et* qualis fuerit, *fama* celebrescat *tua.*

Ter. Andr. 811 (IIII, 5, 16) . . . . . quam *id mihi* sit *facile atque utile,*
Aliorum exempla commonent.

Cato de r. r. CXVI *Lentim* quomodo *seruari* oporteat.

Cato de r. r. XX *Trapetum* quomodo *concinnare* oporteat.

Cato de r. r. CXXXVI *Politionem* quo pacto *dari* oporteat.

Cato de r. r. CXLIX Qua *lege pabulum hibernum uenire* oporteat.[1]

Pl. Merc. 940 (V, 2, 99) dico, quid *eo* aduenerim.

---

1) In his titulis Pseudocatonianis mente supplendum est *exponitur* uel simile quid.

Pl. Cist. II, 3, 7 Dico *ei*, quo pacto *eam ab hippodromo* uiderim *Erilem nostram filiam sustollere*.

Curc. 608 (V, 2, 10) Dixi *equidem tibi*, unde *ad me hic* peruenerit.

Mil. 1097 (IIII, 3, 4) dixi *equidem tibi*, Quo pacto *id fieri* possit *clementissume*.

Ter. Hec. 145 (I, 2, 70) Narrat*que*, ut *uirgo ab se integra etiam tum* siet.

Ad. 364 (III, 3, 10) *Omnem rem modo seni*, Quo pacto haberet, enarramus *ordine*.

Pl. Rud. prol. 64 *Adulescenti alii* narrant, ut *res gesta* sit.

Ter. Hec. 582 (IIII, 2, 6) *Nam mihi intus tuus pater* narrauit *modo*, quo pacto *me* habueris.

Pl. Most. 1124 (V, 2, 3) Quo*que* modo *hominem ad⟨uenientem⟩ seruos ludificatus* sit (scil. narrauit).

Ter. Andr. 490 (III, 2, 10) *Non* imperabat *coram*, quid *opus facto* esset *puerperae*,
Sed postquam egressast, etc.

Cato de r. r. CLI, 1 *Semen cupressi*, quando *legi seri propagarique* oporteat, *et* quo pacto *cupressata seri* oporteat, *Manius Percennius Nolanus ad hunc modum* monstrauit.

Ter. Heaut. 7. prol. *Nouam esse* ostendi, *et* quae esset.

Heaut. 384 (II, 4, 4) *Nam mihi*, quale *ingenium* haberes, *fuit* indicio *oratio*.

Pl. Merc. 10 (I, 1, 10) *Sed ea* ut sim[1]) *implicitus*, dicam.

Trin. prol. 6 *Nunc igitur primum*, quae *ego* sim, *et* quae *illaec* siet, ... dicam, *si animum aduortitis*.

Asin. prol. 6. *Nunc* quid processerim *huc et* quid *mihi* uoluerim, Dicam.

Cato libr. ad filium 1 (Jord. p. 77, 1) Dicam *de istis Graecis suo loco, Marce fili*, quid *Athenis exquisitum* habeam *et* quod *bonum* sit *illorum litteras inspicere non perdiscere*.

---

1) *ea* Lambinus, *eam* libri Palatini.

Pl. Most. 932 (III, 3, 28) Dicam, ut *hic res* sint *quietae atque hunc* ut *hinc* amouerim.

Cist. II, 3, 23 *Sed* ut sit, *de ea re* eloquar.

Capt. prol. 5 *Sed is*, quo pacto seruiat *suo sibi patri*. *Id ego hic apud uos* proloquar.

Ter. Heaut. prol. 10 *Nunc* quam ob rem *has partis* didicerim, *paucis* dabo.

Pl. Asin. 88 (I, 1, 75) *Nunc* uerba *in pauca* conferam, quid te uelim.

Ter. Phorm. 715 (IIII, 5, 3) Quoi dem *et* quam ob rem dem, commemorabo.

Lucilius V, 1 (Gerl. p. 17) Quo *me* habeam pacto, *tametsi non quaeri'*, docebo.

Ter. Andr. 867 (V, 2, 26) Ostendam, *erum* quid sit *pericli fallere*.

Pl. Curc. 467 (IIII, 1, 6) Commonstrabo, quo *in quemque hominem facile* inueniatis *loco*.

Pseud. 750 (II, 4, 60) *Vbi te aspexerit*, narrabit *ultro*, quid *sese* uelis.

Ter. Phorm. 580 (IIII, 1, 14) Quo pacto *aut* unde *mihi* sit, dicundum *ordinest*.

Pl. Asin. 560 (III, 2, 14) memorari *multa possunt*, Vbi *fidentem* fraudaueris, ubi *ero infidelis* fueris, etc.

Asin. 567 (III, 2, 21) *Verum edepol etiam tua quoque male facta* iterari *multa*
Et uero possunt: ubi *sciens fideli infidus* fueris, etc.

Merc. prol. 35 *Quia nullus usquam amator adeost callide*
Facundus, quae *in rem* sint *suam, ut possit* loqui.

Trin. 655 (III, 2, 29) *Omnia ego istaec, quae tu dixti,* scio, *uel* exsignauero:
Vt *rem, patriam et gloriam maiorum* foedarim *meum*.

Amph. prol. 41 *Nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis*
Vidi Neptunum, Virtutem, . . . commemorare, quae *bona Vobis* fecissent?

Cato orat. XXXVI, 1 (Jord. p. 55, 9) Dicere *possum*, quibus *uillae atque aedes aedificatae atque expolitae maximo opere citro atque ebore atque pauimentis Poenicis* sient.

Ter. Phorm. 396 (II, 3, 49) *ego tum, quom aduenissem*, qui *mihi Cognata ea* esset, dicerem.

Heaut. 336 (II, 3, 95) *Si tibi* narrem, quam ob rem *id* faciam.

Pl. Truc. IIII, 2, 11 (711) *Vt* narrem, quae uolim.[1])

Ter. Heaut. prol. 7 . . . *nunc* qui scripserit *Et* quoia *Graeca* sit, *ni partem maxumam Existumarem scire uostrum, id* dicerem.

Pl. Amph. 195 (I, 1, 40) *haec ut* nuntiem *uxori suae*, Vt gesserit *rem publicam.*

Men. 1083 (V, 9, 24) *Nam et patriam et patrem* commemorant *pariter*, qui fuerint *sibi*.

Men. 881 (V, 3, 5) *Ne me* indicetis, qua *platea hinc* aufugerim.

Ter. Heaut. 284 (II, 3, 43) *Quae cuiusque ingenium*, ut sit, declarat *maxume.*

Pl. Trin. 236 (II, 1, 10) *Omnium primum Amoris arteis* eloquar, quemadmodum *se* expediant.

Ter. Eun. 307 (II, 3, 16) *Nunc, Parmeno, te* ostenderis, qui *uir* sies.

Contradicunt huic regulae, qua in eiusmodi enuntiatis coniunctiuus flagitatur

1) Pl. Poen. V, 1, 75 (1234) *Ei* praedicabo, quomodo *uos furta* facitis *multa*
Quoque modo *huius⟨ce⟩ filias apud uos* habetis *seruas.*

libri praebent: *faciatis* B C(?), *F[ACIA]TIS* A teste Studemundo, *facitis* D et Hermann; *KABEATIS* A teste Studemundo et CD, *habetis* B. Itaque non dubito, quin coniunctiuis seruatis scribendum sit:

Ei praedicabo, quomodo furta faciatis multa
Quoque modo huius⟨ce⟩ filias apud uos habeatis seruas

---

1) *uolo* Dc et Geppert, *uolom* B, *uolli* C, *uolu* Da, *uolim* Spengel.

(uel *huius umbas* pro *huius⟨ce⟩* cum Muellero »nachtraege« pag. 131).

2) Merc. 782 (IIII, 4, 42) *Fortasse illum te mirarier,*
Quod uenit atque haec attulit: dicam quid est.

dicam quid est libri Palatini, sed *DICAMIDQUIDEST* teste Studemundo A praebet, quo fere duce fortasse scribendum erit: *dicam id, quod est*, i. e. uera dicam. conf. Epid. I, 1, 17 et Brixium in annal. philol. 1870 p. 762 ad Amph. 792.

3) Most. 1039 (IIII, 3, 45) Ritschl edidit:

SI. *Sume.* TH. *Eadem ego opera haec ⟨intus⟩ tibi* narrauero,
Quis *me hodie exemplis ⟨ille⟩ ludificatus* est.

Librorum Palatinorum lectionem et uarias uirorum doctorum coniecturas collegit Ritschl in adnot. (conf. etiam Mueller in prosodia Plautina p. 507). Certa medela nondum excogitata est. In fine alterius senarii *sit* pro *est* corrigendum esse uidetur, quoniam de pronomine relatiuo uix ac ne uix quidem cogitari potest.

4) Trin. 163 (I, 2, 126) *Quid tibi ego* dicam, qui *illius sapientiam*
Et meam fidelitatem et celata omnia
Paene ille ignauos funditus pessum dedit.

dicam? qui uulgo interpungebatur; Brixio, qui *dicam, qui* (i. e. *quomodo*) scribit, loquendi usus obstat: nam haec structura in interrogatione obliqua uerbi coniunctiuum flagitat. Fortasse *quin* pro *qui* scribendum est.

5) Caecilius Statius (Ribb. Com. p. 35, 42) *nam* quam *duriter*
Vos educauit *atque asperiter*, non negat.

atque aspere libri Noniani, *atque asperiter* Bothe, *aspereque* Spengel, *quin quam . . . . . educarit etc.* Bothe, *nam quin dúriter Atque áspere uos educarit, non negat* Grauert. Vix dubito, quin cum Bothio *educarit* coniunctiuus corrigendus sit.

2)

Interrogatio ex *uidendi* uerbo pendet:

Pl. Epid. I, 1, 75 (78) quo *in loco haec res* sit, uides, *Epidice.*
Ter. Heaut. 555 (III, 2, 44) quae sit *eius aetas,* uides.
Phorm. 446 (II, 4, 6) Videtis, quo *in loco res haec* siet.

Mummius (Ribb. Com. 231, 1) *Ad spectacula est* uidere, *in testu* quantum sit *caput.*

Pl. Mil. 158 (II, 2, 3) *Mi equidem iam* arbitri *uicini* sunt, *meae* quid fiat *domi.*

Rud. 573 (II, 7, 15) *At* uides *me*, *ornatus* ut sim *uestimentis uuidis.*

Truc. II, 5, 11 (459) *Vosmet iam* uidetis, Vt *ornata* incedo. *puerperio ego nunc me esse aegram adsimulo.*

Sic uulgo interpungitur; sed cum haec interpunctio *incedam* coniunctiuum contra libros Palatinos postulet, atque insuper hac interpunctione sensus minus aptus efficiatur, praestabit cum Studemundo (zeitschr. fuer gymnasialw. Berolini 1864 uol. XVIII pag. 540) sic interpungere: *Vosmet iam uidetis: Vt ornata incedo, puerperio Ego nunc me esse aegram adsimulo.* Itaque *ut ornata incedo* uerba arte cohaerent cum *puerperio . . . adsimulo* enuntiato proxime sequenti, quod quamquam et ipsum ex *uosmet iam uidetis* enuntiato primario per obliquam orationem pendere par est, tamen more Plautino oratione recta iuxta enuntiatum illud primarium positum est (conf. Holtzii syntaxis prisc. script. lat. uol. II. p. 227, 11). *Vt ornata incedo* enuntiati structura eadem est atque e. g. Pseud. 979: *Vt uestitu's, perforator parietum* (scil. *uidere* uel *es*).

3)

ex *audiendi* uerbo:

Ter. Andr. 936 (V, 4, 33) *post ibi nunc primum* audio, Quid *illo* sit *factum.*

Pl. Amph. 745 (II, 2, 113) *Quippe ex te* audiui, ut *urbem maxumam* Expugnauisses[1]) *regemque Pterelam tute* occideris.

Ter. Hec. 607 (IIII, 3, 1) Quem *cum istoc sermonem* habueris, *procul hinc stans* accepi, *uxor.*

Pl. Poen. V, 7, 33 (1388) *Quantum* audiui *ingenium et mores eius*, quo pacto sient.

---

1) Ceterum expectes *Expugnaueris.*

4)

Enuntiatum primarium *sciendi* uerbo efficitur:

Pl. Amph. prol. 58 Teneo, quid *animi uostri super hac re* siet.

Poen. III, 5, 23 (759) *iam* teneo, quid sit: *perspexi modo.*

Ter. Andr. 498 (III, 2, 18) Teneo, quid erret, *et quid agam, habeo.*

Pl. Bacch. 890 (IIII, 8, 49) *Iam dudum hercle equidem* sentio, *suspicio* Quae *te* sollicitet.

Trin. 615 (III, 1, 14) *Propemodum*, quid *illic* festinet, sentio et subolet *mihi.*

Trin. 636 (III, 2, 10) *Sat sapio, satis, in rem* quae sint *meam, ego* conspicio *mihi.*

Ter. Heaut. 548 (III, 2, 37) *Etenim* quo pacto *id fieri* soleat, calleo.

Pl Men. 755 (V, 2, 3) *Sed id* quam *facile* sit *mihi,* hau sum falsus.

Ter. Andr. 520 (III, 2, 40) Scimus, quam *misere hanc* amarit.

Pl. Pers. 333 (III, 1, 5) Quoi *rei opera* detur, scis, tenes, intellegis.

Merc. 572 (III, 3, 11) scis, quid *acturus* siem.

Pseud. 109 (I, 1, 107) Scis *tu quidem hercle, mea si commoui sacra,*
Quo pacto et quantas soleam *turbelas dare.*

Ter. Eun. 127 (I, 2, 47) *tute* scis *postilla,* quam *intumum* Habeam *te* et *mea consilia* ut *tibi* credam *omnia.*

Andr. 35 (I, 1, 8) ut *semper tibi* *Apud me iusta et clemens* fuerit *seruitus,* Scis.

Heaut. 237 (II, 2, 8) *Pergin istuc prius diiudicare, quam* scis, quid *ueri* siet?

Pl. Curc. 435 (III, 65) *iam* scis, ut conuenerit.

Pseud. 216 (I, 2, 81) tenes, Quosum *haec* tendant, *quae loquor.*

Capt. 958 (V, 2, 5) *Propemodum,* ubi *loci fortunae tuae* sint, *facile* intellegis.

Pl. Pers. 187 (II, 2, 5) *Equidem*, *si* scis *tute*, quot *hodie* habeas *digitos in manu*,
Egon dem pignus tecum?

Ter. Andr. 287 (I, 5, 52) Nec clam te est, quam *illi nunc utraeque inutiles*
Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.

Pl. Poen. III, 1, 71 (565) *Mittite istaec:* quid uelim *uos*, scitis.
Pers. 714 (IIII, 7, 1) *Ille quidem iam* scit, quid *negoti* gesserit.
Aul. prol. 29 *Is* scit *adulescens*, quae sit, *quam compresserit.*
Rud. prol. 16 *Cotidie ille* scit, quis *hic* quaerat *malum.*

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 126, 377) *Ad manticulandum astu aggreditur:* scit *enim*, quid promeruerit.

Publ. Syrus 15 *Amans*, quid cupiat, scit, *quid sapiat, non uidet.*

Pl. Mil. 1012 (IIII, 2, 21) *Homo quidamst, qui* scit, *quod quaeris*, ubi sit.

Ex inc. inc. fab. (Ribb. Trag. 264, 194) *Quae* quam sint *cara*, *post carendo* intellegunt,
Quamque *attinendi magni dominatus* sient.

Pl. Truc. II, 3, 16 (336) *quasi uolturii triduo Prius* praediuinant, *de* quoio *esuri* sient. [1]
Trin. 657 (III, 2, 31) Scibam, ut *esse me* deceret, *facere non quibam miser.*

Ter. Eun. 1004 (V, 6, 3) *Mihi solae ridiculo fuit*, *quae*, quid timeret, scibam.

Pl. Truc. IIII, 3, 4 (766) Commemini, quo *quicque* pacto sitis *confessae:* scio.
Mil. 867 (III, 2, 53) *Modo* intellexi, quam *rem mulier* gesserit.
Asin. 37 (I, 1, 23) *Modo pol* percepi, *Libane*, quid *istuc* sit *loci.*
Merc. 294 (II, 2, 23) *Modo hercle* in mentem uenit, quid *tu* diceres.
Rud. 1026 (IIII, 3, 87) repperi, quo pacto *nec fur nec socius* sies.

---

1) *de quoio* Bergk »Beitraege zur lat. gramm.« p. 60, *quodie* BCD.

Pl. Epid. II, 2, 100 (277) repperi, *a te* qui abscedat *suspicio*.
Pacuuius (Ribb. Trag. p. 89, 101) Inueni, *opino, Orestes* uter esset, *tamen*.
Pl. Capt. 145 (I, 2, 42) Expertus, quanti fuerit, *nunc desidero*.
Truc. III, 2, 13 (669) Intellexisti *lepide*, quid *ego* dicerem.
Turpilius (Ribb. Com. p. 74, 13) nosti, quam sit *gracili corpore*.
Pl. Truc. IIII, 3, 2 (764) *Propemodum* expertae estis, quam *ego* sim *mitis tranquillusque homo*.
Cato de r. r. II, 1 *Vbi* cognouit, quomodo *fundus cultus* siet, *operaque* quae *facta infectaque* sient, *postridie eius diei uilicum uocet*.
Pl. Mil. 1365 (IIII, 8, 55) *tum demum* scibis, *tibi* qui *bonus* sit, qui *malus*.
Ter. Heaut. 996 (V, 2, 43) *Aut* scibis, quoius sis.
Pl. Cist. II, 1, 20 *Tu iam, si quid tibi dolebit*, scies, qua doleat *gratia*.
Pseud. 49 (I, 1, 47) *ex tabellis iam faxo* scies, Quam *subito argento mi usus inuento* siet.
Ter. Andr. 536 (III, 3, 4) *et* quid *te ego* uelim *et tu quod quaeris*, scies.
Pl. Aul. IIII, 10, 43 (766) *atqui id si* scies, Qui abstulerit, *mihi indicabis?*
Ter. Andr. 49 (I, 1, 22) *et consilium meum* Cognosces, *et* quid *facere in hac re te* uelim.
Cato de r. r. V, 5 *Si fecerit*, scibit, *in mente familiae* quid siet.
Pl. Capt. 406 (II, 3, 46) *haec pater quando* sciet, *Tyndare*, ut fueris *animatus erga suum gnatum atque se*, —
Poen. II, 16 (454) *Cum* scibunt, *Veneri* ut adierit *leno manum*.
Ter. Hec. 790 (V, 2, 24) *At haec amicae erunt, ubi* quam ob rem adueneris, resciscent. [1]
Pl. Bacch. 1160 (V, 2, 41) *etsi iam ego ipsus*, quid sit, *prope* scire *puto me*.

---

1) Hunc septenarium iambicum — si Terentianus est — corruptum esse docent numeri in fine prioris coli.

Mil. 95 (II, 1, 15) *Id uolo uos* scire, quomodo *ad hunc* deuenerim.

Pl. Stich. 419 (III, 1, 18) *Ere, si ego taceam seu loquar, scio* scire *te*,
Quam *multas tecum miserias* mulcauerim.

Amph. prol. 104 *Nam ego uos* nouisse *credo iam*, ut sit *meus pater*,
Quam *liber harum rerum et multarum* siet,
Quantusque amator.

Ter. Eun. 930 (V, 4, 8) *puto palmarium Me* repperisse, quomodo *adulescentulus*
Meretricum ingenia et mores posset noscere.

Pl. Pseud. 684 (II, 3, 18) *quasi*, quid *in rem* sit, *possimus* noscere.

Afranius (Ribb. Com. p. 170, 279) *Vt* scire *possis*, adquo *te* expediat *loqui*.

Pl. Capt. 283 (II, 2, 33) *Nunc* uiuatne *necne*, *id Orcum* scire *oportet scilicet*.

Cist. IIII, 2, 51 *Hanc* scire *oportet*, *filia tua* ubi sit, *signa ut dicit*.

Ter. Eun. 938 (V, 4, 16) Quam *inhonestae solae* sint, . . . Quo pacto . . . *panem atrum* uorent,
Nosse . . . *salus est adulescentulis*.

Heaut. 279 (II, 3, 38) *Hic* sciri *potuit*, *aut nusquam alibi, Clinia*,
Quo *studio uitam suam te absente* exegerit.

Andr. 922 (V, 4, 19) *Nam ego*, *quae dico*, *uera* an *falsa* audierim, *iam* sciri *potest*.

Hec. 573 (IIII, 1, 58) *Neque detractum ei est quicquam*, *qui post possit* nosci, qui siet.

Publ. Syrus 480 *Paucorum est* intellegere, quid donet *dies*.

Cato de r. r. prooem. 1 Quanto *peiorem ciuem* existimarint *faeneratorem*, *quam furem*, *hinc licet* existimari.

Lucilius (Gerl. p. 79, 1) *Virtus* scire *homini rectum*, *utile*, quid sit *honestum*.

Pl. Capt. 248 (II, 1, 51) *Atque ut*, qui fueris *et* qui *nunc* sis, meminisse [*ut*] *memineris*.

Ter. Hec. 296 (III, 1, 15) *Iam in hac re, ut taceam, quoiuis facile* scitus*t*, quam fuerim *miser*.

Pomponius (Ribb. Com. p. 208, 138) *Si* sciam, quid uelis[1]), *quasi serui comici conmictilis*.

Pl. Rud. 1312 (V, 2, 24) *Quid, si ego* sciam, qui inuenerit?

Men. 644 (IIII, 2, 81) *Et* quid *tristis* ⟨sim⟩ *et* quid *hic mihi* dixerit, *faxo* scias.

Asin. 140 (I, 2, 14) *Ego edepol te faciam, ut* quae sis *nunc et* quae fueris, scias.

Asin. 902 (V, 2, 50) *faxo* scias, Quid *pericli* sit *dotatae uxori uitium dicere*.

Trin. 63 (I, 2, 24) *Ne tu hercle faxo* hau nescias, quam *rem* egeris.

Bacch. 989 (IIII, 9, 69) *Vt* scias, quae *hic scripta* sint.

Ennius (Ribb. Trag. p. 69, 369) *Namque regnum suppetebat mi, ut* scias, quanto *e loco*,
Quantis *opibus*, quibus *de rebus lapsa fortuna* occidat.

Ter. Heaut. 449 (III, 1, 40) *nam ut tu* scias, Quam *ea nunc instructa pulchre ad perniciem* siet.

Pl. Amph. 524 (I, 3, 26) *Ex me primo ut prima* scires, *rem* ut gessissem *publicam*.

Ter. Eun. 355 (II, 3, 64) *Immo si* scias, quod *donum huic dono contra* conparet, —

Pl. Curc. 321 (II, 3, 42) *Immo si* scias, *reliquiae* quae sint.

Ter. Heaut. 764 (IIII, 5, 16) *At si* scias, quam *scite in mentem* uenerit.

Publ. Syrus 375 *Minus saepe pecces, si* scias, quid nescias.[2])

Ter. Andr. 731 (IIII, 3, 16) *ut* quid agam *porro* intellegas.

Hec. 288 (III, 1, 8) *At sic citius*, qui *te* expedias *his aerumnis*, reperias.

---

1) An fuerat *ulis?*

2) *quod* F, *quid* editores ante Woelfflinum.

Naenius (Ribb. Com. p. 25, 130) *tam etiam* sciat, Quid *scriptum* sit.
Pl. Amph. 185 (I, 1, 31) *ut,* quid *se* sit *dignum*, sciat.
Ter. Phorm. 463 (II, 4, 23) *At ego Antiphonem quaeram, ut* quae *acta hic* sint, sciat.
Pl. Asin. 744 (III, 3, 154) *De argento si mater tua* sciat, ut sit *factum*.
Pseud. 725 (II, 4, 35) *Callidum, doctum, qui, quando principium prehenderit,*
Porro sua uirtute teneat, quid *se facere* oporteat.
Capt. 817 (IIII, 2, 37) *Vt* sciant, *alieno naso* quam exhibeant *molestiam.*
Poen. III, 1, 49 (543) *Hos te satius est docere, ut, quando agas*, quid agas, sciant.
Pseud. 275 (I, 3, 41) *Heia,* scimus *nos quidem te,* qualis sis: *ne praedices.*
Asin. 60 (I, 1, 45) *Verum meam uxorem, Libane*, scis, qualis siet.
Accius (Ribb. Trag. p. 138, 19) *sed tu huic, quem* scis, quali *in te* siet *Fidelitate, ob fidam naturam uiri Ignosce.*
Pl. Epid. III, 2, 41 (368) *Haec* scitis *iam*, ut *futura* sint.
Rud. 293 (II, 1, 4) *Nos iam de ornatu propemodum*, ut *locupletes* simus, scitis.
Bacch. 786 (IIII, 6, 16) Nosces *tu illum actutum*, qualis sit.
Bacch. 826 (IIII, 7, 28) *Quom illum* rescisces *criminatorem meum*, Quanto *in periclo et* quanta *in pernicie* siet.
Trin. 283 (II, 2, 7) Noui *ego hoc saeculum, moribus* quibus sit.
Ter. Heaut. 371 (II, 3, 130) *Ego te autem* noui, quam *esse* soleas *inpotens.*
Eun. 566 (III, 5, 18) *Quom me ipsus* [1]) noris, quam *elegans formarum spectator* siem.

---

1) *me ipsus* Luchs, *me ipsum* BCEFP et Donatus in lemm., *ipsum me* rell., *me ipse* Bentley, *ipsus me* Fleckeisen.

Ter. Heaut. 370 (II, 3, 129) *Patrem* nouisti, *ad has res* quam sit *perspicax.*

Pl. Cist. IIII, 2, 69 *Est quidam homo, qui illam ait se* scire, ubi sit.

Bacch. 856 (IIII, 8, 15) *Dixin tibi ego, illum te* inuenturum, qualis sit?

Merc. 253 (II, 1, 29) *nisi capram illam suspicor Iam me* inuenisse, quae sit *aut* quid uoluerit.

Pseud. 589 (II, 1, 15) *med ut* sciant, Quo sim *genere gnatus.*

Ter. Hec. 567 (IIII, 1, 52) *Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem,* ut siet, resciuerit.

Andr. 378 (II, 3, 4) *Priusquam tuum,* ut *sese* habeat, *animum, ad nuptias,* perspexerit.[1])

Pl. Truc. IIII, 4, 13 (854) noui *animum tuum,* Vt ⟨*me*⟩ *quasi pro derelicta* sis *habiturus.*

noui coniecit Spengel, *alibi iam* praebent BCD.

Itaque cum libris coniunctiuus restituendus erit:

1) Pl. Cist. II, 1, 42 *Anne ut etiam,* quid *consultura* es, scias? || *Perge eloqui.*

B praebet: *Anne ut etiam quid consultura sis sciam MEL Perge eloqui,* A: *Anne etiam quid consultura es perge eloqui;* debebat saltem *Anne etiam, quid consultura sis, sciam?* || *Perge eloqui* scribi; ceterum totus locus grauius uexatus est.

2) Pseud. 263 (I, 3, 29) *Iam díu scio, quí fuit: núnc* qui *is* ést, *ipsús* sciat. *ámbulá tu.*

sic Ritschl uersum scripsit, cuius numeri minus placent. *qui estis* praebent BCD, *quis est is* Camerarius. In Ambrosiano *qui sit ipse sciat* uel simile quid dispicere uisus est Studemund. Possis e. g. talia temptare:

262 *Nósce saltem húnc quis est.* || *Iám diú scio,*
263 *Quí fuit: núnc* quis is sít, *ipsús* sciat.
'Ambula tú. || *Potin' út semél modo,* etc.

1) *tuum ut sese habeat* uulgo scribitur, sed membra quae inter se cohaerere debent nimis disiecta esse uidentur; *tuum ut habeat sese animum* DG, *tuum animum ut sese habeat* BCEP; expectes: *Príus quam, ad nuptiás ut se habeat, túum animum perspéxerit* uel simile quid.

Contradicunt huic loquendi usui:

1) Ter. Ad. 996 (V, 9, 39) *Plus* scis, quid *opus factost. sed de fratre quid fiet?* ‖ *Sino.*

Nullam habebit offensionem hic uersus, ubi *quod* pro *quid* scripserimus. Nam constat *quid* et *quod* pronomina saepissime in libris manuscriptis inter se commutari, atque insuper saepius apud priscos scriptores latinos *quod* pronomen relatiuum occurrit, ubi posteriores scriptores *quid* pronomen interrogatiuum praetulerunt, uelut: Pl. Epid. III, 4, 20 (445) *Animum aduorte, ut, quod ego ad te aduenio, intellegas.* (*quod* AB, *quid* codices Langiani); Merc. 565 *Quod opust facto, facito ut cogites.* Poen. V, 7, 25 (1380) *Quod mihi par facere sit*, *⟨me⟩cum egomet consulam;* Cist. IIII, 2, 41 *Plus, qui uocat, scit, quod uelit* (*quod* B); cf. etiam Epid. III, 4, 25 etc.

2) Pl. Bacch. 201 (II, 2, 23) *Vide quaeso, ne quis tractet illam indiligens:*
Scis *tu*, ut *confringi uas cito Samium* solet.

inter *tu* et *ut* aliquid erasum est in B. Cum eiusmodi sententiae, quae in prouerbii usum abierunt, oratione directa laudari soleant (ut Rud. 382 *Scin tu? etiam qui it lauatum In balineas, quom ibi sedulo sua uestimenta seruat, Tam subrupiuntur.* Most. 72 *sed unum hoc scito: nimio celerius Venit, quod modeste quam illud, quod cupide petas.*[1]) conf. Curc. 53; Amph. 703 *Non tu scis? Bacchae bacchanti si uis aduorsarier, Ex insana insaniorem facies.* conf. Asin. 177, 215, fragm. apud Charis. p. 195, 21 K.), nescio an praestet scribere: *Scin tu?* (uel *Scito:* uel *Scis tu:*) *confringi uas cito Samium solet.*

5)

Interrogatio pendet ex aliusmodi enuntiato primario affirmatiuo.

Pl. Bacch. 290 (II, 3, 56) *quoniam* sentio, Quae *res* ageretur, *nauem extemplo statuimus.*

---

1) Sic hunc uersum restituit O. Seyffert in Philol. XXIX, p. 392.

Ter. Eun. 66 (I, 1, 21) sentiet, qui *uir* siem.

Pl. Bacch. 1076 (IIII, 10, 1) *Quam magis* in pectore *meo* foueo, quas *meus filius turbas* turbet.

Mil. 1358 (IIII, 8, 48) *Hei mihi*, *quom* uenit *mi* in mentem, ut *mores mutandi* sient.

Ter. Hec. 734 (V, 1, 8) *Ego pol quoque etiam timida sum*, *quom* uenit in mentem, quae sim.

Pl. Trin. 256 (II, 1, 24) *Haec ego quom* ago cum *meo* animo et reputo,
Vbi qui eget, quam *preti* sit *parui*.

Ter. Phorm. 344 (II, 2, 30) *Haec*, *quom* rationem ineas, quam sint *suauia et* quam *cara* sint.

Pl. Trin. 305 (II, 2, 25) *Qui homo* eum animo *inde ab ineunte aetate* depugnat *suo*,
Vtrum *itane esse* mauelit, *ut eum animus aequom censeat*,
An *ita potius*, *ut parentes eum esse et cognati uelint*, *etc*.

Ter. Phorm. 129 (I, 2, 79) qui fuerit *pater*, Quae *mater*, qui *cognata tibi* sit, *omnia haec* Confingam.

Phorm. 756 (V, 1, 29) Composito *factumst*, quo *modo hanc amans habere* posset *Sine dote*.

Pl. Bacch. 144 (I, 2, 36) *Sperat quidem animus:* quo euenat, *dis* in manust.

Pers. 33 (I, 1, 33) *Haec* dies summa *hodiest*, *mea⟨mi⟩ amica* sitne *libera*,
An *sempiternam seruitutem* seruiat.

Truc. I, 1, 2 (23) *dum id* perdiscat, quot pereat *modis*.

Capt. prol. 23 Rationem *habetis*, quomodo *unum* amiserit.

Rud. 1069 (IIII, 4, 25) Quomodo habeas, *i⟨llu⟩d* refert, *iurene anne iniuria*.

Publ. Syrus 642 *Verbum omne*, refert, *in* quam *partem* intellegas.

Publ. Syrus 652 *Vultu* an *natura sapiens* sis, *multum* interest.

Publ. Syr. prou. 63 (Woelffl. p. 100) Quid sis, interest, *non* quid habearis.

Pl. Trin. 102 (I, 2, 65) *Hostis*ne an *eiuis* comedis, *parui* pendere.

6)

Vt in interrogationibus ex *nescio* pendentibus et indicatiuus et coniunctiuus occurrebat, ita eae quoquo interrogationes, quae *scio* enuntiato primario subiunctae sunt, et indicatiuum et coniunctiuum ostendunt. Quamuis uero in hoc interrogationum genere discrimen, quod intercedit inter eas, quae coniunctiuum et eas, quae indicatiuum praebent, non aeque insigne et perspicuum sit atque in illis, quae ex *nescio* pendent, fortasse tamen ex similibus quibusdam causis et indicatiuus et coniunctiuus profecti sunt: nam

a)

ubi indicatiuus in enuntiato secundario occurrit, necesse est, ut uerbum *scio*, quod interrogationem constanter praecedit, neque cum ui efferatur neque cum tertio quodam enuntiato cohaereat, atque ut de actione enuntiati secundarii constet et quaestio in pronomine interrogatiuo solo uertatur: uelut *Scio quid fecisti* dictum est pro *Fecisti* (*aliquid*), *scio quid* (*sit*). Itaque in his interrogationibus non totum enuntiatum secundarium enuntiato primario (*scio*) plane subiunctum est, sed *scio* ita non pertinet ad uerbum enuntiati secundarii, ut cum solo pronomine interrogatiuo coniungatur, quocum similem in modum atque *nescio quis*, *nescio quid* artissime cohaeret. Atque ut *nescio* uerbi notio debilitatur, ubi cum pronomine interrogatiuo coniunctum pronominis indefiniti significationem accipit, ita *scio* quoque notione quodam modo debilitata cum pronomine interrogatiuo fere in unam notionem coit: hoc enim uocabulo in his enuntiatis alter aut alteri ita interloquitur, ut is omnino uerba facere nequeat, aut alterum loquentem interpellat. Similitudinem quandam praebent illa enuntiata, quae quamquam per structuram accusatiui cum infinitiuo ex *scio* enuntiato primario pendere par est, ob eandem hanc causam liberiorem structuram prae se ferunt, ut Eun. 888 (V, 2, 49) *Emoriar, si non hanc uxorem duxero.* ‖ *Tamen si pater..* ‖ *Quid? ah uolet, certo scio*, Truc. 503 (II, 6, 26) *Meus est: scio iam de argumentis.* Aliquotiens enuntiatum secundarium, quod facile animo suppleri potest, omittitur: Truc. 504 (II, 6, 23) *Saluom te* ‖ *Scio: sed peperitne, obsecro, Phronesium?* Andr. 365 (II, 2, 28) *accessi: intro inspexi* ‖ *Scio: Magnum*

signum, etc. Denique notandum est hanc structuram, cuius exempla infra congessimus, apud Plautum solum inueniri, Terentium autem constanter coniunctiuo usum esse.

Pl. Aul. II, 1, 52 (170) *Noui hominem, hau malum mecastor.* ‖ *Eius cupio filiam*
Virginem mihi desponderi. uerba ne facias, soror:
Scio quid dictura's: *hanc esse pauperem. haec pauper placet.*

Quo exemplo comparato cum Merc. 164 *Immo es* ‖ *Scio iam, miserum dices*, apparet hanc sententiam integram esse *Scio iam, [quid dicturus sis]: miserum dices*, illam *Scio quid [dictura sis]: dictura's hanc esse pauperem.*

Pl. Pers. 730 (IIII, 7, 20) *Tunc quando abiero* ‖ *Quin taces?* scio, quid uelis,

ubi *uelis* eodem modo pro optatiuo habendum erit atque e. g. in enuntiatis *Dic, quid uelis.*

Non dissimilis fortasse condicio fuit:

Pl. Men. 433 (II, 3, 79) MES. *Quid eo opust?* MEN. *Opus ést*
⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
–́ ⏑ – ⏑ –́ (MEN.) Scio, ut *me* dices[1]).
MES *Tanto néquior.*

Stich. 111 (I, 2, 54) *At ego ex te exquaero atque ex istac tua sorore* . . . P. *Edepol, pater,*
Scio, ut oportet *esse, si sint ita ut ego aequom censeo.*

Most. 876 (IIII, 1, 19) *Vbi aduorsum ut eant Vocantur ero:* »*Non eo: molestus ne sis.* Scio, quo properas: *gestis aliquo.*«

Most. 968 (IIII, 2, 52) *Ita dico, ne ad alias aedis perperam deueneris.*
‖ Scio, qua *me ire* oportet, *et, quo uenerim, noui locum.*[2])

---

1) *me* ^{n} *dic*$\overset{e}{\text{a}}$*s* B, *me dicas* CD, *me dices* Acidalius.

2) *locum* A, *loqui* BD, *loquiqur* C, *loci* Gulielmius fortasse recte.

In duobus exemplis breues uoculae inter *scio* uerbum et pronomen interrogatiuum insertae sunt:

Pl. Mil. 36 (I, 1, 36) *Quid illuc quod dico?* || *Hem* [1]) scio *iam*, quid uis *dicere.*

Bacch. 78 (I, 1, 45) Scio ⟨*ego*⟩, quid ago. || *Et pol ego* [2]) scio, quid metuo. *sed quid ais?* || *Quid est?*

Possis sane in priore exemplo (Mil. 36) aut *iam* delere aut *ulis* pro *uis* scribere, et in altero (Bacch. 78) pro *ego* e. g. *pol* uocabulum interponere, quo et ipso *nescio quid* locutionem diremptam uidimus (cf. supra p. 231): sed cum Plautus in his interrogationibus ex *scio* enuntiato primario pendentibus certas leges non obseruasse uideatur, etiam a leuissimis his emendationibus abstinendum erit.

b)

Contra ubi uerbum *scio* genuinam et integram uerbi uim seruauit et aut cum enuntiato siue praecedente siue subsequente cohaeret, aut *nesciendi* uerbo opponitur, aut aliquo uocabulo auctum maiore ui effertur, aut interrogationem subsequitur, coniunctiuum in enuntiato secundario posuisse uidentur prisci scriptores; nec tamen certis finibus hae duae structurae dirimuntur:

Pl. Truc. II, 3, 23 (343) *Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas,*
Magna atque luculenta, nunc p o s t q u a m scio,
Dulce atque amarum quid sit *ex pecunia,*
Ita ego illam edepol seruem itaque parce uictitem,
Vt — nulla faxim cis dies paucos siet.

Ter. Hec. 465 (III, 5, 15) *Ille reuiuiscet iam numquam, et* t a m e n, utrum malis, scio.

Pl. Capt. 294 (II, 2, 44) *Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit,*

---

1) *hem* CD, *em* B, *ehem* A.

2) Conf. C. F. G. Mueller »nachtraege« pag. 104.

Nam ego ex hoc, quo *genere gnatus* sis, scio: *hic fassust mihi.*

Pl. Men. 764 (V, 2, 12) *Verum propemodum iam* scio, quid siet *rei.*

Ter. Adelph. 570 (IIII, 2, 31) Scio, ubi sit; *uerum hodie numquam monstrabo.*

Pl. Pers. 276 (II, 4, 5) Scio *ego*, quid sim *aetatis: eo istuc maledictum inpune auferes.*

Mil. 1325 (IIII, 8, 15) *Habe bonum animum.* ‖ Scio *ego*, quid doleat *mihi.*

Merc. 355 (II, 3, 20) Scio, *saeuos* quam sit: *domo doctus dico.*

Ter. Eun. 350 (II, 3, 59) *Vidi, noui:* scio, quo *abducta* sit.

Pl. Pers. 193 (II, 2, 11) Scio *fide hercle erili* ut soleat *inpudicitia opprobrari etc.*

Ter. Andr. 346 (II, 2, 9) *Interii.* ‖ Quid timeas, scio.

Andr. 966 (V, 6, 2) *Nescis, quid mi optigerit.* ‖ *Certe, sed* quid *mi* optigerit, scio.

Pl. Capt. 697 (III, 5, 39) *Pro di inmortales: nunc ego teneo, nunc* scio,

Quid *hoc* sit *negoti.*[1]

Asin. 842 (V, 1, 14) Scio *equidem*, quam ob rem *me, pater, tu tristem* credas *nunc tibi:*

Quia istaec est tecum.

Merc. 775 (IIII, 4, 35) *Quein me eradicas miserum.* ‖ Scio *iam*, quid uelis:

Nempe me hinc abire uis. ‖ *Volo, inquam.* ‖ *Abibitur.*

Non ita ualde ab eis exemplis, de quibus sub a) egimus, differunt haec exempla:

Pl. Capt. 1007 (V, 4, 10) *Attat*, scio, quor *te patrem esse* adsimules *et me filium:*

Quia mi item ut parentes lucis das tuendi copiam.

---

1) *Quid hoc negotist*, quod in Fleckeiseni edit. legitur, ipse correxit in ep. crit. p. XXII.

Epid. IIII, 2, 8 (563) Scio quid erres: *quia uestitum atque ornatum inmutabilem Habet haec.*

Truc. IIII, 4, 9 (850) Scio *mecastor,* quid ulis *et* quid postules *et* quid petas.

ita Koch (annal. philol. CI p. 685); *uis* BCD; *postules* BCD, *postulas* Z; *petas* BCD, *petis* Bothe; *uis et quid postulas et quid petis* Spengel; *quid uelis, quid postules et quid petas* Geppert.

Ex his exemplis colligendum est tempore Plautino in hoc ipso interrogationum genere inter indicatiui et coniunctiui usum non diligenter fuisse distinctum, atque mox coniunctiuum tam crebrum factum esse, ut iam apud Terentium eiusmodi indicatiuus nullus inueniatur, immo in duobus exemplis, ubi nescio an Plauto indicatiuum ponere licuerit,

Ter. Heaut. 626 (IIII, 1, 13) *Meministin me esse grauidam, et mihi te maxumo opere edicere,*
Si puellam parerem, nolle tolli? || Scio, quid feceris: *Sustulisti.*

et Andr. 703 (IIII, 2, 20) Scio, quid conere. || *Hoc ego tibi profecto effectum reddam.*

coniunctiui occurrant. Atque propter hoc ipsum certum iudicium proferri nequit, utrum Truc. IIII, 4, 9 indicatiuus an coniunctiuus scribendus sit.

Pl. Epid. III, 4, 22 (447) *Nunc demum* scio *ego* h u n c, qui sit.

Aul. II, 2, 40 (215) *Quid nunc me uis, quoniam tu* m e *et ego* t e, qualis sis, scio?

Trin. 698 (III, 2, 72) Scio *equidem* t e, *animatus* ut sis: *uideo, subolet, sentio.*

Merc. 888 (V, 2, 46) *Tuam* a m i c a m... || *Quid eam?* || ubi sit, *ego* scio. || *Tune, obsecro?*

Amph. 922 (III, 2, 41) *Ego* i l l u m scio, quam doluerit *cordi meo.*

Men. 246 (II, 1, 21) *Ego* i l l u m scio, quam *carus* sit *cordi meo.*

Aul. II, 2, 81 (257) *Memini.* || *At* scio, quo *uos* soleatis pacto *perplexarier.*

quem uersum sic potius scribendum esse censeo: *Memini.* || *At*

scio uos, quo soleatis pacto perplexarier; nam in eiusmodi sententiis subiectum enuntiati secundarii, praecipue ubi pronomine efficitur, artificiose in obiectum primarii mutari solet: cf. Eun. 657, Poen. 582, Trin. 849, 960, Pseud. 275 p. 251 etc.

Constanter coniunctiuus occurrit in locutione *scio quam rem agat* (*gerat, geras*):

Pl. Mil. 577 (II, 6, 94) scio, quam rem gerat:
Vt, miles quom extemplo a foro adueniat domum,
Domi comprehendar.

Aul. III, 6, 38 (566) Scio, quam rem agat:
Vt me deponat uino, eam adfectat uiam.

Aul. V, 17 (817) *Abi, ere*; scio, quam rem geras:
Lepide hercle animum tuum temptaui:
iam ut eriperes, adparabas.

Eandem sententiam latere suspicor in loco, qui nunc corruptus in libris extat

Pl. Bacch. 794 (IIII, 6, 24) *Manedum parumper: iam exeo ad te, Chrysale.*
|| *Vt uerba mihi dat: ut* nescio, quam rem gerat:
Seruos arcessit intus, qui me uinciant.

Versus 795 ut nunc legitur sano sensu caret: neque enim intellegitur, quomodo Chrysalus profiteri possit, se nescire, quam rem Nicobulus gerat, quem in sequente uersu dicat seruos intus arcessisse, qui se uincirent. Sed respectis locis Aul. 817, 566 et inprimis Mil. 577 uersus ille facile emendari potest. Nam ut in Milite glorioso Sceledrum ita hic Chrysalum blandis eri uerbis diffidentem dicere par est *Quamquam uerba mihi dat se minime iratum esse simulans, tamen quid moliatur, scio.* Itaque scribendum est:

Vt uerba mihi dat: At scio, quam rem gerat:[1])
Seruos arcessit intus, qui me uinciant.

Coniunctiuus cum libris restituendus erit

1) conf. Herm. VI, pag. 272.

Pl. Most. 708 (III, 2, 19) *Atque pol nescio, ut moribus sient*
Vostrae, ⟨at⟩ haec, sat scio, quam *me* habet *male,*
Peius posthac fore, quam fuit mihi.

habeat praebent libri, recte, ut uidetur, quamuis *habet* forma numerorum elegantia commendetur; ceterum admodum dubium est, num Plautus hanc duram structuram admiserit.

Contradicit huic regulae

Pl. Truc. IIII, 3, 11 (774) *Etiam nunc, quid sit negoti, falsus incertusque sum,*
Nisi quia timeo tamen ⟨n⟩ego⟨tium⟩ et, quid peccaui, scio.

negotium et Spengel, *ego net* B, *ego nec* CD. Sententiam u. 13 Spengel hanc esse existimat »dicit Diniarchus se timere et culpae conscium esse.« Sed Diniarchus potius culpae conscius atque propterea in timore est. Inuersum igitur sententiarum ordinem nostro iure expectemus. Euitauerunt hanc quidem difficultatem et Brix, qui scribendum coniecit:

Nisi quia timeo tamen ego, ⟨ne⟩ quid peccaui sciat.

et Kiessling, qui Brixio duce hunc uersum sic emendare conatus est:

Nisi quia timeo tamen egomet, ⟨ne⟩ quid peccaui sciat.

Sed offendit *peccaui* indicatiuus; itaque aut *quod* pro *quid* scribendum (conf. supra pag. 253) aut *peccarim* coniunctiuus corrigendus est. Temptaui e. g.:

Nisi quia timeo tamen egomet, ⟨quom⟩, quod peccaui, (uel *quid peccarim*) *scio.*

Vt in aliquot enuntiatis proprie interrogatiuis coniunctiuus non propterea ponebatur, quod interrogatio ex primario quodam enuntiato pendebat, sed quod ipsa sententia, quae interrogatione continetur, hunc modum flagitabat, ita in hoc quoque interrogationum genere similis coniunctiuus aliquotiens inuenitur, qui etiam tum locum habiturus esset, ubi interrogatio nulli enuntiato primario subiuncta esset Atque

1) coniunctiuus *dubitatiuus* uel *deliberatiuus:*

Pl. Pseud. 779 (III, 1, 13) *Nunc* nescio *hercle*, *rebus* quid faciam *meis.*[1])

Pseud. 894 (III, 2, 104) *Profecto*, quid *nunc primum* caueam, nescio.

Merc. 723 (IIII, 3, 23) Nescio, quid dicam.

Most. 676 (III, 1, 146) *Ecce autem perii: nunc* quid dicam, nescio.

Most. 1042 (V, 1, 2) *Atque equidem,* quid *id esse* dicam *uerbum nauci,* nescio.

Aul. IIII, 9, 20 (723) quid agam, *edepol* nescio.

Curc. 69 (I, 1, 69) *Quod si non adfert,* quo *me* uortam, nescio.

Curc. 130 (I, 2, 39) *huic* quid *primum* dicam, nescio.

Curc. 463 (IIII, 1, 2) *Halophantamne an sucophantam hunc magis* dicam *esse,* nescio.

Trin. prol. 2 *Sequor, sed, finem fore* quem dicam, nescio.

Trin. 880 (IIII, 2, 38) *Multa rogitas*[2]) : nescio, quid expediam *potissumum.*

Cist. II, 1, 44 quid dicam, nescio.

Amph. 825 (II, 2, 195) Nescio, quid *istuc negoti* dicam.

Amph. 1056 (V, 1, 4) quid agam, nescio.

Capt. 268 (II, 2, 18) *Sed* utrum *strictimne attonsurum* dicam *esse an per pectinem,* Nescio.

Cas. III, 5, 3 (518) Nescio, unde *auxili, praesidi, perfugi Mi aut opum copiam* comparem aut expetam.

Cas. V, 3, 13 (796) Quid *nunc* agam, nescio, *nisi ut inprobos famulos imiter ac domo fugiam.*

Truc. I, 1, 51 (72) *Quos quidem quam ad rem* dicam *in argentariis*
Referre habere nisi pro tabulis, nescio.

Ter. Eun. 305 (II, 3, 14) nescio *hercle*, *neque* unde eam, *neque* quorsum eam.

1) Conf. A. Luchs in Herm. VI. p. 269.

2) *Multa rogitas* Luchs, *Multa simul rogitas* libri.

Ter. Eun. 711 (IIII, 4, 43) quid agam, nescio.

Eun. 716 (IIII, 4, 48) *Alio pacto honeste hinc* quomodo abeam, nescio.

Andr. 746 (IIII, 4, 7) quid dicam *aliud*, nescio.

Hec. 444 (III, 4, 30) *Ille abiit. quid agam infelix? prorsus* nescio,
Quo pacto *hoc* celem, *quod memorauit Myrrhina.*

Hec. 452 (III, 5, 2) Quam *causam* dicam *patri, Quam ob rem non reducam,* nescio.

Pl. Most. 783 (III, 2, 96) *Nunc hunc* hauscio an conloquar.

Epid. IIII, 1, 17 (529) Hauscio, an congrediar, *si haec east.*

Poen. V, 4, 38 (1197) *Id ego, nisi quid di aut parentes faxint,* qui sperem, hauscio.

Merc. 268 (II, 1, 44) *atque, eos esse* quos dicam, hauscio.[1]

Pers. 440 (III, 3, 35) Non *hercle*, quoi *nunc hoc* dem *spectandum,* scio.

Rud. 824 (III, 5, 44) Non *hercle*, quo *hinc nunc gentium* aufugiam, scio.

Ter. Hec. 519 (IIII, 1, 4) *id* qua causa *clam me habuisse* Dicam, non *edepol* scio.

Pl. Stich. 166 (I, 3, 12) *Sed matrem parere nequeo*, nec quid agam, scio.

Capt. 617 (III, 4, 84) *Nunc ego inter sacrum saxumque sto,* nec quid faciam, scio.

Cas. V, 4, 1 (809) *Nunc*[2] *ego inter sacrum saxumque sum,* nec quo fugiam, scio.

Cas. V, 2, 1 (729) Neque quo fugiam, neque ubi lateam, neque *hoc dedecus* quomodo celem, Scio.

Cas. V, 3, 1 (784 nec quid agam *meis rebus*, scio,

---

1) Ita enim cum codice Ambrosiano legendum esse docuit Studemund in scholis.

2) *Num ego inter* Geppert in editione, *Nunce inter* idem »Plautinische studien« I pag. 146: male. conf. Capt. 617.

	Nec *meam* ut *uxorem* aspiciam *contra oculis.*
Pl. Cas. V, 3, 5 (788)	⟨Nec⟩ quibus modis purgem, scio, *me meae uxori.*
Truc. IIII, 3, 49 (811)	— neque quid *nunc* faciam, scio Neque ut *hinc* abeam neque ut *huc* adeam, scio: *timore torpeo.*
Ter. Eun. 73 (I, 1, 28)	*Viuos uidensque pereo:* nec quid agam, scio.
Eun. 543 (III, 4, 5)	neque scio, quid dicam *aut* quid coniectem.
Eun. 867 (V, 2, 28)	Neque *edepol,* quid *nunc consili* capiam, scio.
Andr. 614 (III, 5, 8)	Nec, quid *me nunc* faciam, scio.
Heaut. 1044 (V, 4, 21)	neque, quod *principium* capiam *ad placandum,* scio.
Phorm. 181 (I, 4, 3)	*Quae* neque uti deuitem, scio neque quo modo *me inde* extraham.
Phorm. 507 (III, 2, 22)	*Nam* neque quo pacto *a me* amittam neque uti retineam, scio.
Hec. 701 (IIII, 4, 79)	*Omnibus modis miser sum* nec quid agam, scio.
Ad. 485 (III, 4, 39)	*Pudet:* nec quid agam nec quid *huic* respondeam, Scio.
Ad. 542 (IIII, 2, 3)	nec quid agam, scio.

Caecilius Statius (Ribb. Com. p. 59, 206) *Quem* neque quo pacto fallam neque ut *inde* auferam,
Nec quem *dolum ad eum aut machinam* commoliar, Scio *quicquam.*

Pomponius (Ribb. Com. p. 207, 131) *Sed me exercet senica nequam, neque illo* quid faciam, scio.

[conf. etiam Ter. Hec. 849 (V, 4, 9)].

Pl. Rud. 667 (III, 3, 4) ⟨Nec quam *in p*⟩*artem ingredi* persequamur,
⟨Scimus nos⟩. [1]

---

1) Conf. Studemund de cant. Plautin. p. 80.

Pl. Bacch. 606 (IIII, 2, 24)	*In eum haec reuenit res locum, ut,* quid *consili* Dem *meo sodali super amica,* nesciam.
Trin. 64 (I, 2, 26)	*Nam ego nunc si ignotam capiam,* quid agam, nesciam.
Publ. Syrus 382	Nescias, quid optes *aut* quid fugias.
Publ. Syrus 531	*Quod* nescias, cui serues, *stultum est parcere.*
Caecilius Statius (Ribb. Com. p. 41, 79)	*Nam hi sunt inimici pessumi fronte hilaro, corde tristi,* *Quos* neque ut adprendas, neque ut⟨i⟩ dimittas, scias.
Pl. Bacch. 334 (II, 3, 100)	Nescit, quid faciat *auro.*
Pers. 458 (IIII, 1, 10)	*Vt ipsus sese* qua *se* expediat, nesciat.
Rud. 812 (III, 5, 32)	*Vsque adeo, donec,* qua *domum* abeat, nesciat.
Ter. Heaut. 946 (V, 1, 73)	*retundam, redigam* (sc. *animum*), ut, quo *se* uortat, nesciat.
Ter. Phorm. 980 (V, 8, 87)	*Vt,* quid agam *cum illo,* nesciam *prorsum.*
Pl. Bacch. 500 (III, 4, 1)	*Inimiciorem nunc* utrum credam *magis* *Sodalemne esse an Bacchidem,* incertum *admodum*st.
Rud. 213 (I, 3, 30)	*Hac* an *illac* eam, incerta ⟨sum⟩ *consili.*
Ter. Eun. 294 (II, 3, 3)	Vbi quaeram, ubi inuestigem, quem perconter, quam insistam *uiam,* Incertus sum.
Pl. Aul. IIII, 9, 19 (722)	*nunc mihi* incertumst, Abeam an maneam, adeam an fugiam.
Ter. Andr. 209 (I, 3, 4)	Nec, quid agam, certumst.
Andr. 264 (I, 5, 29)	Incertumst, quid agam.
Phorm. 239 (II, 1, 9)	Incertumst, quid agam.
Phorm. 659 (IIII, 3, 54)	Vtrum *stultitia facere ego hunc an malitia* Dicam, *scientem an inprudentem,* incertus sum.
Hec. 450 (III, 4, 36)	quid dicam *hisce,* incertus sum.

Ter. Ad. 611 (IIII, 4, 2) *Tantum*, *ut* neque quid *de me* faciam nec quid agam, certum siet.

Pl. Most. 678 (III, 1, 148) non *hercle*, quid *nunc* faciam, reperio.

Aul. IIII, 10, 74 (797) *Nunc seruom esse* ubi dicam *meum Strobilum*, non reperio.

Merc. 252 (II, 1, 28) *Hoc* quam *ad rem* credam *pertinere somnium*, Nequeo inuenire.

Accius (Ribb. Trag. 149, 103) Nec quei *te* adiutem, inuenio.

Pl. Aul. I, 1, 28 (67) Noenum *mecastor*, quid *ego ero* dicam *meo*
Malae rei euenisse quamue insaniam,
Queo conminisci.

Aul. I, 1, 35 (74) Neque *iam* quo pacto celem *erilis filiae Probrum*, ... Queo conminisci.

Rud. 611 (III, 1, 19) *Nunc* quam *ad rem* dicam *hoc attinere somnium*,
Numquam *hodie* quiui ad coniecturam euadere.

Ex inc. fab. (Ribb. Trag. p. 261, 176) nequeo, Qua causa accusem *hunc*, exputando euoluere.

Pl. Merc. 344 (II, 3, 10) Neque, *is quom roget*, quid loquar, cogitatumst.

Rud. 225 (I, 4, 6) neque quo eam neque qua quaeram, consultumst.

Trin. 227 (II, 1, 4) *Sed hoc* non liquet, nec *satis* cogitatumst,
Vtram *potius harum mihi artem* expetessam,
Vtram *aetati agundae* arbitrer *firmiorem*.

Trin. 594 (II, 4, 193) In ambiguost *etiam nunc*, quid *de ea re* fuat.

Epid. I, 1, 79 (82) Neque *ego nunc* quomodo *Me expeditum ex inpedito* faciam, consilium *placet*.

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 83, 50) Dubito, quam insistam *uiam aut* Quod *primordium* capissam *ad stirpem exquirendum*.

Ter. Heaut. 720 (IIII, 3, 42) Metuo, quid agam.

Ennius (Vahlen p. 15, 85) Certabant, *urbem Romam Remoramne* uocarent.

Pl. Capt. 455 (II, 3, 95) *At etiam* dubitaui, *hos⟨ce⟩ homines* emerem an *non* emerem, *diu*.

Ter. Phorm. 343 (II, 2, 29) *Vbi tu* dubites, quid sumas *potissumum*.

2) Coniunctiuus *iussiuus:*

Pl. Curc. 370 (II, 3, 91) Dicam, quemadmodum conscribas.

Pseud. 755 (II, 4, 65) *Ceterum* quo *quicque* pacto faciat, *ipsi* dixero.

Corp. inscr. lat. I pag. 72 Sententiae Q. M. Minuciorum 3: *et* qua *lege agrum* possiderent *et* qua *fineis* fierent, dixserunt.

Pl. Most. 118 (I, 2, 37) *nunc etiam uolo* Dicere, ut *homines aedium esse similis* arbitremini.

Ter. Phorm. 592 (IIII, 2, 2) *uenio ad hominem, ut* dicerem *Argentum opus esse, et id* quo pacto fieret.

Pl. Trin. 854 (IIII, 2, 12) docuit et praemonstrauit *prius*, Quomodo *quidque* agerem.

Pers. 148 (I, 3, 68) Praemonstra *docte*, praecipe *astu filiae*, Quid fabuletur, ubi *se natam* praedicet.

Pseud. 764 (II, 4, 74) *Nunc ibo ad forum atque onerabo meis* praeceptis *Simiam*, Quid agat: *etc*.

Epid. II, 3, 12 (309) *Ea conducetur, atque ei* praemonstrabitur,
Quo pacto fiat *subdola aduorsum*[1] *senem*.

Poen. I, 1, 66 (192) *Abeamus intro, ut Collybiscum uilicum Hanc* perdoceamus ut ferat *fallaciam*.

Trin. 639 (III, 2, 13) Scio *ego* et sentio *ipse*, quid agam.

Aul. I, 2, 28 (106) *Nimis hercle inuitus abeo: sed*, quid agam, scio.

Aul. III, 1, 7 (411) scio, quam *rem* geram.

Ter. Hec. 261 (II, 2, 19) Neque *adeo* clam *me* est, quam *esse eum grauiter laturum* credam.

---

1) *aduorsum* Geppert (conf. Pseud. 453), *aduersus* B.

Pl. Cist. II, 1, 35 *Igitur animum aduorte, ut,* quid agas, scias.

Ennius (Ribb. Trag. p. 38, 173 *Sed* numquam scripstis, *qui parentem aut hospitem*
Necasset, is quo *cruciatu* perbiteret.

Corp. inscr. lat. I p. 61 lex rep. XLVI ⟨*Iudices in co*⟩*nsilium* quomodo eant.

Corp. inscr. lat. I p. 61 lex rep. XLIX ⟨*De*⟩ *reis* quomodo iudicetur.

Cato de r. r. CLXI *Asparagus* quomodo seratur.

Cato de r. r. CXVII *Oleae albae* quemadmodum condiantur.

Cato de r. r. CLIV *Vinum emptoribus sine molestia* quomodo admetiaris.

3) Coniunctiuus *potentialis:*

Pl. Epid. II, 2, 9 (185) *Ipsi hi quidem mihi* dant uiam, quo pacto *ab se argentum* auferam.

Truc. II, 4, 65 (418) *facile* inuenio, quomodo *Diuortium et discordiam inter uos* parem.

Trin. 688 (III, 2, 62) *Nolo ego mihi te tam* prospicere, qui *meam egestatem* leues *etc.*

Pl. Most. 715 (III, 2, 26) repperi, qui *senem* ducerem, Quo *dolo a me dolorem procul* pellerem.

Ter. Phorm. 889 (V, 7, 6) *hoc* qui cogam, *re ipsa* repperi.

4) Coniunctiuus *condicionalis:*

Pl. Pers. 296 (II, 4, 25) scis, quid *hinc porro dicturus* fuerim,
Ni linguae moderari queam.

Cist. I, 1, 3 . . *Soror si mea esses,* Qui *magis* potueris *mihi honorem ire habitum,*
Nescio, *nisi, ut meus est animus, fieri non posse arbitror.*

§ 2.

Enuntiatum secundarium pendet ex interrogatione.

Ex hoc interrogationum genere eximenda est maior pars eorum enuntiatorum interrogatiuorum, quae pendent ex *audin*, *uiden*, *scin* enuntiatis primariis. Enuntiata enim *audin*, *uiden*,

scin non semper uerae interrogationes sunt, quae significent *audisne an non audis? uidesne an non uides? scisne an nescis?* sed saepius formam interrogationis indutae aliusmodi enuntiati natura ac ui utuntur: itaque »adulterinae« a nobis uocentur:

A)

Enuntiatum primarium efficitur *audin*, *uiden*, *scin* adulterinis interrogationibus:

Cuiusmodi dictionum munere illae quae uidentur interrogationes *audin*, *uiden*, *scin* fungantur, ex ea ratione intellegimus, qua a priscis scriptoribus adhibitae sunt. Constat enim eiusmodi interrogationes saepissime pro imperatiuis usurpari: Mil. 1314 *audin*, *Palaestrio?* pro *audi;* Trin. 457 *Abin hinc dierecte?*, cuius rei sescenta exempla congeri possunt. Deinde *quin* particula et cum imperatiuo et eum interrogatione coniungitur sine ullo sententiae discrimine: Mil. 1046 *Quin tu huic responde*, 1067 *Quin tu huic respondes aliquid?* Denique, ut deinceps uidebimus, *uiden* et *uide*, *uidetin* et *uidete* promiscue adhibentur. Quare non dubito, quin eadem ratio eis quoque sit, de quibus iam agemus, interrogationibus *audin*, *uiden*, *scin*, scilicet ut saepius fere imperatiuorum uice fungantur, quibus moneatur aliquis, ut ad rem uel personam, quae enuntiati secundarii uerbis significatur, siue audiendam, siue conspiciendam siue cognoscendam animum aduertat. Atque ubi *audin*, *uiden*, *scin* locutiones hoc modo imperatiui uice funguntur, id est, ubi is, qui interrogat, non propterea interrogat, quod aliquid ab aliquo scire uult, in interrogationibus ex his enuntiatis primariis pendentibus scriptores prisci indicatiuo usi sunt. Hunc igitur indicatiuum posuisse uidentur in interrogationibus ex *audin* et *uiden* pendentibus propter eandem causam, ex qua etiam in eis, quae ex *dic*, *loquere etc.* imperatiuis pendebant, interrogationibus indicatiuus profectus est: leuem dico illum sententiarum conexum et ipsum ortum ex eo uiuido sermocinandi genere, quo adducebantur prisci, ut singula enuntiata potius inter se coordinarent, quam subordinarent; quem coordinandi morem antiquissimis temporibus latius diffusum aetate Plautina in ea enuntiatorum genera

conclusum uidemus, in quibus enuntiatum, quod primarium esse grammaticae leges euincunt, tamen minoris momenti est quam secundarium, quo summa sententiae continetur. In interrogationibus ex *scin* enuntiato primario pendentibus indicatiui alio modo explicandi sunt: conf. infra.

1) Interrogatio pendet ex *audin* enuntiato primario:

Pl. Pseud. 330 (I, 3, 96) *Propera, quid stas? ei,*[1] *accerse agnos:* audin, quid ait *Iuppiter?*

Pl. Pers. 655 (IIII, 4, 106) Audin, quid ait?

Asin. 884 (V, 2, 34) Audin, quid ait? || *Audio.*

Capt. 592 (III, 4, 60) *Heus,* audin, quid ait? *quin fugis?*

Ter. Eun. 1037 (V, 8, 7) *Bene, ita me di ament, factum* || Audin *tu, hic* quid ait? —

Pl. Men. 909 (V, 5, 11) Audin, quae loquitur? || *Se miserum praedicat.*

Mil. 1222 (IIII, 6, 7) Audin, quae loquitur? || *Audio.*

Asin. 447 (II, 4, 41) Audin, quae loquitur? || *Audio et quiesco.*

Bacch. 861 (IIII, 8, 20) Audin, quae loquitur? *quin tu me exolui iubes?*

Pseud. 194 (I, 2, 60) Audin, *furcifer* quae loquitur?

quae tamen enuntiata tam interrogatiua quam relatiua esse possunt. —

Pl. Men. 920 (V, 2, 21) Audin[2] *tu,* ut *deliramenta* loquitur?

Asin. 598 (III, 3, 8) Audin *hunc, opera* ut *largus* est *nocturna?*[3]

Haec exempla omnia ita comparata sunt, ut utraque persona, et ea, quae interrogat et ea, ad quam uerba fiunt, tertiae alicuius, quae et ipsa in scaena adest, personae uerba, ad quae

1) *ei* addidi suadente Studemundo, qui *ei* in A repperit.

2) *Audin* Bb Db, *Audi* BaCDa.

3) Accusatiuum in hoc exemplo non esse subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii artificiose mutatum, sed re uera obiectum cum enuntiati primarii uerbo necessario coniungendum, docemur exemplis, uelut Andr. 342: *Audin tu illum?* Amph. 755: *audin illum?* etc. — Ceterum dubites, num potius *Audin (tu) hunc* Asin. 598 scribendum sit; conf. quae infra ad Most. 1172 adnotauimus.

interrogatio ex *audin* pendens pertinet, audire possit. Quare qui interrogat *audin?*, non postulat, ut sibi respondeatur, quia non dubitat, quin quae ipse audierit, alter quoque, quem alloquitur, auditurus sit. Item enuntiatum secundarium, quod ex *audin* pendet, non tam ex studio, quid tertius ille dixerit, cognoscendi proficiscitur, quam ex animi quodam affectu illius uerbis commoto, uel indignatione uel stupore et admiratione; non multo secus ac si quis, qui quae tertius aliquis dixit, audiuit, tamen indignatione uel admiratione affectus oratione recta alterum interrogat: *quid hic ait?*, uelut Andr. 183: *Carnufex quae loquitur?*, 462: *quid dicit?* Itaque non uerae interrogationis natura utuntur haec enuntiata, sed sunt exclamationes interrogationum formam indutae.

2) Interrogatio pendet ex *uiden*, *uidetin*, *em* primariis enuntiatis:

Vt *audin*, ita *uiden* quoque in satis magno exemplorum numero non uera interrogatio est, sed fere imperatiui locum obtinet, id quod in *uiden* enuntiato hoc grauiore argumento confirmatur, quod et *uiden* et *uide* formae in his enuntiatis sine ullo sententiae discrimine usurpantur. Compara Stich. 410: *Videte, quaeso, quid potest pecunia*, et Asin. 636: *Videtin, uiginti minae quid pollent, quidue possunt?*; Curc. 311: *Vide, ut expalluit,* et Most. 1172: *Viden, ut astat furcifer?*; Phorm. 358: *uide, auaritia quid facit,* et Eun. 265: *Viden, otium et cibus quid facit alienus?*: dubitare nequis, quin prisci scriptores utraque forma promiscue usi sint. Itaque *uiden* enuntiatum non tam uerae interrogationis uice fungitur, quam adhortationis uocabulum est, quo alterius oculi ad rem uel personam, de qua uerba fiunt, conspiciendam aduertantur. *Viden* igitur, quo omisso sententia integra remanet, eandem fere significationem in his exemplis habere uidetur, quam in *em* (=*en*), *ecce* uocabulis, quae et ipsa in eisdem sententiis *uiden* uel *uide* enuntiatorum locum obtinent, iam Plautina aetate infuisse constat. Nec non enuntiatum secundarium in his exemplis interrogationis formam solam praebet, munere non fungitur, cum re uera fere semper pro exclamatione mirantis uel indignantis accipiendum sit, et is qui interrogationem, quae

uidetur, pronuntiat, responsum nullum expectet. — Praeterea enuntiatum secundarium, quod ex *uiden* enuntiato primario pendet, ita sit comparatum oportet, ut id de quo agitur aut oculis aut animo eius, ad quem uerba fiunt, obuiam sit: prout eo enuntiato aut aliqua actio, quae oculis conspicitur, significatur aut breuis sententia exprimitur, qua iudicium profertur de aliqua re, quae uerbis proximis iam fusius enarrata atque explanata est.

a) In plerisque exemplis, quae prioris condicionis sunt, pronomen interrogatiuum *ut*, *quam*, *quantum* particulis efficitur:

Pl. Most. 1172 (V, 2, 50)	uiden, ut astat *furcifer?* [1])
Curc. 188 (I, 3, 32)	Viden, ut *misere* moliuntur? *nequeunt conplecti satis.*
Bacch. 1130 (V, 2, 11)	Viden, *limulis, obsecro,* ut contuentur? [2])
Bacch. 492 (III, 3, 88)	Viden, ut *aegre* patitur *gnatum esse corruptum tuum,* *Suum sodalem*, ut *ipsus sese* cruciat *aegritudine?*
Curc. 160 (I, 3, 3)	Viden, ut *anus tremula medicinam* facit?
Pers. 812 (V, 2, 31)	Viden ⟨*tu*⟩ [3]), ut *tuis dictis* pareo?
Rud. 170 (I, 2, 81)	Viden, *alteram illam* ut *fluctus* eiecit *foras?*
Poen. I, 2, 101 (307)	Viden *tu*, ⟨ut⟩ *pleni oculi sorderum qui erant, iam* splendent *mihi?*
Asin. 149 (I, 2, 23)	*At scelesta,* uiden, ut *ne id quidem me dignum esse* existumat, *Quem adeat, quem conloquatur quoique irata supplicet?*

---

1) *uident ut restat* Ba; *uiden ut restat* Bb CD; *uiden tu ut astat* Mueller (nachtraege zur plautin. prosodie p. 17), qui similia exempla haec collegit: Mil. 249 scribendum esse censet: *uiden tu hostis tibi adesse*, ubi BaCDa praebent *uident hostis*. Mil. 1045 B praebet *uident ignauom*, CD *uiden tu ignauom.* Poen. I, 2, 101 (307) ABCD praebent *Viden tu*, unde Mueller coniecit *uiden tu ⟨ut⟩*, Geppert scripsit *uiden ut.* Eodem iure in Accii fragmento (Ribb. Trag. p. 176, 308) *Viden, ut te impietas stimulat*, ubi cod. Bamb. praebet *uident ut*, scribi poterat: *Viden tu, ut te impietas stimulat?*

2) *contuentur* Bothe, *intuentur* libri.

3) *Viden ⟨tu⟩ ut* Ritschl, *Viden ut* libri, *Videsne ut* Hermann uix recte.

Turpilius (Ribb. Com. p. 85, 104) *Ei perii.* uiden, ut osculatur *cariem? num illam illaec pudent?*

Ex inc. inc. fab. (Ribb. Com. p. 106, 62) Viden, ut *cinaedus orbem digito* temperat?

Afranius (Ribb. Com. p. 151, 91) Viden[1], ut *facunde contra* causaris *patrem?*

Accius (Ribb. Trag. p. 176, 303) Viden, ut *te impietas* stimulat, *nec moderat metus?*

Turpilius (Ribb. Com. p. 84, 103) Viden, ut fastidit *mei?*[2]

Pl. Trin. 536 (II, 4, 135) em *nunc hic, quoius est,* Vt *ad incitas redactust.*

Ter. Eun. 237 (II, 2, 6) '*Quid istuc*' *inquam* '*ornatist*'? "*quoniam miser quod habui perdidi,* em, Quo *redactus* sum."

Eun. 783 (IIII, 7, 13) Viden *tu, Thais,* quam *hic rem* agit?

In his exemplis, ubi res uel homo ipse, de quo uerba fiunt, oculis obuiam est, etiam accusatiuus pronominis uel nominis substantiui ad *uiden* enuntiatum primarium apponitur. Atque hic accusatiuus non est subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii *προληπτικῶς* mutatum, sed est, ut ita dicam, obiecti accusatiuus »demonstratiuus« et cum enuntiati primarii uerbo coniungendus:

Pl. Mil. 1045 (IIII, 2, 54) Viden *tu* ignauom, ut *sese* infert?

Rud. 869 (III, 6, 31) Viden me, ut rapior?

Capt. 557 (III, 4, 25) Viden *tu* hunc, quam *inimico uoltu* intuitur?

Turpilius (Ribb. Com. p. 84, 102) Viden *tu, Frygis,* incessum, quam est *confidens?*

Idem accusatiuus restituendus erit:

Pl. Rud. 1093 (IIII, 4, 49) Viden, *scelestus* ut aucupatur? || *Sine me, ut occepi, loqui.*

quem uersum C. F. G. Mueller in prosod. plautin. pag. 150

1) *uidet* libri Noniani; *lepide et* pro *uiden ut* Bergk in annal. philol. CI, p. 835.

2) Sic scripsit Dousa; libri praebent *uide nunc fastidit mei,* quod nisi recte traditum est, potest quoque esse *Vide, num fastidit mei.*

propter numeros corrigendum esse censet aut sic: *Viden tu, ut te scelestus captat?* (ut Men. 646) aut sic: *Viden, te ut aucupat scelestus.* Sed cum homo ipse, de quo uerba fiunt, oculis obuiam sit, facilius ita numeris succurremus, ut cum Studemundo scribamus:

Viden scelestum, ut aucupatur? Sine me ut occepi loqui. conf. Mil. 1045.

In unico exemplo, quod contradicit huic regulae, qua in eiusmodi enuntiatis indicatiuus flagitatur:

Pl. Men. 646 (IIII, 2, 83) Viden, ut ⟨*te*⟩ *scelestus* capiat?

[*Vident ut* BaCD, *Viden ut* Bb, *Viden ut* ⟨*te*⟩ Lambinus, *Viden uti* Camerarius, *Viden t⟨u⟩ ut* Gruterus, *Viden t⟨u⟩ ut* ⟨*te*⟩ C. F. G. Mueller (plaut. pros. p. 150), *Viden ted ut* Ritschl (conf. »neue plautin. excurse« p. 43 et Vmpfenbach »melet. plaut.« p. 31)] *capiat* coniunctiuum in libris praue exaratum esse pro *captat* indicatiuo iam Camerarius perspexit.

In duobus exemplis *uiden ut* structura coniecturis debetur:

1) Truc. IIII, 4, 38 (879) Viden *eumpse, adire* ut coepit? *ad me recta se tenet.*

Viden eumpse Spengel; (hauscio an melius interpunxisset: *Viden eumpse adire? ut coepit, ad me recta se tenet.*) *Sineum ipse* B, *Sin eum ipse* CD; quae uerba ex proximo uersu *Sine eum ipse adire huc* etc. praue repetita esse ueri non dissimile est. Koch in annal. philol. 1872 CVI. p. 368 proponit:

Sic sine eumpse adire ut coepit ad me recta semita.

Ceterum hic uersus nondum persanatus esse uidetur.

2) Most. 832 (III, 2, 147) Viden *pictum,* ut ludificat *una cornix uolturios duos?*
|| *Non edepol uideo.* || *At ego uideo: nam inter uolturios duos* [1])
Cornix astat: ea uolturios duos uicissim uellicat.

Viden pictum ut Ritschl, *Viden pictum ubi ludificatur cornix una*

---

1) Sic Studemund (festgrusz p. 73, Wuerzburg 1868) hunc uersum ope Ambrosiani restituit.

uolturios duos BCD, *VIDENPICTUMUBILUDIFICATURUNA CORNIXUOLTURIOSDUOS* A teste Studemundo. Lorenz scripsit: *Vide, ubi ludificatur una cornix uolturios duos*, sed obiectum ad *uide* propter sequentem *ubi* uocem male desideratur. Studemund l. l. uersum recte restituit:

Víden pictum, úbi ludificat úna córnix uólturiós duós?

b) alterius condicionis exempla haec sunt:

Pl. Trin. 847 (IIII, 2, 5) Viden, *egestas* quid *negoti* dat *homini misero mali?*

Asin. 636 (III, 3, 46) Videtin, *uiginti minae* quid pollent, quidue possunt?

Ter. Eun. 265 (II, 2, 34) Viden, *otium et cibus* quid facit[1] *alienus?*

Pl. Stich. 635 (IIII, 2, 52) uiden[2], ut *annonast grauis?* Viden[3], *benignitates hominum* ut periere *et prothymiae?*

3) Interrogatio pendet ex *scin* enuntiato primario:

In his quoque exemplis priscos scriptores indicatiuum in enuntiato secundario tum posuisse apparet, ubi *scin* non uerae interrogationis sed adhortationis munere fungitur, qua animus eius, qui interrogatur, ad sequentem interrogationem aduertatur. Nam interrogantis nihil interesse, utrum is, qui interrogatur, sciat necne, quid respondendum sit, inde elucet, quod fere omnes interrogationes ita comparatae sunt, ut appareat eum qui interrogat non dubitare, quin alter interrogatus nesciat, quid respondeat. Itaque in omnibus his exemplis is, qui interrogat, responsum nullum expectat, immo ita interrogat, ut ipse respondere cupiat: Atque cum hoc *scin* uocabulo, quod genuina significatione debilitata uerae interrogationis uim amisit, ἐγκλιτικῶς coniungitur pronomen quod proxime sequitur interrogatiuum, i. e. *scin quid etc.* locutiones simili modo atque *nescio quid, scio quid* in unam quasi uocem ita coeunt, ut pro *aliquid etc.* pronominibus indefinitis stare uideantur. Atque hac ipsa re, ut par est,

---

1) *FACIAT* A, *facit* reliqui.

2) *uiden* Fleckeisen, *uides* ABCD.

3) *Viden* A, *uides* reliqui.

factum est, ut *scin quid etc.* locutionibus ipse interrogationis obliquae modus nullo modo afficeretur et indicatiuus stare posset.

Pl. Rud. 773 (III, 4, 68) Scin, quid *tecum* oro, *senex? Vt illas serues, uim defendas, dum ego erum adduco meum.*

Pseud. 657 (II, 2, 62) *Non itast. sed* scin, quid *te* oro,[1] *Sure?* || *Sciam, si dixeris.* — || *Inde ut me accersas, erus tuus ubi uenerit.*

Men. 1154 (V, 9, 92) Scitin, quid *ego uos* rogo? || *Quid?* || *Praeconium mi ut detis.*

Pseud. 276 (I, 3, 42) *Sed* scin, quid *nos* uolumus? || *Pol ego propemodum: ut male sit mihi.* || *Et id et hoc, quod te reuocamus.*[2] *quaeso, animum aduorte.*

Ter. Eun. 338 (II, 3, 47) Scin, quid *ego te* uolebam? || *Dic.* || *Cras est mihi Iudicium.* || *Quid tum?* || *Vt diligenter nunties Patri, aduocatus mihi mane esse ut meminerit.*

Pl. Men. 207 (I, 3, 24) Scin, quid uolo *te⟨d⟩ adcurare?* || *Cedo: curabo, quae uoles.*[3] || *Iube igitur tribus nobis apud te prandium adcurarier.*

Ter. Heaut. 494 (III, 1, 85) *Paratus sum.* || Scin, quid *nunc facere te* uolo? || *Dic.* || *Quod sensisti illos me incipere fallere, Id ut maturent facere.*

---

1) *oro* A, *orem* BCD; utraque forma defendi potest. Nam *orem* pro optatiuo explicari possit. Similiter uariatur formis *dic quod te rogo* et *dic quod te rogem*. Confer praeterea C. F. W. Muellerum nachtraege zur plautin. prosodie p. 141 contra O. Seyffertum in Philol. XXIX, p. 389 disputantem.

2) Sic interpungendum esse perspexit Bugge in Philol. XXX, p. 254.

3) *UOLOTE* A, *uolo ego te* BCD; *cedo* Brix, *scio* ABCD.

Pl. Men. 425 (II, 3, 71) *Sed* scin, quid *te* amabo *ut facias?* ‖
‖ *Impera quiduis modo.*
‖ *Pallam illam, quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas, etc.*

Ter. Hec. 753 (V, 1, 27) *Lepida es. sed* scin, quid uolo *potius sodes facias?* ‖ *Quid? cedo.*[1])
‖ *Eas ad mulieres huc intro etc.*

Pl. Rud. 1216 (IIII, 6, 12) *sed* scin, quid est *quod te uolo?*
Quod promisisti ut memineris, hodie ut liber sim.

Men. 677 (IIII, 3, 3) Scin, quid est *quod ego ad te uenio?*
‖ *Scio: tibi ex me ut sit uolup.*
‖ *Immo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,*
Mihi eam redde.

Pseud. 641 (II, 2, 46) *At enim* scin quid est? *Reddere hoc non perdere erus me misit.*[2])

Poen. V, 3, 48 (1160) Scin, quid est? *Thraecae sunt eculae: numero sustolli solent.*[3])

Trin. 350 (II, 2, 69) *sed ciui inmuni* scin[4]), quid *cantari* solet?
»*Quod habes ne habeas, et illuc, quod non habes, habeas uelim.*«

Pseud. 538 (I, 5, 124) *At enim* scin, quid *mi in mentem* uenit?
Quid si hisce inter se consenserunt, Calipho?

Praeterea huc referenda sunt nonnulla exempla, quorum uerbis minantis formula continetur; et ex his duo ita comparata

1) *QUIDUISCEDO* A cum rell.

2) *misit* BCD; *iussit*, quod eius loco in incertis Ambrosiani reliquiis indagasset, ex alia recensione profectum sibi uideri, perbene autem cum usu Plautino *misit* illud conuenire laudatis Friderico Luebkero (de usu infinitiui Plautino, Slesuici 1841 pag. 23) et Guilelmo Holtzio (syntax. prisc. script. latin. II pag. 32) dixit Studemund in scholis.

3) Ita hunc uersum scripsi cum Ed. Luebberto mus. Rh. XXIV p. 695, quamquam uix persanatum.

4) *SCIN* A, *scis* BCD.

sunt, ut ex uerbis, quae prior pronuntiat, alter, qui respondet, id uocabulum excipiat, quo praecipue sententiae uis continetur:

Pl. Pers. 139 (I, 3, 59) *Posterius istuc tamen potest.* ‖ Scin, quam potest?
Numquam hercle ⟨tu⟩ hodie hic prius edes, ne frustra sis,
Quam te hoc facturum, quod rogo, adfirmas mihi.

Poen. V, 5, 39 (1307) *Nam te cinaedum esse arbitror magis quam uirum.*
‖ Scin, quam *cinaedus* sum? *ite istinc, serui, foras, Ecferte fustis.*

Aul. I, 1, 8 (47) *Vt incedit! at* scin, quomodo *tibi res se* habet?
Si hercle hodie [1]) *fustem cepero aut stimulum in manum,*
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum. [2])

In tribus, quae huc pertinent, exemplis nescio an coniunctiuus pro potentiali absoluto haberi possit:

---

1) *hodie hercle* JD, *hodie* Ba, *hercle* / *hodie* (sic!) Bb, unde *hercle hodie* correxit Studemund in scholis.

2) Cum his exemplis ea conferenda sunt, in quibus uerbum, quod ex *scin* enuntiato primario pendere debebat, aut huic uocabulo praecedit: Rud. 797 (III, 5, 18) *Tangam hercle uero.* ‖ Tanges, *at scin quomodo?* aut ex proximis facile suppleri potest: Poen. 863 (I, 2, 162) *Apscede hinc sis, sucophanta par ero.* ‖ *At scin quomodo?* (ita hunc uersum scripsi ducibus ABD libris) Amph. 356 (I, 1, 200) *At scin quomodo?* Poen. 430 (I, 3, 29) *Scin quomodo?* Aul. 822 (V, 22) *At scin quomodo?* II, 4, 28 (305) *At scin etiam quomodo?* Atque simili modo Ter. Eun. 1062 (V, 8, 32)

. . . . *Cur te ergo in his ego conspicor regionibus?*
‖ *Vobis fretus. . .* ‖ Scis, quam *fretus? miles, edico tibi:*
Si te in platea offendero hac post umquam . . ., periisti.

Scis nuper Vmpfenbach cum A, *scin* (B)CDF²GP (*sin* F¹) Donatus et Eugraphius in lemm., Fleckeisen et Bentley, qui in adnotatione commendat *Vobis fretum.* ‖ *Scin quam fretum?* Ego *Scin* seruandum esse censeo, quia in eiusmodi sententiis constanter *scin* numquam *scis* forma occurrit.

1) Pl. Amph. 671 (II, 2, 39) *Bono animo es.* || Scin, quam *bono animo* sim? *si situlam cepero,*
Numquam edepol tu mihi diuini creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

2) Ter. Eun. 799 (IIII, 7, 29) *Caue sis, nescis, cui male dicas nunc uiro.* || *Non tu hinc abis?*
Scin *tu,* ut *tibi res se* habeat? *si quicquam hodie hic turbae coeperis,*
Faciam, ut huius loci dieique meique semper memineris.

Atque in his duobus exemplis *sim* et *habeat* coniunctiui alicui fortasse etiam propterea excusari posse uidebuntur, quod ex condicione illa, quae insit in enuntiatis sumptiuis *si situlam cepero* et *si quicquam hodie hic turbae coeperis*, non solum ea enuntiata proxime insequentia pendeant, cum quibus illa enuntiata sumptiua eis, qui leges grammaticas respiciant, praecipue coniungenda sint, sed, si sententiarum nexum spectemus, aliquo saltem modo etiam ea quae praecedant enuntiata interrogatiua *Scin, quam bono animo sim?* et *Scin tu, ut tibi res se habeat?*, utpote quae ea dumtaxat condicione, quae sumptiuis illis enuntiatis continetur, pronuntiata sint. Attamen facili negotio in exemplo Plautino *sum* pro *sim*, in Terentiano *habet* pro *habeat* inuitis libris restituetur. Sane in exemplo simillimo Aul. I, 1, 8 (cf. supra) *habet* indicatiuus ideo non sollicitandus est, quia eiusmodi subtiles distinctiones poetae prisci aut non fecerunt aut pro arbitrio modo adamarunt modo spreuerunt. Praeterea conf. Ter. Andr. u. 825 infra pag. 295.

3) Pl. Bacch. 594 (III, 2, 12) *Nimis* iracunde. || *At* scin, quam iracundus siem?
Ne tibi pol haud longe os ab infortuniost.

siem praebent libri Palatini. Quodsi cui coniûnctiuus seruari posse uidebitur, pro potentiali habendus erit. Sed cum huius

uersus sententia plane eadem sit atque Pers. 139 et Poen. 1308, nescio an huic quoque uersui indicatiuus uindicandus sit:

Nimis iracunde. || *At* scin, quam *iracundus* sum?

ubi hiatus in caesura penthemimere ita intercedit, ut post caesuram alter uerba facere incipiat.

Saepius coniunctiui iussiui occurrunt:

Pl. Pers. 154 (I, 3, 74) *sed* scin quid facias? *cape Tunicam etc.*

Cas. II, 8, 54 (386) Scin quid *nunc* facias? || *Loquere.* || *Tene marsuppium.*

Mil. 1034 (IIII, 2, 43) *At* scin, quid *tu* facias? *facito fastidi plenum.*

Bacch. 1177 (V, 2, 58) *Immo ego te oro, ut me intro abducas.*
|| *Lepidum te.* || *At* scin, quo pacto *me ad te intro* abducas?

Men. 947 (V, 5, 44) *Non uides hominem insanire?* Scin, quid facias *optumum?*
Ad me face uti deferatur.

Sic Ritschl hunc uersum scripsit (*optumum es* Da, *optumum est* B), cui lectioni uix dubito quin ea, quam Brix in editione commendat *Scin*, *quid facias optumumst*, praeferenda sit; nam structura eadem esse uidetur atque Men. 425, Hecyr. 753, ut integra sententia haec sit: *scin*, *quid optumum mihi uidetur* (uel *optumum est*,) *ut facias?*, atque uerba *optumum est* locum teneant, quem alibi *uolo*, *te amabo* locutiones obtinere uidimus. Ceterum cum *optumumst* enuntiato saepius apud Plautum uerbi coniunctiuum *ut* particula omissa coniungi Brix docuit in adnotatione ad hunc uersum.

Ter. Heaut. 738 (IIII, 4, 16) *Atqui iam dabitur.* || *Vt lubet: num ego insto?* || *At* scin quid *sodes?*
|| *Quid?* || *Transeundumst nunc tibi ad Menedemum et tua pompa*
Eo traducenda est.

SODES AC¹P¹, *sodes facias* C²BDEFG, *sodes facies* P²; ad hunc uersum Bentley haec adnotat: »*Scin quid sodes* subaudi *facias*, ut libri multi bene hic in textu addunt, uel *facere te uelim.*«

Quamquam non ignoro *facias* male desiderari, tamen, quominus *facias* pro *sodes* scribam, id me impedit, quod facilius *facias* a glossatore, qui hac coniunctiui ellipsi offenderetur, addi poterat.

B)

Interrogatio pendet ex *audin*, *scin* genuinis interrogationibus:

In illis enuntiatis interrogatiuis omnibus, quae ex *audin*, *uiden*, *scin* pendent, is qui interrogat responsum non expectat: scit enim illum aut affirmaturum esse (ad *audin*, *uiden* interrogationes) aut negaturum (ad *scin* interrogationem). Itaque cum in his exemplis enuntiatum primarium non tam uerae interrogationis munere fungatur, quam fere imperatiui locum obtineat, indicatiuus requiritur. Contra si enuntiatum interrogatiuum primarium re uera genuina interrogatio est, ad quam alter respondere iubetur, id est, si quis propterea interrogat, quia dubitat, num alter id, quod quaeritur, *audiat*, *sciat*, *uideat*, in enuntiato interrogatiuo secundario coniunctiuus ponitur. In enuntiatis igitur ex *audin*, *uiden*, *scin* pendentibus inter ea, quae indicatiuum, et ea, quae coniunctiuum praebent, fere idem discrimen intercedit, quod inter enuntiata interrogatiua, quae ex *dic* imperatiuo et ea, quae ex *dicisne* interrogatione suspensa sunt.

1) Interrogatio pendet ex *audin* enuntiato primario:

Ter. Hec. 76 (I, 2, 1) *Senex si quaeret me, modo isse dicito*
Ad portum percontatum aduentum Pamphili.
Audin, quid dicam, *Scirte? si quaeret me, uti*
Tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris.

Apparet in hoc exemplo personarum condicionem aliam esse atque in eis exemplis, de quibus supra pag. 271 disputauimus. Parmeno enim, qui loquitur, scire uult, utrum Scirtus, cum in scaena non adsit, sed in ipsa domo uersetur, id, quod Parmeno iusserat, audiuerit, necne.

2) Interrogatio pendet ex *scin* enuntiato primario:

Ter. Heaut. 820 (IIII, 6, 16) *Iam non sum iratus. sed* scin, ubi sit *nunc tibi*
Tua Bacchis? ‖ *Apud nos.* ‖ *Non.* ‖ *Vbi ergo?* ‖ *Apud Cliniam.*

Nec tamen dissimulabo facili negotio propter ea, quae supra exposui, indicatiuum quoque talem:

sed scin, ubi nunc est tibi Tua Bacchis

explicari posse atque adeo de hac lectione inuitis libris restituenda identidem me cogitasse.

In duobus eiusmodi uersibus subiectum enuntiati secundarii artificiose in obiectum primarii mutatum est:

Pl. Trin. 373 (II, 2, 92) Scin *tu illum,* quo *genere gnatus* sit?

Ter. Eun. 1035 (V, 1, 5) scin *me,*[1] *in* quibus sim *gaudiis?*

Scis Pamphilam meam inuentam ciuem?

Semel enuntiatum interrogatiuum cum enuntiato condicionali cohaeret:

Ter. Eun. 437 (III, 1, 47) Scin, *si quando illa mentionem Phaedriae Facit, aut si laudat, te* ut *male* urat?

In nonnullis denique exemplis fortasse suspicari aliquis possit non praesentis coniunctiuum sed indicatiuum futuri extare: in formulis *scin quid loquar, scin ut dicam:*

Pl. Pseud. 1178 (IIII, 7, 82) *Etiamne facere solitus es,* scin, quid loquar?

Asin. 703 (III, 3, 113) *Asta igitur, ut consuetus es, puer, olim:* scin, ut dicam?

Sed nihil obstat, quominus in his exemplis *loquar* et *dicam* coniunctiui sint et *scin* uerae interrogationis munere fungatur; id quod minus audacter affirmes de

Ter. Adelph. 215 (II, 2, 7) *Age,* scis, quid loquar?[2])

---

1) *SCISME* ABEP, *scis ne* (superscr. *n me*) D, *scisne me* G, *scin me* CF, *scis me* Vmpfenbach, *scin me* Bentley et Fleckeisen. Vtra forma praeferenda sit, diiudicare nequeo. Videmus enim *scin* formam constanter in illis exemplis adhibitam esse, quae indicatiuum uerbi praebent, sed in eis, quae coniunctiuum exhibent, alteram quoque formam omissa *ne* particula non apud Plautum sed apud Terentium occurrere.

2) *Scis, quid loquar* libri; Donatus: *Scis quid loquor*] *Legitur et* »*Scis quod* (editio princeps *qui*) *loquar*«, quod tamen esse poterat uel *Scis quid loquar*] *Legitur et* »*Scis quod loquor*« uel *Scis quod loquor*] *Legitur et* »*Scis quid loquar*« uel, id quod ueri simillimum est, *Scin, quid loquor? Pecuniam in loco neclegere maxumum interdumst lucrum.* cf. supra pag. 277 sq.

Semel coniunctiuus contra librorum auctoritatem in indicatiuum praue mutatus est:

Pl. Men. 530 (III, 3, 7) Scin, quod *hoc* est *spinter?* ‖ *Nescio nisi aureum.*

est Ritschl et Fleckeisen, *sit* libri. Sed ea, quae interrogat, responsum expectat, cum quaerat ex altero, num meminerit atque sciat, quale hoc spinter sit: esse enim idem, quod olim amicae suae dederit. Itaque uersus sic scribendus est:

Scin, quód *hoc* sit *spinter?* ‖ *Néscio nisi aúreum.*

Denique *scin iam* (sequente enuntiato interrogatiuo) ex coniectura restitutum est a Ritschelio Proleg. in Plaut. Trin. p. CXX:

Ter. Adelph. 82 (I, 2, 2) *Quid tristis es?* ‖ *Rogas me? ubi nobis Aeschinust?* ⟨Scin *iam*⟩, quid *tristis ego* sim? ‖ *Dixin hoc fore?*

Sed locum grauiter corruptum necdum persanatum esse censeo. (Nuper Carolus Conradt »de uersuum Terentianorum structura« Berolini 1870 p. 27 parum probabiliter coniecit: *Rogás me? Vbi nobis Aeschinust? Sciet, quid tristis égo sim etc.*); libri et Donatus fere praebent:

Quid tristis es? ‖ *Rogas me, ubi nobis Aeschinus*
Siet, quid tristis ego sim?

nisi quod *rogitas* BCEFP, *rogasne me* V, *sum* pro *sim* EGV.

C)

Interrogatio pendet ex aliis enuntiatis primariis uere interrogatiuis:

Ter. Eun. 351 (II, 3, 60) *Eho Parmeno mi,* nostin et scis, ubi siet?
Eun. 349 (II, 3, 58) Nostin, quae sit?
Ad. 177 (II, 1, 23) nostin, qui sim?
Andr. 586 (III, 4, 7) *Tandem* cognosti, qui siem?
Pl. Most. 334 (I, 2, 40) Quo *ego* eam, *an* scis?
Ter. Eun. 986 (V, 5, 16) *an* scit *iam ille,* quid *meretrix* siet?
Pl. Poen. III, 2, 13 (581) *Sed isti iam* sciunt, *negoti* quid sit?
Ter. Phorm. 846 (V, 6, 6) Num *tu* intellegis, quid *hic* narret?
Phorm. 224 (I, 4, 46) Meministin, *olim* ut fuerit *uostra oratio?*
Pl. Rud. 1310 (V, 2, 23) *Ecquid* meministi, *in uidulo, qui periit,* quid *ibi* [1]) infuerit?

1) *ibi* editores. *tibi* libri.

Coniunctiuus pro absoluto habendus est:

Ter. Heaut. 700 (IIII, 3, 22) — tenes, quid dicam? || *Quid ni?* || *Quid dicam?*

et fortasse

Ter. Ad. 689 (IIII, 5, 55) *aut numquid tute* prospexti *tibi*, Quid fieret, qua fieret? etc.

Pl. Poen. V, 3, 2 (1109) Nouistin *tu illunc tunicatum hominem*, qui siet?

Mil. 925 (III, 3, 51) *Qui* nouerit *me*, quis *ego* sim?[1]

Amph. 485 (I, 2, 23) *iamne hoc* scitis, quid siet?

Contradicunt constanti usui haec duo exempla:

1) Pl. Merc. 722 (IIII, 3, 22) Vin dicam, quoiast? *illa—illa edepol—uae mihi.*

cui est B, *cuia est* CD. Non tam *Vin dicam quoia sit? illa edepol etc.* uel *Vin dicam quae sit? illa—illa edepol etc.* corrigendum quam uerba Lysimacho et Dorippae colloquentibus sic tribuenda erunt:

L. *Vin dicam?* D. *Quoiast?* || L. *Illa—illa edepol—uae mihi.*

conf. uu. 727 et 730.

2) Ter. Heaut. 731 (IIII, 4, 9) *Mea Phrygia*, audisti, *modo iste homo* quam *uillam* demonstrauit

Charini? || *Audiui.* || *Proximam esse huic fundo ad dextram?* || *Memini.*

AUDISTI A, *audistin* BCDEFGP. Sane *demonstrarit* coniunctiuum expectemus; nam *audisti* non παρενθέτως esse interpositum sed enuntiati primarii locum obtinere id docet, quod *audiui* respondetur. Fortasse tamen indicatiuus potius ita ferri potest, ut enuntiatum relatiuum (*quam iste homo demonstrauit*) suspensum esse statuamus ex accusatiuo cum infinitiuo (*uillam Charini proximam esse huic fundo ad dextram*), et *audiui* uerbo sermonem Bacchidis interrumpi a Phrygia.

D)

Enuntiatum secundarium pendet ex interrogatione, in qua negatiua sententia inest:

1) *sim* C, *sum* BD.

1)

Ter. Heaut. 1013 (V, 3, 11) Non uides, quantum *malum ex ea re* excites?

Accius (Ribb. Trag. p. 215, 608) Non uides, quam *turbam*, quantos *belli fluctus* concites?

Pl. Pseud. 1297 (V, 2, 7) Non uides *me*, ut *madide* madeam?

Tria exempla, quae indicatiuum praebeant, obstare uidentur:

1) Pl. Merc. 879 (V, 2, 37) *Respice ad dextram, Charine*: nonne[1] *ex aduorso* uides
Nubis atrae ut *imber* instat? *spice nunc ad sinisteram.*

quos uersus corruptissimos B sic exhibet: *Recipite adterram charine huc non me exaduorso uides Nubisater inberque instat aspiciae nonadsinistrum atque detis.* Quae genuina horum uersuum forma fuerit, ex librorum memoria pro certo indagari nequit; debebat saltem Ritschl *instet* coniunctiuum scribere; attamen longe a Plautina lectione Ritschelianam abesse persuasum mihi est.

2) Pers. 385 (IIII, 1, 57) *Tace stulta.* non *tu nunc hominum mores* uides,
Quoiusmodi *hic cum fama facile* nubitur?

Quoius BD, *Quoiuis* C, *CUIUS* A. Dubium uix est, quin hi uersus ducibus ex parte Acidalio et Guyeto ita emendandi sint: *non tu nunc hominum mores uides? Quoiuismodi hic cum fama facile nubitur* etc. Nam qui uerba *Quoiusmodi hic cum fama facile nubitur* ex *non tu uides* enuntiato primario pendere uelit, is *nubatur* coniunctiuum ponere debeat, qui tamen propter numeros ferri nequit.

3) Most. 810 (III, 2, 123) — *Ah, caue tu ⟨id⟩ illi obiectes nunc in aegritudine,*
Te has emisse: non uides *tu hunc, uoltu* uti *tristist senex?*

---

1) *non* pro *nonne* Spengel »die partikel *nonne* im Altlatein« progr. gymn. Monac. 1866/67. pag. 4.

ut tristi est libri Pall., sed cum rasura duarum litterarum (quae *s teste Studemundo erant) post *ut* B, *ut est tristi* Bothe, *ut tristi sit* Fleckeisen, quod tamen, ut Ritschelio uidetur, saltem *ut sit tristi* esse debebat. Fortasse indicatiuus seruandus est: nam haec duo enuntiata leuiter inter se cohaerere inde apparet, quod secundarium enuntiatum suo subiecto utitur, neque, ut fieri solet, subiectum enuntiati secundarii ex obiecto primarii supplendum est. Itaque saltem sic interpungendum erat *non uides tu hunc? uoltu uti tristist senex!* Coniunctiuo tamen praelato uix errabit, qui *senem* accusatiuum inferet: *Te has emisse. non uides tu hunc, uoltu ut sit tristi, senem?* uelut Epid. III, 4, 22 *Nunc demum scio ego hunc qui sit.. militem.*

Pl. Pseud. 1161 (IIII, 7, 62) *An* nescis, quae sit *haec res?*
Bacch. 676 (IIII, 4, 25) *An* nescibas, quam *eiusmodi homini raro tempus se* daret?
Merc. 729 (IIII, 3, 30) Non *tu* scis, quae sit *illa?*
Stich. 606 (IIII, 2, 26) Non⟨ne⟩ [1] *tu* scis, quam afflictentur *homines noctu hic in uia?*
Men. 911 (V, 5, 13) Non *tu* scis, quantum *isti morbo nunc tuo* facias *mali?*
Men. 302 (II, 2, 28) Non scis, quis *ego* sim?
Aul. IIII, 10, 43 (766) Neque scis, quis ⟨*id*⟩ abstulerit?
Ter. Andr. 791 (IIII, 4, 52) *Eho inepta,* nescis, quid sit *actum?*
Heaut. 848 (IIII, 8, 7) *Iamne* oblitus *es*, *Inter nos* quid sit *dictum de fallacia?*
Heaut. 436 (III, 1, 27) Non *tu illi* dixti, ut essem?
Eun. 419 (III, 1, 29) *Quid illud, Gnatho,* Quo pacto *Rhodium* tetigerim *in conuiuio,* Numquam tibi dixi?
Ex inc. inc. fab. (Ribb. Trag. p. 253, 120) *Thesprote, si quis sanguine exortam tuo*
Prolem inter aras sacrificas sacram immolet,

---

1) Ita Ritschl uix recte; nam *Non tu scis* non solum Palatini sed teste Studemundo etiam A praebet, in quo praeterea *efflictentur* pro *afflictentur* exaratum est. Itaque aut *Non tu scis ut* cum Guyeto aut *Non tu scis quantum* cum Kampmanno scribendum esse uidetur.

Quid *meritus hic* sit, dubium ⟨*id*⟩ an *cuiquam* fuat?

Ceterum lectio huius fragmenti nimis incerta est.

Contradicit huic regulae uersus unus, cuius enuntiatum uix pro relatiuo habendum est:

Pl. Rud. 355 (II, 3, 25) Non audiuisti, *amabo*, Quo pacto *leno clanculum nos hinc auferre* uoluit
In Siciliam et *quicquid domi fuit in nauem* inpos⟨i⟩uit?

nam sententia non est: »Non audiuisti pactum, quo nos leno auferre uoluit?« sed »Non audiuisti lenonem nos auferre uoluisse?« *quo pacto* igitur eadem ratione positum est qua Poen. V, 4, 74. Attamen non ausim hanc lectionem commendare:

Non audiuisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum hinc nos uoluerit auehere
(uel *nos hinc auehere ulu⟨er⟩it*)
In Siciliam et quicquid domi fuit in nauem inposu⟨er⟩it?

2)

Pl. Mil. 447 (II, 5, 37) qui scio, An *ista non* sit *Philocomasium* atque *alia similis eius* siet?

Pers. 716 (IIII, 7, 3) qui *ego nunc* scio, An *iam* adseratur *haec manu*?

Merc. 451 (II, 3, 114) qui scio, Quid sit *ei animi*, *uenire*ne *eam* uelit an non uelit?

Most. 58 (I, 1, 55) Qui scis, an *tibi istuc prius* eueniat *quam mihi*.

Ter. Eun. 790 (IIII, 7, 20) Qui scis, an *quae iubeam sine ui* faciat?

Hec. 235 (II, 1, 38) Qui scis, an *ea causa*, *mi uir*, *me odisse* adsimulauerit?

Pl. Mil. 882 (III, 3, 9) *Quid? egone frustra. . . Tibi* dixi, *miles* quemadmodum potesset *deasciari?*

Amph. 744 (II, 2, 112) Quis *igitur, nisi uos*, narrauit *mi*, *illi* ut fuerit *proelium?*

Ter. Phorm. 1031 (V, 9, 42) quid *ego nunc* commemorem, *Demipho, Singulatim*, qualis *ego in hunc* fuerim?

Pl. Epid. I, 1, 70 (73) Quid *istuc ad me* attinet, quo *tu* intereas *modo?*

Men. 722 (V, 1, 22) Quid *id* ad me, *tun te nuptam* possis perpeti An sis *abitura a tuo uiro?* (conf. etiam Poen. 1009 (V, 2, 60).

Curc. 395 (III, 25) *Nam* quid *id* refert *mea*, An *aula quassa cum cinere ecfossus* siet?

Trin. 1065 (IIII, 3, 58) Quid *id ad me* attinet, *bonis*ne *seruis tu* utare *an malis?*

Pers. 513 (IIII, 3, 44) Quid *id ad me aut ad meam rem* refert, *Persae* quid *rerum* gerant?

Rud. 746 (III, 4, 41) Quid *mea* refert, *haec Athenis natae*ne *an Thebis* sient?

Merc. 904 (V, 2, 65) Quid *tua* refert, qui*cum* ⟨*illa*⟩[1] *istuc* uenerit?

Rud. 1106 (IIII, 4, 62) Quid *id ad uidulum* attinet, *seruae* siut *istae an liberae?*

Most. 34 (I, 1, 33) Quid *tibi malum me aut* quid *ego* agam, curatiost?

Aul. III, 2, 15 (426) quid *tu malum* curas, utrum *crudum*⟨ne⟩ *an coctum* edim?

Rud. 1068 (IIII, 4, 24) quid *tu me* curas, quid *rerum* geram?

Lucilius XXX, 24 (ed. Mueller) Quid seruas, quo eam, quid agam? *quid id adtinet ad te?*

Lucilius XXX, 25 (ed. Mueller) Quid *tu istuc* curas, ubi *ego* oblinar *adque* uoluter?

Lucilius dub. 12 (ed. Mueller) Quid refert, *dictis* ignoscat *Mucius an non.*

Pl. Pseud. 305 (I, 3, 71) *eho* an paenitet *te*, quanto *hic* fuerit *usui?*

Truc. II, 6, 52 (529) Paenitetne *te*, quot *ancillas* alam?

---

1) *illa* inseruit Mueller in prosod. plaut. pag. 722.

§ 3.

Interrogatio pendet ex imperatiuis locutionibusue, quae illorum locum obtinent.

1)

Enuntiatum primarium *uide* similibus imperatiuis efficitur: Iam supra pag. 272 dictum est praeter *uiden* interrogationem adulterinam in eisdem enuntiatis sine ullo sententiae discrimine etiam *uide* imperatiuum enuntiati primarii locum saepius obtinere. Atque scriptores prisci, ut ibidem monuimus, in interrogationibus ex *uiden* enuntiato primario pendentibus indicatiuo tum utuntur, ubi aut id, quod inspicere aliquis iubetur, ante ipsos colloquentium oculos peragitur, aut res de qua agitur uerbis quae praecedunt ei, ad quem uerba fiunt, narratur atque hoc modo tamquam ante oculos proponitur, priusquam inspicere iubeatur. Itaque par est eandem legem obseruari etiam in eisdem enuntiatis quae ex *uide* similibus imperatiuis pendeant, eam dico qua in eiusmodi enuntiatis condicionibus supra commemoratis uerbi indicatiuus flagitetur.

a) Res ipsa oculis conspicitur:

Pl. Most. 886 (IIII, 2, 3)	Vide, ut fastidit *simia*.
Curc. 311 (II, 3, 32)	Vide, ut expalluit.
Ter. Eun. 919 (V, 3, 10)	uide[1], ut *otiosus*[2] it.
Adelph. 559 (IIII, 2, 20)	*Em* uide, ut discidit *labrum*.
Pl. Men. 828 (V, 2, 75)	— ut *uiridis* exoritur *colos Ex temporibus atque fronte:* ut *oculi* scintillant, uide.
Truc. II, 4, 2 (352)	Ver uide, Vt *tota* floret, ut olet, ut *nitide* nitet.[3]

1) *UIDEN* A ante recentem correctorem, *uide* reliqui.

2) *OTIOSUS·ID* A, *otiosus sit* BCDEFP, *otiosus siet* Donatus bis in lemm.

3) Nisi potius cum Studemundo (in scholis) *Ver uide ut tota floret* sine commate scribendum est ita, ut liberiore structura *uer* accusatiuus ex *floret* (et simul aliquatenus ex *olet*) pendeat (conf. Cist. apud Studemundum in ind. lect. Gryphiswald. 1871/72 pag. 13 *Venerem meram haec aedes olent*).

Pl. Mil. 1272 (IIII, 6, 57)	*Leuandum morbum mulieri ⟨esse⟩ uideo.* ‖ Vide, ut extimuit. [1]
Mil. 64 (I, 1, 64)	uide, *caesaries* quam decet.
Stich. 310 (II, 1, 38)	uide, quam *dudum hic* asto et pulto.
Most. 829 (IIII, 2, 144)	Specta, quam *arte* dormiunt.

Inprimis notanda sunt exempla haec:

Pl. Curc. 153 (I, 2, 66)	Hoc uide, ut dormiunt *pessuli pessumi.*
Curc. 126 (I, 2, 33)	Hoc uide, ut ingurgitat *inpura in se merum auariter faucibus plenis.*
Cist. I, 1, 56.	Hoc *sis* uide, ut petiuit *Suspiritum alte.*
Merc. 167 (I, 2, 57)	Hoc *sis* uide, ut palpatur.
Stich. 270 (I, 3, 114)	hoc uide, *Satin* ut *facete atque ex pictura* astitit.
Pers. 788 (V, 2, 11)	Hoc uide, quae *haec fabulast.*
Mil. 200 (II, 2, 45)	illuc *sis* uide, Quemadmodum adstitit *seuero fronte curans cogitans.*
Aul. I, 1, 7 (45)	*Illuc regredere ab ostio:* illuc *sis* uide, Vt incedit. [2]

---

1) Ita Ritschl uersum scripsit; libri Palatini praebent *mulieri uideo. Mi. uiden ut tremit atque extimuit.* Ritschl *tremit atque* uerbis tamquam glossemate deletis *esse* uocabulum inseruit. Lorenz contra numerorum concinnitatem scripsit *Leuandum morbum mulieri uideo.* ‖ *Viden ut extimuit.* Si cum Ritschelio *esse* addendum est, hoc saltem post *uideo* inserendum erit: *Leuandum morbum mulieri uideo ⟨esse⟩.* ‖ *Vide, ut extimuit*; nam uersus, quem Ritschl edidit, insolitam caesuram exhibet. Huic uersui similis est eiusdem fabulae u. 1242: *Prohibendam mortem mulieri ⟨esse⟩ uideo. adibon?* ‖ *Minume.* In hoc quoque uersu *esse*, quod Ritschelius adiecit, propter numeros aptius post *uideo* additur. Lorenz omittit *esse* et in adnotatione hiatum defendere conatur. (B habet *mulieri uideo mulieri*, CD *mulieri uideo mulierem*). Sed, ut ad uersum 1272 redeamus, dubitari potest, num *tremit atque* uerba pro glossemate habenda sint. Fortasse sub his uerbis similis quaedam paronomasia latet atque Poen. IIII, 2, 84: *Tacitus tace modo;* Epid. V, 1, 44: *Quod bonist, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas*, ibid. I, 1, 59: *Nescio pol quid tu timidus trepidas Epidice*, etc. etc. Itaque fortasse non absonum est talem uersum edere:

Leuándum mórbum múlierí uideó. ‖ Vide, ut *tímida* (uel *trépida*) extímuit.

2) Alia interpungendi ratione usi sunt Wagner: *Illuc regredere ab ostio:*

Ter. Eun. 670 (IIII, 4, 3)	Illud uide, *os* ut *tibi* distorsit *carnufex.*
Adelph. 228 (II, 2, 20)	*O scelera:* illud [1]) uide, Vt *in ipso articulo* oppressit.
Pl. Pseud. 954 (IIII, 1, 45)	— Illuc *sis* uide, Vt *transuorsus, non prouorsus* cedit, *quasi cancer solet.* [2])

Vt in his exemplis *hoc, illuc* pronomina neutrius generis ita in aliis nominum uel pronominum accusatiui ad *uide* imperatiuum additi sunt, de quibus accusatiuis quid iudicandum sit, supra pag. 274 exposuimus.

Ter. Phorm. 986 (V, 8, 93)	inpurum uide, Quantum ualet.
Pl. Cas. II, 3, 30 (144)	uide palliolum, ut rugat.
Merc. 881 (V, 2, 39)	Caelum, ut est *splendore plenum,* uide sis.
Pseud. 458 (I, 5, 41)	Statum uide *hominis, Callipho,* quam *basilicus*t. [3])
Most. 855 (III, 2, 168)	*Quin tu* illam [4]) aspice, ut *placide* accubat.
Amph. 507 (I, 3, 9)	Obseruatote ⟨eum⟩, quam *blande* suppalpatur *mulieri.* [5])

illuc sis. uide, Vt incedit, et Goeller: *Illuc regredere ab ostio, illuc: sis, uide, ut Incedit.* Eam quam posui interpunctionem O. Seyffert defendit in Philol. XXVII, p. 432.

1) *illuc* BCEFP, *illud* reliqui cum A.

2) Sic fere hic uersus laudatur a Varrone de l. l. VII, 81 (p. 359 Sp.). Pro quo quamquam libri Plautini praebent *Illuc sis uide: Non prorsus uerum ex transuerso cedit quasi cancer solet,* unde Ritschl coniecit *Non prorsus, uerum transuorsus cedit etc.*, tamen hunc uersum in priscorum scriptorum sermone inquirendo laudari posse arbitratus sum, quamuis uix diiudicari possit, utrum Plautus eum talem scripserit, qualem Varro laudat, necne.

3) *basilicust* scripsi de coniectura pro *basilicum*, quod et in A et in Palatinis extat.

4) *illam* BCD, *illa* A (ut uidetur).

5) Ita hunc uersum ducibus ex parte Donato et Seruio restituit Fleckeisen epist. critica p. XVIII. In libris Plautinis (BD) non ineptus septenarius talis traditus est: *Obseruatote, (huic) quam blande mulieri palpabitur,* nam *huic* fortasse aptius inseras quam *eum*; sane futurum (*palpabitur*) eorum uersuum similitudine defendi possit, de quibus in proximis agetur (Pers. 2 91, Men. 472, Amph. 360).

In tribus exemplis structura *uide ut* ex uirorum doctorum coniecturis prodiit:

1) Men. 180 (I, 2, 66) — *ah solem* uides, *Satin* ut[1]) *occaecatust prae huius corporis candoribus?*

uide Acidalius, *uides* cum Palatinis uulgo. Cum sententia eadem sit atque in eis exemplis, de quibus hucusque egimus, et *uides, uiden, uide* formae in libris saepius inter se confundantur (conf. Stich. 635. 636, Andr. 825), non dubito, quin *uide* cum Acidalio scribendum sit.

2) Capt. 664 (III, 5, 6) ⟨Vide⟩, ut *confidenter* ⟨*seruos*⟩ *mihi contra* astitit, uel
⟨Hoc sís uide⟩, ut *confidenter mihi contra* astitit

proposuit Mueller in prosod. plautin. pag. 58, not. 1 pro eo, quod B praebet *At ut confidenter mihi contra astitit.* Alii alio modo hunc uersum mutilum redintegrare studuerunt: conf. Brixium in nota ad hunc uersum.

3) Pseud. 911 (IIII, 1, 7) *Sed eccúm uideó uerbéream státuam.* úide ut *magnífice* infért *sese.*

uide ut (uel *hoc uide ut*) coniecit Mueller in prosod. plautin. pag. 97, *uti ut* praebent BCD. Veram lectionem sine dubio indagauit Studemund in libro Ambrosiano, qui anapaesticum octonarium duce palimpsesto hoc modo redintegrandum esse in scholis nobiscum communicauit:

Sed eccúm uideó uerbéream státuam: ut it, út magnífice infért sesé!

Aliquotiens indicatiuus occurrit, quamquam res nondum peragitur sed praedicatur tantum:

et in minantis formulis:

Pl. Pers. 291 (II, 4, 20) specta, Quid dedero.
Men. 472 (III, 2, 7) obserua, quid dabo.

---

1) De *satin ut* pleonasmo, qui tamen ita quoque explicari possit, ut *satine* pro *satin est* (scil. *ita*) habeatur, ex quo enuntiatum correlatiuum *ut occaecatust* etc. pendeat, conf. Stich. 270 pag. 291, Most. 1109 p. 140. Conf. etiam anonymum in Leutschii 'Philolog. anzeiger' II, 446.

Pl. Amph. 360 (I, 1, 204) Vide sis, quam *mox* uapulare uis (i. e. *uapulabis*), *nisi actutum hinc abis*. —

et:

Afran. (Ribb. Com. p. 158, 168) *Nunc* uide, *hoc* quo pacto *e(g)o aurum in medium* proferam.

quamquam alios interpretandi modos extare facile perspicitur.

b) Id, ad quod *uide* imperatiuus pertinet, uerbis quae praecedunt enarratum erat:

Pl. Stich. 410 (III, 1, 9) Videte *quaeso*, quid potest *pecunia*.

(conf. quae de re quadruplicata in proximis dicta erant).

Ter. Phorm. 357 (II, 3, 10) *Quia egens relictast misera, ignoratur parens,*
Neglegitur ipsa: uide, *auaritia* quid facit.

Caecilius Statius (Ribb. Com. p. 60, 216) Vide, *Demea, hominis* quid fert [1]) *morum similitas.*

Laberius (Ribb. Com. p. 251, 104) Ecce, *in senecta* ut *facile* labefecit *loco*
Viri excellentis mente clementi edita,
Summisa placide blandiloquens oratio.

Contra in eis interrogationibus, in quibus id, ad quod *uide* imperatiuus pertinet, eis demum uerbis enarratur, quae interrogationem secuntur, coniunctiuum inuenimus. Discrimen igitur, quod inter haec et illa enuntiata intercedit, fere idem est atque id, quod intercedit inter eas interrogationes ex *dic* similibus imperatiuis suspensas, quae cum indicatiuo coniunguntur, et eas, quae cum coniunctiuo: In illis enim enuntiatis *uide* imperatiuus, utpote qui solo adhortandi munere fungatur, tam parui momenti est, ut omitti possit: contra in his *uide* imperatiuus cum idem significet quod *audi* uel *tibi dicam*, tanta est sententiae grauitate tamque necessarius est, ut non solum omitti nequeat, sed etiam enuntiatum secundarium totum sibi subiungat:

1) *fert* editiones, *feret* codices Noniani.

Ter. Phorm. 111 (I, 2, 61) *Amare coepit.* ‖ *Scin quam?* quo euadat, uide:
Postridie ad anum recta pergit, obsecrat etc.

Pl. Merc. 103 (I, 1, 102) *Vosmet* uidete, quam *mihi ualde* placuerit:
Postridie hospitem adeo, oro, ut uendat mihi.

Ter. Andr. 825 (V, 1, 6) Vide, quam *iniquos* sis *prae studio: dum id efficias, quod cupis,*
Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.

Vides praebent BCDPG, *Vide*, quod sensu flagitatur, Eugraphius et (E).

Cato orat. II (Iord. p. 37, 18) uide sis, quo *loco res publica* siet: *ubi* (sic Haupt, *uti* codex Frontonis) *quod rei publicae bene fecissem, unde gratiam capiebam, nunc idem illud memorare non audeo, ne inuidiae siet.*

Cato orat. I, 28 (Iord. p. 36, 14) Videtote, quanto *secus ego* fecerim: apparet expositionem secutam esse.

C. Sempronius Gracchus apud Charis. p. 240 ed. K. (Meyer p. 228) *Pessimi Tiberium fratrem meum optimum interfecerunt.* Em uidete, quam *par pari* sint: *sint* ed. I, *si n* liber Neapolitanus, *sim* Keil. Coniunctiuus excusari uix poterit nisi ita, ut *uidete* imperatiuum ad ea, quae olim sequerentur, pertinuisse atque oratorem hoc imperatiuo auditorum animos ad ea, quae deinceps enarraturus esset, aduertisse existimemus. Contra si quis *uidete* imperatiuum ad ea quae praecedunt referenda esse censuerit, is *sunt* uel (duce Keilio) *sum* indicatiuum oratori reddat oportebit. Attamen libere confiteor ultimorum uerborum sensum me non satis assequi. Fortasse grauior corruptela latet, cum praesertim in eis uerbis quae proxime secuntur in editione Keiliana »at quidam *em* pro *en* uolunt esse. sed decet commemorationi fraternae mortis ingemescere« particula *at* prorsus abundet. Nescio igitur an *at* litterae ad Gracchani fragmenti exitum aliquo modo pertinuerint.

Ter. Heaut. 600 (III, 3, 39) *Vah*, uide, quod inceptet *facinus: fuit quaedam anus Corinthia:*
Huic drachumarum haec argenti mille dederat muluom —

inceptet praebent libri omnes praeter G codicem, qui *inceptat* indicatiuum exhibet; hunc Fleckeisen et Wagner secuti sunt, ceteri editores *inceptet* coniunctiuum seruauerunt. Fleckeisen propterea, ut uidetur, *inceptat* indicatiuum correxit, quod dubitauit, num praesentis, quod dicimus, historici coniunctiuus ferri posset. Sed cum eadem condicio sit Phorm. u. 111 et praeterea ibid. u. 121 ad *Quid fit denique?* interrogationem, quae posita est pro *Quid denique factum est?*, respondeatur *Quid fiat?* pro *Quid factum sit?*, coniunctiuum non sollicitandum esse apparet. Male, si recte memini, Krauss quaest. Terent. pag. 40 *Auide quid ea inceptat* scribendum esse coniecit; nam coniunctiuus omnino necessarius erat.

Coniunctiuus facili negotio restitui potest in uersu Andriae uersui 825 simillimo:

Ter. Hec. 223 (II, 1, 26) *At* uide, quam *inmerito aegritudo haec* oritur *mi abs te, Sostrata:*
Rus habitatum abii, concedens uobis et rei seruiens, —
Sumptus uostros otiumque ut nostra res posset pati etc.

Fortasse scribendum erit: *At uide, quam inmerito aegritudo haec mi abs te oriatur, Sostrata.*

Pl. Most. 198 (I, 3, 41) *Postremo, si dictis nequis perduci, ut uera haec credas,*
Ex factis nosce rem: uide, ⟨*ego*⟩ quae sim et quae fui *ante.*
Nihilo ego sum amata ⟨*setius*⟩, *atque uni gessi morem,*
Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem commutauit,
Reliquit deseruitque me.

Sic Ritschl hos septenarios iambicos restituit; libri Palatini prae-

bent 199 seq.: *Mea dicta ex factis nosce rem uides quae sim et quae fui ante Nihilo ego quam nunc tu amata sum*[1]) *atque uni modo gessi morem.* Verba *mea dicta* Ritschl tamquam glossema ad *haec* (u. 198) adscriptum deleuit, seruauit nuper C. F. G. Mueller in prosod. plaut. p. 218, qui parum probabiliter proposuit:

Mea dicta ex factis nosce: me uide, quae sim et quae fui ante:
Nihilo ego quam nunc tu ⟨minus⟩ sum amata atque uni gessi morem.

Sim et *fui* modos uariatos ita fortasse explicet aliquis, ut uerba *quae sim* ex *uides* enuntiato primario pendere statuat, non item uerba *quae fui ante:* posse enim Philocomasium uidere, quae Scapha nunc sit, non quae antea fuerit: itaque *quae fui ante* uerba non ex *uides* pendere sed pro mera exclamatione habenda esse. Sane simili ratiocinatione O. Seyffert ductus esse uidetur, cum in Philol. XXIX, p. 393 scribendum coniceret:

Ex factis nosce rem: uides, ⟨ego⟩ quae sim. et quae fui ante![2]) (ubi errore typographico praua extat interpunctio haec:
Ex factis nosce rem uides. ego quae sim, et quae fui ante!)
Cum Scapha et quae fuerit (amata et uni amatori morigera) et quae nunc sit (relicta desertaque ab amatore) uersibus 200—202 exponat, tale quid expectes:

Postremo, si dictis nequis perduci, ut uera haec credas,
Ex factis nosce rem: uide ⟨*me*⟩, quae sim *et* quae fu⟨er⟩i⟨m⟩ *ante:*
Nihilo ego quam nunc tu ⟨minus⟩ sum amata atque uni gessi morem,
Qui pol me . . . reliquit etc.

Nec tamen aliae et explicandi et emendandi uiae desunt.

---

1) Non *sum amata* (ita teste Ritschelio), sed *amata sum* in B extare monuit me Studemund, qui illam uerborum collocationem mero errori typographico in apparatu critico Ritscheliano deberi ex eis conclusit, quae Ritschelius de Da adnotauit.

2) *hem uide, quae sim at quae fui ante!* similiter iam proposuerat Scioppius.

Huc pertinent etiam eae interrogationes, quae ex *animum aduorte* similibus locutionibus pendent:

Pl. Pseud. 497 (I, 5, 82) animum aduorte *nunciam*, Quapropter *te expertem huius amoris* habuerim:

Ter. Andr. Prol. 8 *Nunc*, quam *rem uitio* dent, *quaeso*, animum attendite:

Accius (Ribb. Trag. p. 199, 485) Cuius *uos tumulti causa* accierim et quid parem, animum attendite:

Pl. Amph. prol. 38 *Nunc huc* animum *omnes*, quae loquar, aduortite:

Ter. Hec. prol. 20 *Nunc* quid petam, *mea causa aequo animo* attendite:

Phorm. prol. 24 *Nunc* quid uelim, animum attendite:

Pl. Trin. prol. 10 *Sed ea* quid *huc intro* ierit *inpulsu meo*, Accipite:

2)

Interrogatio pendet ex imperatiuis uel aliis locutionibus, quibus aliquis tertio cuidam *dicere* uel *nuntiare* aliquid iubetur; haec igitur enuntiata diligenter ab eis secernenda sunt, quibus *dic mihi* sententia subest:

Pl. Most. 1151 (V, 2, 29) Dicito *eis*, quo pacto *tuus te seruos* ludificauerit.

Cato de r. r. CXLIX, 1 Qua uendas *fini*, dicito.

Pl. Capt. 395 (II, 3, 35) Dicito *patri*, quo pacto *mihi cum hoc* conuenerit.

Ter. Eun. 970 (V, 4, 48) *tu isti* narra[1]) *omne ordine*, ut *factum* siet.

Pl. Most. 1136 (V, 2, 15) *Adueniens perterruit me.* loquere *nunc*, quid fecerim.

Pacuuius (Ribb. Trag. p. 112, 283) *Gnate*, *ordinem omnem*, ut dederit, enoda *patri*. [2])

---

1) *narrato* CEFPD², *narra* reliqui.

2) *Gnate* Mercerus, *gnato* libri Noniani; *ordinem* libri, *ordine* Kiessling; *ut dederit* libri, nisi quod *ut dederat* Vrbinas 307, *ut ut erit* Palmerius, *ut steterit* Maehly, *miseriam* e. g. Kiessling, *ut res erat* Ribbeck coroll. p. XLV; *enoda* Mercerus, *enodat* libri. Verba *ordinem omnem* corrupta esse uidentur. Sed hac de re ut certum iudicium ferre possimus, prius de *ordine aliquid narrare* uel — *scire* locutionibus fusius exponendum est:

Pl. Capt. 376 (II, 3, 16) *Qui me* quid *rerum hic* agitem et quid *fieri* uelim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.

Lucilius XXVII, 5 (ed. Mueller) Proferat *iam ergo ordo uoster scelera*, quae *in se* admiserit.

Prisci igitur poetae scaenici, ubi nostrum *der reihe nach* exprimere uolunt, cum uerbis dicendi et sciendi *ordine* ablatiuum nulla praepositione addita coniungunt, uelut: Phorm. 580 (IIII, 1, 14) *Quo pacto aut unde mihi sit, dicundum ordinest*, Cas. V, 2, 21 (751) *(Me)mora ordine, ut occeperas*, Accius 50 (Ribb. Trag. p. 142) *age nunc tu tuam progeniem profer ordine*, Ad. 513 (III, 5, 3) *ut res gestast, narrabo ordine*, Capt. 377 (II, 3, 17) *Patri meo ordine omnem rem illuc perferat*, Ad. 364 (III, 3, 10) *Omnem rem modo seni, Quo pacto haberet, enarramus ordine*, Amph. 211 (I, 1, 56) *Haec ubi Telebois ordine iterarunt*, Most. 552 (III, 1, 21) *Dixi, inquam, ordine omnia*, Amph. 599 (II, 1, 52) *Ordine omnia, ut quidque actumst — Edissertauit* (*Ordine omne* B, *Ordine omnem* D, itaque fortasse *Ordine omnem rem* scribendum erat, cf. Truc. IIII, 3, 77, Men. 679, sed e contrario Bacch. 1097, Pseud. 1312) — Truc. II, 4, 57 (410) *ordine omnem rem tenes*, Men. 679 (IIII, 3, 5) *uxor resciuit rem omnem ut factumst ordine*, Pseud. 1312 (V, 2, 13) *Omnia, ut quicque egisti, ordine scio*.

Exempla, in quibus *ordinis* uocabulum cum praepositione coniunctum in libris legitur, haec sunt: atque a) cum *in* praepositione

α) ablatiuo casu:

Mil. 874 (III, 3, 1) *Rem omnem tibi, Acroteleutium*, (hanc collocationem uerborum restituit Studemund in scholis) *tibique una, Milphidippa, Domi demonstraui ordine.*

ordine Pylades, *in ordine BCD.*

Pers. 91 (I, 3, 12) *Vt ordine omnem rem tenet.* (*ordine* CD, *in ordine* B)

β) accusatiuo casu:

Cas. V, 2, 18 (748) *Omnem ordine rem Fateri ergo aequomst; omnem in ordinem rem* B.

Poen. III, 2, 13 (584) *Sed isti iam sciunt, negoti quid sit? ‖ Omnem rem ordine*; *OMNEINORDINEM* A, *omnem in ordine* BCDa, *omnem ordine* Dc, *omnem rem ordine* Camerarius; possis etiam *quid siet? ‖ Omne ordine* temptare.

Rud. 1155 (IIII, 4, 111) *Mane ne ostenderis. ‖ Qua facie sunt, responde ex ordine; ex ordine* BD, fortasse (*omne*) *ordine* uel (minus probabiliter) (*mi*) *ordine* scribendum est; cf. supra p. 137.

Corp. inscr. lat. I pag. 120, 34 (lex Iun. municip.) *Ipse aed(ilis) diebus ne minus X, antequam locet, aput forum ante tribunale suom* propositum habeto, quam *uiam tuendam* et quodie *locaturus* sit et quo–

Ceterum non nego Lucilium (XXVIIII, 58 ed. Mueller) *adde alios omnes meo periclo ex ordine* scripsisse.

Denique eodem modo, quo Pacuu. 283, *ordinem* pro *ordine* in libris peccatum est:

Eun. 970 (V, 4, 48) *tu isti narra omne órdine, ut factúm siet.* (*omne ordine* Faernus, *OMNEMORDINEM* A cum reii.)

Ad. 354 (III, 2, 53) *Abi atque Hégioni cognato huius rem énarrato omnem órdine. ORDINEM* A, *ordine* rell.

Mil. 1165 (IIII, 4, 28) *Quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio Abierim, cupiens istius nuptiarum.* ‖ *Omne ordine* (scil. *tenes*); sic Bothe, *istius omne ordinis nuptiarum* BCD, *ISTIUSNUP[TIA]RU[M* ‖ *OMNE]M[ORDINJEM* praebet A (ex Studemundi coniectura).

Trin. 880 (IIII, 1, 11) *Abi, laudo: scis ordine, ut aequomst, tractare homines. ordinem* BCa, *ordine* CbD.

Heaut. 706 (IIII, 3, 28) *ut recta uia rem narret ordine omnem. renarret ordinem omnem* EF, *rem narret ordine omnem* BCDGP, *rem narret ordine* (om. *omnem*) A.

Paulum discedunt ab his exempiis uersus sequentes:

Pseud. 761 (II, 4, 71) *Omnes ordine sub signis ducam legiones meas. ordines* libri Palatini, *ordine* (*ego*) Kampmann.

Pseud. 675 (II, 3, 9) *Quo modo quicque agerem, ut lenoni subruperem mulierculam, Iam instituta, ornáta cuncta órdine, animo ut uólueram, Certa, deformata habebam.*

in ordine BCD idemque in A extare potuisse uisum est Studemundo, *mi ordine* uel *ex ordine* Ritschl. conf. de hoc uersu S. Bugge in Tidsskrift for Philologi og Pædagogik uol. VII pag. 23.

Afranius 415 (Ribb. Com. p. 185) *Et plagulam lecto pellis dimitte ordine*; *de lecto* et *in ordine* libri Nouiani.

Itaque ueri non dissimile esse uidetur etiam Pacuu. 283 *omnem ordinem* praue exaratum esse pro *omne ordine* uel *omnem rem ordine*. Sed quomodo uersus restituendus sit, diiudicare non ausim. Possis temptare:

Gnato ordine omne, ut habeat, enodat pater. (cf. Ad. 364, Eun. 970) uel

Gnato ordine omne, ut fuerit, enodat pater, uel

Gnato ordine omnem rem, ut erat, enodat pater, uel simile aliquid.

rum *ante aedificium ea uia* sit; *eisque, quorum ante aedificium ea uia erit, procuratoribusue eorum domum* denuntietur facito *se eam uiam locaturum et* quodie *locaturus* sit.

Corp. inscr. lat. I pag. 62 (lex rep. LXVIII) ⟨*singulisque fiscis* inscribatur⟩, quis *praetor litis* aestumauerit et unde *ea pequnia redacta* siet, quantumque *in eo fisco* siet.

Corp. inscr. lat. I pag. 63 (lex rep. LXXXVI) *de ea re eius* (optio est)o, utrum uelit *uel in sua ceiuitate etc.*

3)

Interrogatio pendet ex uerbis *cogitandi, recordandi:*

Pl. Truc. IIII, 4, 15 (856) Cogitato, *mus pusillus* quam sit *sapiens bestia.*

Most. 726 (III, 2, 37) *Vita* quam sit *breuis*, cogita *simul.*

Mil. 1364 (IIII, 8, 54) Cogitato *identidem, tibi* quam *fidelis* fuerim.

Cato de r. r. XXX, 7 Cogitato, *hiems* quam sit *longa.*

Pl. Epid. III, 3, 5 (377) *Vbi id inspexissent,* cogitarent *postea,*
Vitam ut uixissent *olim in adulescentia.*

Men. 972 (V, 6, 7) Recordetur *id, qui Nihili sunt,* quid *is preti* Detur *ab suis eris.*

Poen. V, 4, 108 (1267) *Patrue,* facito in memoria habeas, *tuam maiorem filiam*
Mihi te despondisse. || *Memini.* || *Et dotis* quid promiseris.

Aul. III, 6, 6 (534) *Qui habent,* meminerint *sese,* unde *oriundi* sient.

Itaque *faciamus* contra codicum Gellianorum fidem restituendum esse censeo in

Catonis orig. V, 2 (Iord. p. 23, 13) Cogitate, quanto *nos inter nos priuatim cautius* facimus [ita codd., scribe: *faciamus*]*: nam unusquisque nostrum, siquis aduorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa ui contra nititur etc.*

Hunc cum usum loquendi fuisse[1] satis constare uideatur, ueri fit simillimum ne Ter. Heaut. 638 (IIII, 1, 25) quidem recte edi cum codicibus

Quam *bene uero abs te prospectumst*, *quod*[2]) *uoluisti*, cogita:
Nempe anui illi prodita aps te filiast planissume,
Per te uel uti quaestum faceret uel uti ueniret palam.

Conicio emendandum esse:

Quam *bene uero abs te prospectum* sit, *quod uolui*, *id* cogita:

Per ironiam igitur Chremes dicit Sostratam bene curasse mariti sui uoluntatem; conf. etiam 634 sq.

Coniunctiui, quem dicimus, absoluti exempla haec sunt:

a) coniunctiui condicionalis:

Pl. Capt. 711 (III. 5, 53) *Nam* cogitato, *si quis hoc gnato tuo*
Tuus seruos faxet, qualem haberes *gratiam?*

Accius (Ribb. Trag. p. 177, 310) ⟨*At*⟩ *contra* quantum obfueris, *si uictus sies*,
Considera, et quo reuoces *summam exerciti*.

b) coniunctiui iussiui:

Corp. inscr. lat. I p. 120, 26 *inter se* paranto aut sortiunto, qua *inpartei urbis quisque eorum uias publicas in urbem Romam propiusue u. R. p. M reficiundas sternendas* curet *eiusque rei procurationem* habeat.

---

1) Non contradicit huic usui

Ter. Hecyr. 683 (IIII, 4, 61) *Aliquando tandem huc* animum *ut* adiungas *tuom*,
Quam *longum spatium amandi amicam tibi* dedi!
Sumptus, *quos fecisti in eam*, quam *aequo animo* tuli!

Nam quocumque modo primum uersum interpretatus eris, hoc constat alterius uersus structuram e primo suspensam non esse.

2) *quod* Bothe, *quid* codices omnes.

CAPVT TERTIVM.

Quoniam interrogationum obliquarum, in quibus uerbi coniunctiuus ex certis legibus adhiberi solitus est, genera omnia perlustrauimus, nunc accedamus ad ea exempla, quae illis legibus exempta esse uidentur. Nam in plerisque interrogationum, de quibus hucusque egimus, generibus singula inueniuntur exempla, in quibus, quamuis nostro iure coniunctiuum expectemus, indicatiuus occurrat. Causam, qua in his enuntiatis indicatiuus efficeretur, alii aliam esse putabant: re uera causa inde repetenda esse uidetur, quod prisci scriptores in exprimendis eis, quae pro certo constare et omni dubitatione uacare sentirent, etiam formam certis rebus describendis propriam, id est modum indicatiuum, adhibere non dubitarunt. Indicatiuus autem, ut par est, in eis tantum interrogationibus ferri potest, quae pronomine interrogatiuo, non in eis, quae particula interrogatiua insignes sunt, utpote in quibus de ipsa actione dubitetur; atque e pronominibus interrogatiuis eae formae solae huc pertinent, quae simul r e l a t i u a m sententiam exprimere possunt. In nonnullis enim exemplis inter enuntiatum primarium et secundarium condicio quaedam uel correlatiua uel relatiua ita intercedit, ut illa enuntiata non tam pro interrogationibus obliquis quam pro enuntiatis correlatiuis uel relatiuis habenda esse uideantur, prout aut pronomen demonstratiuum, cui pronomen relatiuum responderet, omissum aut nomen substantiuum, ad quod pronomen relatiuum referendum esset, per attractionem quandam ex enuntiato primario in secundarium transpositum et pronominis relatiui casui adaptatum esse censuerimus. Ac certis quidem legibus discernere uelle, ubi in his enuntiatis indicatiuus,

ubi coniunctiuus adhibendus sit, nefas est, cum haec inprimis enuntiata scriptoris arbitrio atque libidini inseruiant; attamen quod discrimen intercedat inter enuntiata illa, quae indicatiuum praebeant, et ea, quae coniunctiuum, ex huiusmodi exemplis optime intellegitur, ut Amph. 1129 (V, 1, 17) *Semul hanc rem, ut factast, eloquar*, et Trin. 236 (II, 1, 10) *Omnium primum Amoris arteis eloquar, quemadmodum se expediant.* In priore enim uersu is, qui loquitur, indicatiuo ostendit se rem ita, ut sit, explicaturum esse, neque suam ipsius opinionem admiscentem neque rem cum aliis condicionibus mente conectentem; in posteriore uero enuntiato coniunctiuo exprimitur rem non simpliciter narrari, sed ita exponi, ut eam esse is qui loquitur ex sua ipsius sententia sibi persuaserit: profitetur igitur, quemadmodum amoris artes se expediant, ita se elocuturum esse, ut ipse illas sese expedire compertum habeat, neque negat fieri posse ut alia quoque ratione illae sese expediant. Itaque *quemadmodum* uocabuli notio ita cohibetur, ut significet non *aliqua ratione*, sed *certa illa ratione*, de qua is qui loquitur cogitet. Recte iam Reisig (schol. lat. § 329) utriusque constructionis naturam adumbrauit uerbis his: »*Was aber hier* (in interrogationibus obliquis) *als ein subjectiver gedanke dargestellt wird, kann auch in der form der objectivitaet gegeben werden, wo die sache nicht mehr in der abhaengigkeit von dem denken steht, sondern fuer sich der grammatischen form nach hingestellt ist als etwas objectives. Hier ist also selbst die grammatische form eine unabhaengige, und der indicativ wird dann angewendet, wofern nicht zu dem inhalt des gedankens der sinn der moeglichkeit kommen soll.*« Quamquam certae leges, ut iam diximus, constitui nequeunt, tamen satis magno exemplorum numero docemur priscos scriptores saepius indicatiuum adhibuisse id est res potius simpliciter enarrare quam comparare cum ipsorum sententia solitos esse, neque Reisig perperam iudicauit, cum diceret »*Die neueren scribenten sind in der bisher behandelten construction gewoehnlich sehr einseitig; sie scheuen sich vor dem indicativ wie vor der pest. Sall. Iug. 4, 4 wechselt in zwei verbundenen saetzen mit dem indicativ und coniunctiv: Qui si reputauerint et quibus ego*

temporibus magistratus adeptus s u m[1]) *et quales uiri idem assequi* n e q u i u e r i n t, *et postea quae genera hominum in senatum* p e r u e n e r i n t, *profecto existimabunt etc. Es ist aber der indicativ in dergleichen saetzen nur bei solchen verknuepfenden ausdruecken moeglich, welche nicht an sich schon die bedeutung einer subiectiven abhaengigkeit fuehren; also koennen ausdruecke mit relativem sinne beide constructionen annehmen, als: ut, wie, quam, qualis, quantus, qui, ubi.«* — Huius structurae rationem formalem id est grammaticam magis respiciebat Krueger, qui in gramm. lat. § 611 adn. 3 »*Wenn sich*«, inquit, »*nicht nur bei spaetern schriftstellern und dichtern, sondern auch selbst bei Cicero und Livius mehrere stellen finden, in welchen auch ein indirecter fragesatz den indicativ zu haben scheint, so ruehrt dies daher, dass . . . . . das substantiv, auf welches sich ein relativsatz bezieht, aus dem hauptsatze in diesen selbst hineingezogen ist. In folge hiervon nimmt der relativsatz die form eines indirecten fragesatzes an, behaelt aber dessen ungeachtet den indicativ, z. b.: At quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare. Cic. Fin. 4, 24 (= considerare argumentum, quo cet.). Quaeramus, ubi maleficium et est et inueniri potest. Cic. p. Rosc. Amer. 29, 83 (= quaeramus scil. maleficium eo loco, ubi cet.). In freierer construction daher denn auch: Iam omnes intellegunt, cur uniuersa prouincia defensorem suae salutis eum quaesiuit cet. Cic. Verr. 3, 26 (= rationem qua oder cur).*« Omitto alios, qui obiter hanc rem tetigerunt, uelut Ferdinandum Hand »Lehrbuch des lateinischen stils« (Jenae 1838) pag. 205. Conf. etiam Roensch »Itala und Vulgata« p. 428 sq.

Iam accedamus ad singulas huius generis species; atque ordiamur

I) ab e n u n t i a t i s c o r r e l a t i u i s, ac primum quidem

1) ab eis, quae ita comparata sunt, ut in membro relatiuo *ut*, *quomodo*, *quemadmodum* particulae occurrant, et in

1) *sim* P, *sum* C. Iordanus suo iure *sim* scripsit; nam, nisi alius sensus efficiendus erat, modus in aequalibus enuntiatis uix uariabatur.

membro demonstratiuo particulae correlatiuae mente supplendae sint. Horum enuntiatorum duo genera sunt: nam

a) in nonnullis uersibus id nomen substantiuum, quod tam in enuntiato primario obiectum quam subiectum in secundario est, reuera ad enuntiatum primarium solum obiecti casu additur, pro subiecto tamen simul in enuntiato secundario subaudiendum est. Itaque in his exemplis solum nomen substantiuum obiecti locum tenet, ad quod enuntiatum secundarium, quo res accuratius definiatur, instar appositionis accedit:

Pl. Amph. 1129 (V, 1, 77) *semul hanc rem*, ut factast, eloquar.
Asin. 731 (III, 3, 141) *nunc rem*, ut est, eloquamur.
Trin. 580 (II, 4, 177) Dic (scil. *ei*) *hoc negoti*, quomodo actumst.
Bacch. 473 (III, 3, 69) *ego omnem rem* scio, Quemadmodumst.
(Mil. 256 (II, 2, 101) *atque haec ei dice, monstra, praecipe, Vt* teneat *consilia nostra*, quemadmodum *exorsi* sumus, *De gemina sorore.*)
Asin. 367 (II, 2, 100) *Nunc tu abi ad forum ad erum et* narra *haec*, ut *nos acturi* sumus.
Amph. 460 (I, 1, 304) *Ibo ad portum atque haec*, ut *facta* sunt [1]), *ero* dicam *meo*.
Amph. 559 (II, 1, 9) *Tamen*, *quin* loquar *haec*, uti *facta* sunt *hic*,
Numquam ullo modo me potes deterrere.

In nonnullis, quae huc referenda sunt, exemplis, in quibus et ipsis id uocabulum, quod obiectum est in enuntiato primario, etiam in enuntiato secundario pro subiecto subaudiri debebat, aliud simile subiectum aut mente supplendum est [2]):

Pl. Truc. IIII, 3, 77 (839) *nam ipsa et ultro*, ut factumst, fecit *omnem rem palam.*
Men. 679 (IIII, 3, 5) *uxor* resciuit *rem omnem*, ut factumst, *ordine.*

1) *ut facta sunt* Luchs, *ut sunt facta* BD, *ut(i) sunt facta* uulgo.
2) conf. Brixium ad Men. u. 676.

aut re uera additur:

Pl. Bacch. 1097 (V, 1, 11)	*Omniaque*, ut *quicque* actumst, memorauit.
Amph. 599 (II, 1, 52)	*Ordine omnia* (uel *omnem rem*), ut *quicque* actumst, ... Edissertauit.
Conf. Amph. 441 (I, 1, 285)	*Certe edepol, quom illum contemplo et formam* cognosco *meam*, Quemadmodum *ego* sum, ... *nimis similist mei*.

pro *Quemadmodum ea* (scil. *forma*) *est*.

b) in ceteris uersibus accusatiuus ille enuntiati primarii attractionis artificio in nominatiuum mutatus et ad enuntiatum secundarium relatus est:

Ter. Adelph. 513 (III, 5, 3)	*Conueniam atque*, ut *res* gestast, narrabo *ordine*.
Pl. Rud. 1211 (IIII, 6, 7)	*Eloquere* (scil. *ei*), ut *haec res* optigit *de filia*.
Trin. 749 (III, 3, 20)	edoceam, ut *res se* habet?[1]
Bacch. 1063 (IIII, 9, 140)	Dico, ut *res se* habet.
Merc. 351 (II, 3, 17)	*Nunc si* dico, ut *rés* est[2], *atque illam mihi me Emisse indico* —
Asin. 376 (II, 2, 109)	Dico, ut usus⟨t⟩ *fieri*. ‖ Dico *hercle ego quoque*, ut *facturus* sum.
Men. 119 (I, 2, 10)	*Nimium ego te habui delicatam: nunc adeo*, ut facturus, dicam.

ubi *sum* mente suppletur.

Pl. Men. 808 (V, 2, 57)	*Iam ego ex hoc*, ut factumst, s⟨cibo: *ad*⟩*ibo ad hominem atque* ⟨*ad*⟩*loquar*.
Trin. 830 (IIII, 1, 11)	*Abi, laudo:* scis *ordine*, ut aequomst, *tractare homines*.
Amph. 573 (II, 1, 23)	*Verum hau mentior, resque* uti⟨st⟩ facta, dico.

1) Conf. O. Ribbeckium in mus. Rhen. XXVII p. 178.

2) Secundus bacchius si purus fuit, transponendum est: *ut ést res*.

Pl. Amph. 1042 (IIII, 3, 8) *Iam me ad regem recta ducam, resque* ut factast, eloquar.

Coniunctiuus si quando in eiusmodi exemplis occurrit, aut a legibus grammaticis profectus est aut inde, quod is qui loquitur uerbis uel suam ipsius opinionem admiscet uel eius, cuius uerba profert:

Atque Men. 518 (III, 2, 52) *Numquam edepol quisquam me exorabit, quin tuae Vxori rem omnem iam, ut si⟨e⟩t gesta, eloquar*, Merc. 212 (I, 2, 99) *Metuo miser, Ne patrem prehendat, ut sit gesta res, suspicio*, coniunctiui eo fortasse effecti sunt, quod enuntiata primaria, quae et ipsa ex tertio enuntiato pendent, coniunctiuum praebent. Fortasse igitur in loco dubio apud Ter. Adelph. 636 (IIII, 5, 2) *ego Aeschinum conueniam, ut quo modo acta haec sunt, sciat*, (*SVNT* praebet A, corr. A[1], *sint* Vmpfenbach, *sunt* BCDEFGP et Fleckeisen) coniunctiuus praeferendus est. — Hecyr. 567 (IIII, 1, 52) *Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciuerit*, coniunctiuo locus est, quia enuntiatum primarium condicionale est et ex tertio enuntiato pendet; Rud. prol. 64 *Adulescenti alii narrant, ut res gesta sit*, quia aliorum uerba, Adelph. 364 (III, 3, 10) *Omnem rem modo seni, Quo pactó haberet, enarramus* (id est praesens historicum pro *enarrauimus*) *ordine*, quia uerba alio tempore pronuntiata referuntur; Epid. III, 2, 41 (368) *Haec scitis iam, ut futura sint*, quia sententia est *haec scitis iam ut futura sint, si ita, ut uolo, contingent.* De Trin. 236 (II, 1, 10) supra p. 304 diximus. Ter. Hec. 468 (III, 5, 18) *Omnem rem scio, ut sit gesta, aduenicns audiui modo*, eodem iure indicatiuo locus esset. — Transeamus

2) ad aliquot exempla, in quibus quae *quam* particulae relatiuae respondeant *tam* uel *tantum* particulae demonstratiuae subaudiendae sunt:

Pl. Most. 459 (II, 2, 32) *Non potest* Dici, quam *indignum facinus* fecisti *et malum.*

Ter. Hec. 90 (I, 2, 15) *Non* dici *potest*, Quam *cupida* eram *huc redeundi, abeundi a milite.*

Ter. Hec. 645 (IIII, 4, 23) *nequeo satis,* Quam *hoc mihi* uidetur *factum praue,* proloqui.

Hec. 471 (III, 5, 21) *idque si nunc* memorare *hic uelim,* Quam *fideli animo et benigno in illam et clementi* fui, *Vere possum.*

Hac enim ratione indicatiuum in his uersibus explicandum esse docemur Hec. 416 (III, 4, 2) *Non hercle uerbis, Parmeno, dici potest* ***Tantum, quam*** *re ipsa nauigare* ***incommodumst*** (id est *non dici potest, quam incommodumst nauigare*), et Claud. Quadrigarii annal. 47 (Peter p. 222, 12) ***Adeo*** *memorari uix potestur,* ***ut*** *omnes* ***simul*** *suum quisque negotium adorti essent.*[1] (nisi fortasse *adeo* particula ad ea referenda erat, quae olim praecesserunt). Ceterum non me fugit aliam praeterea interpretandi uiam extare, qua hae locutiones cum *nescio quis, quid etc.* locutionibus comparentur.

3) Pronomen demonstratiuum (*id* uel *eum*), quod pronomini relatiuo responderet, omissum est:

Ter. Eun. 99 (I, 2, 19) *Sed huc* qua *gratia Te arcessi* iussi, ausculta. (supple: *id, cuius gratia.*)

(conf. Stich. 363 (II, 2, 39) *Tum tu igitur*, qua *causa missus es ad portum,* ***id*** expedi. Rud. prol. 31 *Nunc, huc* qua *causa* ***ueni, argumentum*** eloquar.)

Pl. Cist. I, 1, 84 qua *arcessitae causa ad me* estis, eloquar.

Amph. prol. 50 *Nunc* quam *rem oratum huc* ueni, *primum* proloquar.

Rud. 430 (II, 3, 14) *Nunc* quam *ob rem huc* sum *missa, amabo* uel *tu mi* aias uel neges.

Ter. Phorm. 798 (V, 3, 15) *Quid tu? ecquid* locutu's *cum istac,* quam *ob rem hanc* ducimus?

Pl. Men. 714 (V, 1, 14) Non *tu* scis, *mulier, Hecubam* quapropter *canem Graii esse* praedicabant?

---

1) Propter inusitatam temporum consecutionem ne uerba corrupta sint, uerendum est; expectes saltem *sint* pro *essent.* Itaque cum libri Noniani *sunt* pro *suum* praebeant, fortasse non *sunt* in *suum* mutandum, sed, quia *suum* post *sunt* facile excidere potuit, scribendum est *Adeo . . . ut omnes simul sunt (suum) quisque negotium adorti.*

Pl. Pers. 108 (I, 3, 28) *Sed ecquid⟨nam⟩* meministi, *here* Qua *de re ego tecum mentionem* feceram?[1])

Capt. 206 (II, 1, 13) *Quid a nobis metuit?* scimus *nos, Nostrum officium* quod est.

id est *scimus nos id, quod est nostrum officium*, ut *officium* uocabulum praedicati locum obtineat.[2])

Pl. Rud. 965 (IIII, 3, 26) *Et qui inuenit hominem noui*, *et* dominus qui *nunc* est, scio.[3])

Rud. 958 (IIII, 3, 19) *Ego istuc furtum* scio quoi factumst.[4])

Rud. 1297 (V, 2, 17) *Meum hercle illic homo uidulum* scit qui habet.

Most. 149 (I, 2, 69) *Cor dolet*, quom scio, ut *nunc* sum atque ut fui. (mente supple fere: *scio me talem, ut.*)

Pseud. 262 (I, 3, 28) *Iam diu* scio, Qui fuit. (mente supple: *scio eum talem, qui.*)

Amph. prol. 17 *Nunc* quoius *iussu* uenio et quam *ob rem* uenerim[5]), Dicam *semulque ipse eloquar nomen meum.*

---

1) C. F. G. Mueller »nachtraege« p. 108 frustra commeodat: *Sed ecquid (nam id) meministi* etc. Versum corruptum esse dixit Studemund in scholis.

2) In libris additum est *si solutos sinat*, quibus uerbis seruatis Geppert et Brix tales uersus ediderunt: *Quid a nóbis metuit? scímus nos Nóstrum officiúm, quod est, si solutós sinat.* Ceterum totius loci sententia propter *si solutos sinat* enuntiatum coodicionale coniunctiuum (*sit* uel *siet*) flagitare uidetur, nec de numeris satis constat.

3) Simili modo, quo supra *hominem*, alibi *aliquem* accusatiuus subaudiendus est Rud. 956 (IIII, 3, 17) *Furtum ego uidi qui faciebat: noram dominum, id quoi fiebat*, Men. 242 (II, 1, 17) *Ergo istuc quaero certum qui* (ita BD, *quid* C, *quid id* A teste Studemundo) *faciat mihi.*

4) *Istuc furtum* uel nominatiuus est uel accusatiuus, ut ibid. u. 963 *Vidulum istum quoius est noui ego hominem*, ubi *hominem* accusatiuus, qui hic omittitur, additus est.

5) Vtraque sententia deinde accuratius explicatur uerbis *Iouis iussu uenio* et *Pater huc me misit ad uos oratum meus.* Itaque cum utriusque enuntiati condicio eadem sit, etiamsi ab iousitata temporum uariatione *uenio* et *uenerim* recesseris, mirum est quod in altero enuntiato indicatiuus in altero coniunctiuus occurrit. Fortasse *uenerim* glossa ad *uenio* in margine adscripta uocabulum quo uersus finiebatur expulsum est, atque

4) uocabulum (*locum*), quod *ubi* aduerbio relatiuo responderet, omissum est:

Pl. Aul. IIII, 8, 7 (699)	*Indeque* expectabam, ubi *aurum* abstrudebat *senex*.
Aul. I, 1, 24 (63)	*Neu* persentiscat, *aurum* ubist *absconditum*.
Trin. 938 (IIII, 2, 93)	*Nisi quia* lubet experiri, quo euasurust *denique*.
Stich. 541 (IIII, 1, 41)	Miror, quo euasurust *apologus*.[1])
Epid. III, 4, 1 (422)	*Caue praeterbitas ullas aedes*, *quin* roges,
	Senex ubi habitat.[2])
Pseud. 599 (II, 2, 5)	*Nímis uelim*, certúm *qui id* faciat *mihi*, ubi *Ballio hic leno* habitat.[3])

II) Nunc transeamus ad enuntiata relatiua, quae propterea interrogationum obliquarum speciem praebent, quod nomen substantiuum per attractionem ex enuntiato demonstratiuo in relatiuum receptum est:

Pl. Men. 685 (IIII, 3, 11)	Video, quam *rem* agis.
Capt. 207 (II, 1, 14)	*At fugam fingitis:* sentio, quam *rem* agitis.[4])

---

collatis uerbis *Iouis iussu uenio* et *Pater huc me misit*, uersus sic scribendus est:

Nunc quoius *iussu* uenio et quam *ob* rem *huc missus* sum, Dicam etc.

1) id est *finem, quo etc.*: Nisi fortasse scribendum est *quorsum euadat denique* et *Miror quorsum euadat apologus*, ut Andr. 127: *Quam timeo quorsum euadas*, conf. Andr. 176, Hecyr. 193, Pseud. 217.

2) *habitat* B.

3) *qui id* C, *quid* BD et A, ut uisum est Studemundo; *faciat mihi* Bothe, *mihi faciat* BCD. Non trochaicos sed anapaesticos numeros constituendos esse iam Fleckeisen intellexit, qui haec in editione proposuit:

. . . . . *nimis (quám) uelim, cértum qui id faciat*
Mihi, Bállio leno ubi hic hábitat.

(conf. etiam Studemundum de cant. plautin. p. 65). Possis etiam alio modo anapaestos restituere, e. g. . . . . *nimis uélim qui id mihi certúm faciat, lenó Ballio ubi hic hábitat* uel similiter. Praeterea nescio an et hic et Epid. III, 4, 1 *habitet* uel *habeat* scribendum sit.

4) sed *sentio, hanc rem agitis* coniecit Brix.

Pl. Rud. 963 (IIII, 3, 24) *Vidulum istum quoius est noui ego hominem iam pridem,* ‖ *Quid est?* ‖ *Et* quo pacto per⟨i⟩it (scil. *noui*). ‖ *At ego*, quo pacto *inuentust*, scio.

Mil. 377 (II, 4, 24) *Nimis* mirumst *facinus*, quo modo *haec hinc huc transire* potuit.

Mil. 418 (II, 5, 8) *Sed facinus* mirumst, quo modo *haec hinc huc transire* potuit, [1])

nam re uera transiit, sed quo modo id fieri potuerit, miratur. [2])

Cato de r. r. initio cap. X Quo modo *oletum agri iugerum CCLX instruere* oportet (scil. *explicatur*),

Idem initio cap. XI Quo modo *uineam iugerum C instruere* oportet, quae enuntiata inscriptionis locum tenent.

Pl. Bacch. 698 (IIII, 4, 47) *Immo si* audias, quae dicta dixit *me aduorsum tibi*,

(quocum conferas Cas. III, 5, 35 (559) *Immo si* scias dicta, quae dixit *hodie*).

Truc. V, 39 (919) Venitne *in mentem tibi*, quod uerbum *in cauea* dixit *histrio*?

(quocum conferas Mil. 281 (II, 3, 10) Nescis *tu fortasse apud nos* facinus, quod natumst *nouom*.)

Amph. 417 (I, 1, 261) *Hic quidem certe*, quae *illic* sunt res *gestae*, memorat *memoriter*.

Most. 505 (II, 2, 74) Quae *hic* monstra fiunt, *anno uix possum* eloqui.

Pseud. 20 (I, 1, 17) *tute hinc* narrato *tibi*, Quae *me* miseria *et cura* contabefacit.

Pomponius (Ribb. Com. p. 212, 175) *Sed*, qui *utro⟨s⟩que* error *uos* agitat, expedibo. . .[3])

1) *potuit* Ritschl, *potuerit* BCD.

2) Vix exceptionis loco habendus est Pl. Epid. 404 (III, 3, 33): *Mirum, hoc qui potuit fieri* (*hic qui* Pal. 1, *hoc quod* B et Pal. 2); nam nisi *quod* scribere uolueris, interpunctione mirandi exclamationem a directa interrogatione interpunctionis ope facile dirimes aut *Mirum*, *qui hoc potuit fieri* restitues (conf. *incredibile quantum* pag. 236).

3) Ita scripsi cum Ribbeckio, quamquam num reuera enuntiatum, quod praecedit, ex *expedibo* pendeat, non constat.

Cato de r. r. VI, 4 *Vineam* quo *in* agro *conseri* oportet,[1]) *sic* obseruato: *qui locus uino optimus dicetur esse et ostentus soli, ibi Amineum minusculum . . . conserito.*

Pl. Poen. V, 4, 12 (1174) *Spero equidem.* || *Et pol ego, quom,* ingeniis quibus sumus *atque aliae,* cognosco.

Nomen ipsum, quod per attractionem in enuntiatum relatiuum receptum est, in enuntiato demonstratiuo neutro pronominis repetitur:

Pl. Stich. 105 (I, 2, 48) quibus *matronas* moribus, *Quae optumae sunt, esse* oportet, id[2]) *utraque ut* dicat *mihi.*

Ex eis, quae hoc tertio capite composuimus, apparet, quam difficile fuerit priscis scriptoribus in re noua certas et constituere ingeniose et constanter obseruare leges syntacticas. Idem igitur in hac quaestione uidere licet quod in plurimis, quae ad artem scribendi horum scriptorum penitus cognoscendam instituuntur: certum quidem sensum uel instinctum eos secutos esse

1) Varro tamen cum de r. r. lib. I. c. XXV hoc caput ex Catone transferret, suae aetatis loquendi usui inseruiens modum coniunctiuum posuit: *Vinea quo in agro serunda sit, sic obseruandum*; similem sententiam habemus apud Catonem de r. r. VI, 1 *Agrum, quibus locis conseras, sic obseruari oportet: Vbi ager crassus et laetus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet*; *conseras* est coniunctiuus absolutus, qui cum secunda uerbi persona in eiusmodi sententiis coniungi solet, ut Epid. V, 2, 53 *Sed ut acerbumst, pro benefactis quom mali messim metas.* Confer praeterea Luebbertum (Grammatische studien II, p. 77), qui »*Plautus,* inquit, *hat diesen coniunctiv nach quom nur in der zweiten person sing. des uerbi, waehrend er fuer dergleichen allgemeine vorkommnisse fuer die erste und dritte person den indikativ braucht, indem er sie nicht nur als moeglich, sondern als thatsaechlich darstellt.*«

2) *oportet, id* Ritschl, *OPORTETOSED* A, *oportet sed* BCD; unde *oportet eos* coniecit Kiessling (in Mus. Rhen. XXIII p. 118). S. Bugge in Tidsskrift for Philologi og Pædagogik uol. VI pag. 15 *sedutraque* compositum ingeniose commendat.

in oratione concinnanda, at tamen ab experimento omnia nata esse neque deesse locos, in quibus ingeniosae licentiae nimis indulserint. Id certe his plagulis effecisse mihi uideor, ut in posterum ne ad taedium usque repeteretur decantata illa »modorum confusio«, qua tum coniunctiuos tum indicatiuos mirabili neglegentia effudisse dicebantur prisci scriptores. Vnum superest, ut libere profitear nonnullas in modorum doctrina difficultates ita fortasse solui potuisse, ut de futuri usu apud priscos scriptores latinos diligentius quaereretur.

Quae si recte exposita esse uidebuntur, nonnullas, quae adhuc sub iudice sunt, lites de modorum doctrina resoluere poterimus. Velut nuperrime Georgius Autenrieth in annal. philol. supplem. VI p. 285 sq. *quom* coniunctioni interrogatiuam uim tribuit in uersibus Ennii (Ribb. Trag. p. 42, 199) *Astrologorum signa in caelo quaesit obseruat, Iouis* ***Quom*** *capra aut nepa aut* ***exoritur*** *nomen aliquod beluae*, Plauti Poen. III, 4, 13 (714) *Vidistis, leno* ***quom*** *aurum* ***accepit?*** similibus. Sed fefellit uirum doctum opinio. Nam si interrogatiua esset *quom* particulae uis, non *exoritur* et *accepit*, sed *exoriatur* et *acciperet* scriptum esset; coniunctiuum enim in eiusmodi interrogationibus flagitari ex eis apparet, quae supra disputata sunt. Neque uero, quo indicatiuum in illis uersibus defenderet, Plauti Merc. 881 (V, 2, 39) *Caelum* ***ut est*** *splendore plenum*, ***uide sis*** laudare debebat Autenrieth; huius enim locutionis prorsus aliam condicionem esse supra pag. 292 demonstrauimus. Immo *quom* particula in illis uersibus relatiuam et temporalem uim habet.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag. 39,	uers.	15	pro *(cras)* lege *(post)* (uel *(cras)*)
» 46,	»	14	pro *gratiis* lege *grátiis*
» 47,	»	11	pro trag. lege trag.)
» 104,	»	16	pro ae lege lae
» 105,	»	6	pro ex, lege cx
» 106,	»	7	pro *Fatéor* lege *Fateór*
» 126,	»	9	ad *quaeso* adde hanc notam: *quaeso* libri Plautini, *si audes* Priscianus; utrumque Plautinum.
» 127,	»	1	pro nunstiastine lege nuntiastine
» 127,	»	12	adde: Ter. Ad. 726 (IIII, 7, 8) Dic mihi, *non* clamas, *non* insanis.
» 128,	»	12	pro *illa* lege *ille*
» 131,	»	23	adde hanc notam: BD inuerso ordine praebent *dic uiuisne obsecro.*
» 133,	»	32	pro *ELOQVERE* lege *ELOQUERE*
» 139,	»	27	et 35 in libri A lectionibus lege ubique *U* pro *V*
» 141,	»	10	adde: Stich. 706 (V, 4, 24) Vide, quot *cyathos* bibimus.
» 144,	»	3	pro uolo lege uolo,
» 160,	»	35	adde: Conf. nunc etiam Mueller »nachtraege« p. 30.
» 161,	»	15	pro *si* lege *sin*
» 180,	»	39	post *liberauerit.* adde haec: Postquam haec typis expressa sunt, memini Studemundum in scholis de Cistellariae uersu IIII, 2, 8 ita disputare, ut fortasse certum iudicium de locis, qui mihi dubii uisi sunt, ferri possit: in B enim illum locum lacunosum ita traditum esse

Mi homines mi spectatores facite indicium. si quis uidit
Si quis eam abstulerit *sustulerit et utrum hac*
an illac iter institerit

atque in primo uersu *quis uidit* secundam manum scripsisse, *quid uidet* primam; in secundo uersu *quis* ab ipsa prima manu ex *qus* correctum uideri, ibidemque in lacuna ante *sustulerit* a secunda manu additum esse *quisue.* Anapaestos tum dubitanter constituit Studemund, si recte memini, hos: »*Mei homines, mei spectatores, facite indicium*, *s i q u i s u i d i t*, quis *eam* abstulerit, quis sustulerit (uel *quorsus tulerit*), *et* utrum *hac an illac iter* institerit«; simul monuit Hauptii bacchiacos (in Hermae IV p. 33) propter choriamborum frequentiam sibi non probari.

pag. 190, uers. 24 adde: Conf. etiam Lucilius V, 37 sq. (ed. Mueller) *Absterge lacrimas et diuos ture* precemur, *Consilium fassi* placeatne *inpune luperis.*

» 196, » 18 adde notam hanc: Consulto omisi Naeuii uersum corruptum (Ribb. Com. p. 6, 13) ..*nimio arte cólligo, cur re inquaesita colligor* (pro *colligo* codex Charisii praebet *colligôb*); sanc si *colligo* reuera pro *exputo, meditor* positum esset, quod cum Ernesto Klussmanno (Cn. Naeuii rell. pag. 135) et O. Ribbeck et Georgius Autenrieth (in annal. philol. supplem. VI p. 279) statuerunt, non *colligor* in fine uersus sed *colliger* scripsisset Naeuius. Bothius misso uerborum lusu scripsit: *Nímio arte cólligor! Cur re inquaesita colligor?*, Theodorus Bergk in annal. philol. 1870 p. 826: *Nímio (me) arte cólligas. etc.*

» 198, » 28 sq. pro *foris* egerim lege *foras* egeram et hanc notam adde: *foras egeram* coniecit Haupt, *foris legerim* BaCD, *foris egerim* Bb, *foras degeram* coniecit Schwabe (uix recte).

» 202, » 19 adde notam: G. Linker in annal. philol. 1864 p. 714 coniecit: *Sic expectabat populus atque ore timebat, Rebus utri* (genit. sing.) *magni uictoria sit data regni.* uel potius (ibid. p. 717 sq.): *Sic expectabant oculis atque ore timebant, Rebus utri etc.* (cf. etiam Peerlkamp in Verg. aen. XI 399 p. 341) et ad Hor. carm. IIII, 6, 23).

» 207, » 29 adde: Pl. Merc. 270 (II, 2, 43) *Vosmet* uidete *celerum*, quanti siem.

» 210, » 22 adde: Lucilius XXVIIII, 77 (ed. Mueller) *Hymnis, ego* animum *sic* induco, quo *tu(a) ab insano* auferas. Lucilius XXVIIII, 15 (ed. Mueller) cui fiderem *uitai meai* Ἐπίτευγμα, ecpendi *longe opera ante alia omnia.*

» 217, » 16 ante Trin. adde Pl.

» 248, » 14 adde: Lucilius dub. 1 (ed. Mueller) *Solus uero* scit, quid *re atque quaestu* conducat *suo.*

» 249, » 24 adde: Lucilius VIIII, 36 (ed. Mueller) *Nunc haec* quid ualeant quid*ue huic* intersiet *illud*, cognosces.

» 250, » 35. 36 scribe: Lucilius libr. inc. 3 (ed. Mueller) *Virtus est, homini* scirei, quo *quaeque* abeat *res.* Virtus, scirci, *homini rectum, utile,* quid sit *honestum etc.*

» 253, » 29 pro *hunc quis est.* lege *hunc: quis est?*

» 255, » 31 adde: Lucilius VIIII, 27 (ed. Mueller) *multum (hic* ref)ert, *d* siet *an b.*

» 255, » 36 adde: Lucilius XXVII, 10 (ed. Mueller) *Celerum* quid sit, quid *non* sit, ferre aequo animo *ac fortiter.*

» 260, » 1 pro Scio lege Scio,

» 263, » 30 pro *quam* lege quam

Verlag der Weidmannschen Buchhandlung (*J. Reimer*) in Berlin.

Druck von Breitkopf und Hartel in Leipzig.